
WIDENER LIBRARY
HX JV1U 2


VE RI
TAS

D. JUNII JUVENALIS
OPERA OMNIA

EX EDITIONE G. A. RUPERTI

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

ET

VETERIS SCHOLIASTÆ

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN TERTIUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1820.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

RECENSUS

EDITIONUM JUVENALIS.

[EX EDIT. RUPERTI.]

(Editiones, quibus unum asteriscum curavi præfigendum, a me ipso, et quibus duplicem præposui, a viris doctis, vel sponte vel rogatu meo, non in dubiis locis, sed a principio ad finem cum Henniniana vel Bipontina collatæ sunt.)

SÆC. XV. 1470—1500.

* *Editio Juvenalis et Persii princeps* videtur esse ea, quæ in Fol. sine nota loci, anni, et typographi in lucem prodiit, quamque Romæ circa annum 1470. typis excusam esse probabili judicio suspicabantur Maittarius in Annal. typograph. Tom. I. p. 296. et Hamberger in zuverläss. Nachr. von alt. Schriftst. T. II. p. 270. Eadem, ni fallor, memoratur in Catal. Bibl. Hulsianæ. Præter nos eam, nec tamen satis accurate, contulit Maittarius in ed. Lond. 1716. 12. Cf. Var. Lect. n. 45. Exemplari, quo nos usi sumus, præfixus est titulus: 'Junii Juvenalis Aquinatis liber primus.' Nulla vero aliorum deinde librorum, et ne numeri quidem satirarum, qui tamen in Persio indicatur, mentio fit, sed satiræ parvo tantum spatio disjunguntur. Hæc et alia infantiam produnt artis typographicæ; etsi charta satis pulchra, et literæ sunt luculentæ. Ex interna autem indole hujus editionis probabile fit, eam non a viro docto curatam, sed a typographo e libro Msto, eoque bonæ, quamvis non optimæ notæ, cum omnibus librariorum peccatis ductam esse, adeoque Codicis scripti auctoritatem obtinere.

Eodem forte anno typis expressa est alia Editio Romana, quæ vulgo habetur omnium princeps, et inscripta est:

Juvenalis Satyræ et Flacci Persii Volaterrani—Romæ *apud Udalricum Gallum*—fol. (1470.)

De ea vid. Hamberger l. l. et Maittaire Ann. typogr. T. I. p. 297. qui tamen externam tantum libri speciem, ac ne satis quidem accurate, describunt, nec de critico ejus usu soliciti fuere. Quomodo itaque hæc editio a superiore differat, et quodnam ei statuendum sit pretium, dicere non habeo, cum nondum a quoquam cum illa vel vulgatis editt. comparata sit, quod factum vellem.

Veneta I. (in Var. Lect. n. 51.) *Juvenalis Satyræ, per Simonem Biuilaqua* (al. Beuilaquam) *Papiensem*, Venetiis sine mentione anni—fol.

Hanc editionem, a C. G. Schwarzio, academiæ quondam Altorfinæ Prof., sibi cum aliis, infra memorandis, suppeditatam, inspexit Beckius, ex cujus Dissert. quæ inscripta est: 'Observatt. philolog. in Satyras Juvenalis duas priores, quas—præside M. Ulrico Sebasti. Beckio Norimbergensi publice disquirendas proponit Jo. Jac. Haas, Altorfii 1732.' 4. nos nonnunquam in Var. Lect. eam laudavimus. In omnibus, quibus eam Beckius consuluit, locis easdem exhibet lectiones, quæ in edit. Locatelli Venet. 1492. reperiuntur, nisi quod Sat. II. 164. in hac *Zelates* legitur, et in illa *Zalates*. Neque etiam prima edit. Veneta esse videtur, etsi ita eam vocavi. Annus in aliis editt. antt. addi, in aliis omitti solet. V. Heyne in Præf. ad Tibull.

1473.

Brixiensis I. *Juvenalis et Persii Satyræ: jubente Presbytero, Petro Villa, sine notis*, Brixiæ.—fol. 1473.

Hæc quoque editio nondum a quoquam, quod sciam, collata est. Describitur quidem in Specim. literar. Brixiensis P. I. p. 125. sqq. sed non ita, ut criticum ejus usum inde cognoscere liceat.

1474.

Mediolanensis I. (in Var. Lect. n. 52.) *Juvenalis et Persii Satyræ*—Mediolani *per Anton. Zarotum* (Zarothum) *Parmensem*—fol. 1474.

Neque hujus, neque reliquarum editionum Mediolanensium (de quibus v. Saxii hist. typogr. Mediol.) exempla, etsi diligenter quæsita, invenire mihi contigit. Vellem itaque, ut, si cui ad manus sint, critica cum cura eas excuteret. Si tamen ex illis lectionibus

judicare licet, quas Beckius loco supra laudato ex Mediol. 1474. et 1511. excerpsit, quasque in Var. Lect. n. 52. et 53. designavimus, non multum utilitatis ad ipsum Juvenalem emendandum inde redundaturum esse opinamur. Nihil in iis est, quod aut tollere velis, aut non ex aliis libris jam enotatum sit.

Eodem anno 1474. Romæ in vulgus prodiere:

Angeli Sabini paradoxa in Juvenalem Romæ *per Angelum Sachsel de Reichenhal et Barthol. Golsch de Hohenbart Clericos*—fol. 1474.

et paulo post: *Domitii Calderini Veronensis Commentaria in Juvenalis Satyras,* Romæ—fol. 1474.

si fides habenda Fabricio et Soc. Bipont., (quæ ex parte firmatur subscriptione Ed. Ven. 1475. et Vicent. 1480. quam mox memorabimus) nec potius paradoxa illa jam ante a. 1473. typis expressa sunt. Sabellicus certe (h. e. M. Anton. Coccius, cui illud nomen imposuerat Petr. Calaber, præceptor ejus, qui ipse, solenni illius ævi more, in sodalitio bonarum literarum, Romæ a doctissimis Italis instituto, nomen Julii Pomponii Sabini, vel Læti, vel Fortunati et Infortunati asciverat) amicus et municeps Domitii, in Dialogis de Latinæ linguæ reparatione, quos Obertus Gifanius recudendos curavit ad calcem Observatt. linguæ Lat., tradit, 'Sabinum aliquot annos ante Domitium in Juvenalem Quæstiones quasdam accuratissime conscripsisse.' Forte tamen quæ scripserat, non confestim edidit. Quoquo modo se res habeat, constat saltem, hos duumviros fuisse primos, qui commentarios in hunc poëtam, si non scripserint, certe ediderint. Non carent illi docta subtilitate, temporibus, quibus vulgati sunt, condonanda; sed judicii sensusque elegantiam fere desideres. *Dominicus de Caldariis*, sive, ut dici maluit, *Domitius Calderinus* (quod cognomen quidam deducunt a Caldara, viculo prope Veronam sito, ubi natus creditur) tantam olim ingenii doctrinæque famam collegerat, ut, cum annos nondum XXIV. natus esset, a Paulo II. Romam evocaretur, artium liberalium publice docendarum causa, et a Sixto IV. ad dignitatem *Secretarii Apostolici* eveheretur. Præter alia commentarios scripsit in Juvenalem, Silium, Statii Sylvas, Martialem, Ovidii Ibin, Suetonium, Sappho, Propertium, et Ciceronis Epistolas ad Atticum; plura vero, quæ moliebatur, immatura mors intercepit: obiit enim anno ætatis XXX. p. Chr. 1477. Commentaria in Juvenalem inscripsit Juliano Medici, et in hac dedicatione profitetur, 'se Juvenalis Satyras nova commentatione explicare conatum, licet in iis interpretandis

multi bonarum artium studiosi operam posuerint, qui tamen ingenue fuerint professi, se multa non assecutos vel carminis obscuritate, vel temporum ignoratione: sine arrogantia autem dictum se velle, multa in Satyris hisce Latinorum Græcorumque auctoritate confirmata se explicasse, quæ alii gravioribus studiis occupati neglexerint, et multi literarum studiosi scire magnopere expectarint: neque id in iis tantum, quæ quotidianis disputationibus quæri solerent; sed et pleraque, quæ vel historiæ involucro adhuc laterent, vel figurata elocutione remotiora essent, quæ tamen pro apertis et expositis in hominum opinionem recepta fuissent: præterea se subinde non sine ratione ab aliorum interpretatione discessisse; et denique de iis locis, quæ adhuc in disceptatione versentur, se ita disputasse, ut labor suus et ignorantibus utilis sit futurus, et iis, qui eadem habeant cognita, probari possit.' Enimvero

Quid dignum tanto tulit hic promissor hiatu?
Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus.

Pleni certe sunt commentarii ejus ineptis erroribus, etymologiis et argutiis, etiam in novissima eorum recensione Henniniana, cujus editor multa tamen ab eo perperam vel præter rem dicta resecuit. Sæpe refellit aliorum explicationes, nec meliores substituit. Inde colligas, jam tum temporis multos extitisse, qui Juvenalem interpretari conarentur, quod etiam ex verbis Domitii, modo ascriptis, intelligitur: nisi potius hæc potissimum ad Glossas membranarum spectant, e quibus tam Domitium, quam Mancinellum et Britannicum, multa tacite descripta in rem suam convertisse, ex usu et lectione earum cognovi. Nominatim vero passim refutavit Tortellium, et in primis Angelum Sabinum Turrensem, in quem acerrime nonnunquam invehitur, ut in ejus præceptorem in singulari libello, Commentariis subnexo, cui titulus est: *Defensio adversus Brotheum Grammaticum* (ita eum appellare solet, ut Sabinum *Fidentinum*, usus nomine, quo Martialis quendam versuum suorum plagiarium traduxit) *calumniatorem Commentariorum Martialis cum recriminatione.* Usus etiam est codicibus scriptis, quorum tamen neque numerum, neque indolem declaravit: atque omnino melius meruisset de literis, nisi prænatura nominis celebritas, et nimia, inde nata, tum superbia et invidia, tum festinatio et multa scribendi cupido studiis ejus offecisset, et prius mortuus esset, quam præcox ejus ingenium ad justam pervenisset maturitatem. Recte de eo Coccius loco supra laudato judicavit: 'Non me fugit,

omnino esse aliqua' (immo plurima) 'in ejus scriptis, quæ præcipitata potius videri possint, quam edita: sed simultas et æmulatio, duo acres stimuli, illum ad eorum, quæ scribebantur, immaturam compulerunt editionem.' Ceterum non dissimilandum est, commentarios Domitii longe præstare iis, quos Sabinus scripserit; unde et hi vix aut ne vix quidem, illi vero mox variis locis, Brixiæ, Venetiis et Vicentiæ, recusi sunt, maximoque eruditæ Italiæ plausu excepti. Sæpius quoque Domitius corrupta textus lectione deceptus ad argutias demum delapsus est.

1475.

Domitii Calderini—Commentaria in Juvenalem—Brixiæ *typis Henrici de Colonia*—f. 1475.

Cf. sup. ad a. 1474. et Nachricht von den Büchern in der Stollischen Bibl. T. I. p. 35. §. IV. Servatur etiam in Biblioth. Norimberg.

* Veneta II. (in Var. Lect. n. 46.) *Juvenalis cum comment. Dom. Calderini* (non Ge. Merulæ, quod Socii Bipontini tradunt) Venetiis—fol. 1475.

In fine hæc leguntur: 'Junii Juvenalis Aquinatis Satyrarum Libri Impressi Venetiis Diligentissime Arte et Ingenio Jacobi De Rubeis Natione Gallici VIII. KL. Maias Anno Christi MCCCCLXXV. Invictissimo et Inclyto Duce Petro Mocenico.—Domitii Calderini Veronensis Secretarii Apostolici Commentarii in Satyras Juvenalis ad Clarissimum Virum Julianum Medicen Laurentii Fratrem Petri Cosmi Filium Florentinum Editi Romæ quum ibi publice profiteretur K. Septembris MCCCCLXXIV.' Epistolam ad Julianum Medicen excipit vita Juvenalis, quæ vulgo tribuitur Suetonio, et Commentarios *Defensio adversus Brotheum Grammaticum calumniatorem Commentariorum Martialis cum recriminatione.*

Hæc est prima editio Juvenalis cum Comm. Domitii Calderini, ex qua haud dubie propagatæ sunt Venetæ 1482. binæ 1483. 1485. 1487. et Vincent. 1480. quæ et præter textum eadem continent, sed in textu tamen passim ab illa, et quidem aliæ aliis locis, discrepant, quod ex Var. Lect. intelligi potest.

1476.

Mediolanensis II. *Juvenalis et Persii Satyræ*—Mediolani per Antonium Zarotum Parmensem—fol. 1476.

Est repetita editio a. 1474. quæ in catalogo editionum Persii

memoratur Fabricio Biblioth. lat. T. II. pag. 166. Lips. 1773. Cf. ad. a. 1474.

1478.

Ge. Merulæ Commentarius bis hoc anno prodiit sine textu poëtæ, non cum eo, quod in Fabric. Bibl. lat. et hinc in edit. Bipont. traditur,

* Venetiis *per Gabrielem Petri Duce inclyto Andrea Vendramino*—fol. 1478.

et paulo post vel ante

Tarvisii *per Barthol. de Confoloneris*—fol. 1478.

De hac edit. v. Fabric. l. l. p. 359. Nachricht von den Büchern in der Stollischen Bibl. T. I. p. 96. §. v. et Catal. Bibl. Hasæanæ Brem. p. 503. Continentur his libris: 1. *Commentarius Merulæ s. Enarrationes Satyrarum Juvenalis per Georg. Merulam Alexandrinum ad invictiss. Principem Federicum de Monte Feretro Urbini Ducem.* 2. *Ge. Merulæ Alexandrini libellus adversus Domitii Commentarios in Martialem ad Marcum Antonium Maurocenum Equitem præclarum.* 3. *Ge. Merulæ Alex. Adnotationes in Orationem M. Tullii Ciceronis pro Q. Ligario ad Bernardum Bembum.* 4. *Argumentum Epistolarum Ciceronis ad Lentulum, de vi et ordine suffragiorum in centuriatis et curiatis comitiis; quid prærogativa suffragiorum; et quomodo legis promulgatio, ad Dominicum Sanutum.* Ge. Merlani, qui *Merula* dici malebat, natus in oppido Ducatus Mediolanensis, quod hodie Alessandria s. Alexandria della Paglia vocatur, XL. annos in juventute docenda consumsit Venetiis et Mediolani, ubi LXX. annis major mortuus est a. Chr. 1494. Magnus fuit ætatis suæ philologus, qui præter ea, quæ modo memoravimus, etiam Comment. in Statium, Martialem, Plautum, Ciceronem, Virgilium, Plinium, Quintilianum, Ausonium, et auctores de re rustica, Philologicorum lib. X. Antiquitates Vice-Comitum Mediol. et alia scripsit, clarissimosque illorum temporum viros asperioribus facetiis perstringere amabat. Quam itaque bilem Domitius effuderat in Sabinum Brotheumque Grammaticum, eadem, sed mortuus demum, acerbissime exagitatus est a Merula. Hujus tamen commentarius in Juvenalem non magni est pretii, ejusque interpretatio sæpe vel nimis arguta, vel inepta et contorta. Meliora passim in suum Comment transtulit Britannicus, ne laudato quidem fonte, ex quo hausit. Multorum autem errorum Merulam arguit jam Politian. Epist. XI, 10.

1479.

Juvenalis cum Comm. Ge. Merulæ et notis aliorum, Pinarolii—fol. 1479.

Hujus edit. mentionem fecit Fabricius, (Bibl. lat. T. II. p. 359.) et quidem tam brevem atque obscuram, ut ea decepti socii Bipontini tradiderint, *hanc editionem factam esse per Jac. de Rubeis,* qui tamen officinam habuit Venetiis, ubi Juvenalem quoque a. 1475. ab eo excusum supra vidimus.

1480.

* Vicentina s. Vincentina. (in Var. Lect. n. 48.) *Junii Juvenalis Aquinatis Satyrarum Libri impressi* Vincentiæ *diligentissime per magistrum Henricum Liberarium*—fol. 1480. *cum commentariis Domitii Calderini* cet. ut in edit. Veneta II. a. 1475. quam plerumque, nec tamen ubivis, sequitur, ut ex nostra Var. Lect. apparet. Videtur emendata passim manu viri docti, vitiisque repurgata esse.

1482.

* Veneta III. (in Var. Lect. n. 47.) *Juvenalis cum comm. Domitii Calderini.* In fine: Venetiis *per Baptistam de Tortis*—fol. 1482. *die.* III. *Augusti.*

Recusa mox a. 1483. et 1485. Cf. ad edit. Venet. II. a. 1475.

1483.

* * Veneta IV. (n. 47.) *Juvenalis Satyræ cum comm. Domitii Calderini* Venetiis *per Magistrum Thomam de Alexandria die* XIX. *Julii, regnante inclyto Principe Joanne Mocenigo* (al. Mozenico.) —fol. 1483.

* * Veneta V. (n. 47.) *Juvenalis Satyræ cum comm. Domitii Calderini* Venetiis *per Baptistam de Tortis die* XXII. *Julii*—fol. 1483.

Utraque editio collata est a Maittario in ed. Lond. 1716. 12. unde intellexi, eas nunquam fere neque a se invicem, neque a Veneta III. discedere, adeoque ex ea repetitas esse. Hinc etiam in nostra Var. Lect. non seorsum hi testes excitantur.

Mediolanensis III. *Juvenalis Satyræ* Mediolani *per Leonhardum Pachel et Uldericum Scincenzeler* (al. Udalrichum Scinczenceller s. *Scinzenzeler,* s. Sinczenzeller) *socios*—fol. 1483.

Cf. ad ed. Mediol. I. a. 1474. Nomen alterius typographi, qui natione Bavarus fuit, in ed. Mediol. IV. a. 1491. *Udalricum Sinzeler* scriptum, teste Phil. Wilh. Gercken in *Reisen durch Schwaben, Baiern* cet. T. I. p. 250. n. 3. p. 255. n. 9. Cf. Maittarii Ann. typogr. et Saxii hist. typogr. Mediol.

1485.

Veneta VI. *Juvenalis Satyræ cum comm. Domitii Calderini* Venetiis *per Baptistam de Tortis*—fol. 1485.

Nova repetitio Venetæ III. si Fabricio fides habenda. Mirari certe licet, quo emtorum studio ejusdem typographi sumtibus trium annorum spatio ter prelo excudi potuerit Juvenalis, et quidem Venetiis, in qua urbe præterea aliorum typis ab a. 1483. ad 1501. toties expressus est.

1486.

* Veneta VII. (n. 49.) *Juvenalis cum comm. Ge. Vallæ Placentini* Venetiis—fol. 1486.

Ad calcem hæc subscripta sunt: ‘Finis in Decio Junio Juvenale Aquinate commentarii dñi Georgii Vallæ Placentini, impressi Venetiis per magistrum Antonium de Strata (al. Strada) Cremonensem anno dñi MCCCCLXXXVI. die VIII Novembris, Augustino Barbarico imperante.’ Hæc editio, quam et Maittaire contulit in ed. Lond. 1716., prima est commentarii Ge. Vallæ, non Veneta IX. quod putabant socii Bipontini. Ge. Valla, Placentiæ natus, Medicus et Prof. Ling. Græc. et Lat. Venetus, idemque clarissimus, præter multa alia in Juvenalem commentarium edidit, in quo multa superioribus sublegit interpretibus, nec minus etymologiis verborum indulsit, parum vero novi ac boni, vel adeo præclari, ipse attulit. Usus tamen est antiquo codice Ms., qui et Probi, ut putabat, Grammatici interpretamenta continebat, quæ postea Pithœus (v. inf. ad edit. Paris. 1585. 8.) Scholiis Veterum emendandis supplendisque adhibuit. Illud ipse indicat in Prooemio, epistolæ ad Joannem Tuccium Pannonicum subnexo, in quo præter vitam Juvenalis brevemque de Satira disputationem, hæc leguntur verba: ‘Sane comperti mihi sunt nuper Probi grammatici in Juvenalem commentarii, quantum adhuc audiverim, nulli alii cogniti, sed miræ brevitatis, alioquin tamen perquam opportunos aliquando se nobis obtulerumt: obtulissent vero sese adhuc magis, nisi nobis singula rimantibus codicis nimium cariosa invidisset vetustas, et si in omnes libros compositi habeantur, qui vix tertii libri secundam attigere satyram—(h. e. Sat. VIII.). Invigilavimus vero ipsi, si modo id consequi potuimus, ut omnis hujus poëtæ pateret eruditio. Probi interpretamenta cujusmodi ea fuerunt, quæ plane perexigua sunt, ne in minima quidem parte subtraximus aut immutavimus.’ Ceterum Valla in ipso Juvenale multa subinde

correxisse videtur, etsi in plurimis hæc editio cum superioribus concinit.

* Brixiensis II. (n. 50.) *Persius cum Comm. Jo. Britannici, et Juvenalis cum comm. Ge. Merulæ*, (vel ejusdem Britannici) *typis Jacobi Britannici*, Brixiæ—fol. 1486. si fides habenda Sociis Bipontinis. Sed in ea editione, qua usus sum, et quæ in Biblioth. academ. Goetting. servatur, uterque poëta commentario Jo. Britannici illustratus est, et Juvenalem excipit Persius, cui in extrema libri pagina hæc nota reperitur subjecta: 'Impressum Brixiæ per Jacobum Britannicum Brixianum anno domini MCCCCLXXXVI. die XVII. Februarii.' Quæ subscriptio si ad totum spectat librum, (in quo commentarius quidem in Juvenalem paulo majoribus asperioribusque, quam in Persium, textus autem utriusque poëtæ iisdem plane typis expressus est) Britannici in Juvenalem commentarius octo mensibus prius prodiit, quam ille, quem scripsit Valla, et hæc est prima ejus editio, non, quod credebant Hamberger in zuverl. Nachr. von alten Schriftst. T. II. p. 270. extr. et socii Bipontini, Veneta a. 1499., vel adeo, quod Fabricius existimasse videtur, Brixiensis a. 1501. Huic aliam fuisse præmissam, ex præfat. edit. Ascensianæ jam docuit Brixiana Literatura p. 145. Venetam autem illam fuisse primam, parum probabile est. Vix enim assequor, qui factum sit, ut commentarius Britannici prius Venetiis ederetur, quam Brixiæ, ubi non modo auctor vivebat, sed etiam cum fratre, ni fallor, typographicam habebat officinam, in qua et Persium certe ac Juvenalem cum comm. Jo. Britannici, illum jam 1486. et 1500. hunc vero a. 1501. excusum esse constat. Non minus tamen mirum mihi videtur, tam insignem commentarium jam a. 1486. vulgatum, neque prius, quam a. 1499., repetitum esse. Neque etiam dissimilo, exemplum edit. Brix. 1486., quod inspexi, et quidem primam ejus partem, quæ Juvenalem et Comm. Britannici complectitur, mutilatam esse, et præter alia folia (Sat. X. 102—160. et XI. 16—58.) desiderari etiam extrema, (Sat. XVI. 14—60.) quibus haud dubie impressionis locus, annus et auctor fuere notati. Docta manus ad calcem Juvenalis ascripsit hæc: 'Venetiis per Jo. Tacuinum de Tridino MDXII. die XVIII. Aug. Vid. Maittaire Indic. Annal. Typogr. p. 514. (534) et confer. cum Lactantio per Jo. Tacuinum de Tridino a. 1502 et 1509 impresso.' Quæ conjectura eo firmatur, quod mutila editio nostra non modo easdem plane lectiones, eundem titulum et quæ hunc excipiunt,

exhibet, quæ Veneta a. 1512. sed etiam, præter illa, eandem typorum formam, quam editiones Tacuini de Tridino Venet. 1492. et 1494. Veneta vero a. 1512. ex illa quoque repetita videri potest, neque mihi ipsi ad manus fuit; unde externam utriusque speciem comparare mihi non licuit. Vidi tamen, ad verbum et paginam cum mutilo exemplari illo convenire ed. Venet. a. 1515. unde suspicari possis, vel illam editionem pro eadem habendam, vel hanc certe ex illa, sive sit Brixiensis 1486., sive potius Veneta 1512., expressam esse.

1487.

* Veneta VIII. (n. 47.) *Juvenalis cum comm. Calderini*, Venetiis—fol. 1487.

In fine legitur: 'Impressum Venetiis per Bartolameum de Zanis de Portesio, sub anno domini MCCCCLXXXVII. die vero tertio Octobris, regnante domino Augustino Barbadico inclyto Venetorum Principe ad honorem dei et totius curiæ celestis.' Plerumque, nec tamen semper, congruit cum Veneta 1482. et eadem continet, nisi quod non ad Julianum Medicen, sed ad Joannem Franciscum, Ludovici Principis Mantuani Filium, Epistola Calderini præfixa est, in qua non minus queritur de calumniatoribus suis.

1491.

Mediolanensis IV. *Juvenalis Satyræ*, Mediolani *per Udalricum Sinzeler*—fol. 1491.

Repetitio ed. Mediol. III. a. 1483. ubi vide quæ notavimus.

* * Veneta IX. (n. 54.) *Juvenalis cum comm. Domit. Calderini et Ge. Vallæ* Venetiis *per Magistrum Theodorum de Ragazonibus* (al. Ragozzonibus) *de Asula, regnante inclyto Principe domino Augustino Barbadico duce Venetiarum, die* XVI. *Junii*—fol. 1491.

In plurimis, nec tamen omnibus, cum superioribus concinit editt. Cf. ad Venet. VII. a. 1486.

1492.

Veneta X. *Persius cum comm. Britannici et Fontii; Juvenalis cum comm. Merulæ et Calderini*, Venetiis *apud Petrum Joannem de Quarengis*—fol. 1492.

In Fabric. Bibl. lat. T. II. p. 166. non Merulæ, sed Vallæ comm. memoratur. In ed. Bipont. consuli jubentur Baueri Bibl. libr. rarior. T. III. p. 185. Mylii Bibl. Jenens. p. 214. n. 522. et Catal. Bibl. Zechianæ Lips. 1780. p. 38. n. 530. ex quibus tamen libris nihil præter titulum hujus edit. cognosces; de usu ejus

critico, quem tamen non adeo magnum esse crediderim, nemo adhuc solicitus fuit.

* * Veneta XI. (n. 55.) *Juvenalis cum Domit. Calderini Veron. et Ge. Vallæ Placent. commentariis* (sine mentione loci, sed haud dubie Venetiis) *per Bonetum Locatellum octavo Idus Martii*—fol. 1492.

Hæc editio in quibusdam locis Sat. I. et II. a Beckio, (v. ad Venet. I.) sed tota a principio ad finem a Maittario in ed. Lond. 1716. collata est. Congruit plerumque cum Veneta VII. a. 1486.

* Veneta XII. (n. 56.) *Juvenalis cum tribus Commentariis, videlicet Ant. Mancinelli, Domitii Calderini, Ge. Vallæ.*—Venetiis *impressum est hoc Juvenalis opus cum tribus commentis per Joannem de cereto de tridino* (al. Tacuinum de Tridino) *die secundo Decembris*—fol. 1492.

Hic typographus primus et commentarium Mancinelli, et Juvenalem cum tribus commentis prelo excudit. Repetita ab eo est hæc editio mox a. 1494. et tribus commentariis deinde quartus Merulæ adjectus a. 1498. et 1501. Ab eodem quoque Juvenalis cum comm. Jo. Britannici editus Venet. 1509. et 1512. In Veneta hac XII. titulum, in quo etiam Argumenta Satyrarum Juvenalis per Anton. Mancinellum leguntur, excipiunt: 1. *Antonii Mancinelli Veliterni* a. Præfatio ad Reverendum ædis Geminianæ Antistitem Divique Marci Canonicum Nicolaum Rubeum patritium Venetum; (cui dedicavit Comm. suum in Juvenalis Satyras, quas *almæ virtutis perpetuas opes et bona verba* appellat) b. Juvenalis commoda; c. de Satyra; d. loca quædam e plurimis vel intacta vel secus ab aliis exposita. (In his explicandis plurimum posuit studii, et ex eo operam suam vult æstimari.) 2. *Domitii Calderini Veron. Secret. Apostol.* in commentarios Juvenalis ad clariss. virum Julianum Medicen Petri Cosmi filium Florentinum. 3. *Ge. Vallæ* Epist. ad Ill. Virum Jo. Tuccium Pannonicum. 4. Vocum ac rerum Index.—*Mancinellus*, a. 1452. natus Velitris, inde a XXI. ætatis anno in pluribus Italiæ oppidis grammaticam liberalesque artes docuit, et tum institutione sua, tum multis, quos scripsit, libris magni philologi laudem consecutus est. Sed de commentario ejus in Juvenalem Henninius jam hoc idque verum tulit judicium: 'Nihil non magnificum pollicetur Mancinellus; verum ut, quod res est, dicam, intra fabularum prolixam enarrationem, si quando Juvenalis eas

attingit, et paraphrases fere subsistit, et rarius in interiora et recondita se penetrat. Verum tempori isti ea condonemus.'

1493.

Veneta XIII. *Juvenalis cum comm. Sabini, Merulæ, et aliorum*, Venetiis—fol. 1493.

Hujus editionis mentionem, sed brevissimam, fecerunt Henninius, Fabricius et socii Bipontini.

1494.

* Veneta XIV. (n. 56.) *Juvenalis cum tribus commentis Mancinelli, Calderini, et Vallæ.*—Venetiis *impressum est hoc Juvenalis opus cum tribus commentis per Joannem de Cereto de Tridino, die vero* XVIII. *Januarii*—fol. 1494.

Est mera repetitio Venetæ XII. a. 1492. Cf. Lengnichs Beiträge zur Kenntniss seltener Bücher T. II. p. 120.

1496.

Juvenalis, Parisiis—fol. 1496.

His paucis verbis memoratur editio illa a sociis Bipontinis, qui forte ita correxerunt notam Henninii, a quo perperam laudatur *ed. Paris. apud Stephanum* 8. 1496. Sic et in Fabric. Bibl. et edit. Bipont. designatur editio a.

1497.

Veneta XV. *Juvenalis*, Venetiis—fol. 1497. sine commentatorum ac typographi mentione; unde his traditionibus parum tribuo.

* Lipsiensis I. (n. 58.) *Liber Satyrarum Junii Juvenalis poëtæ lepidissimi ac inter omnes Satyricos utilissimi.* Lipsiæ—fol. 1497.

Ad Lectorem :

Inter præcipuos satyrarum compositores
  Recte reponendus hic Juvenalis erit,
Cujus ob ingenii vires et mentis acumen
  Non satis extolli carmina pulchra queunt.
Itala gens multo hunc laudis veneratur honore,
  Versat et illius carmina in ore frequens,
Et, verum ut fatear, tantum extollit Juvenalem,
  Quod præferre audet hunc quoque Virgilio.
Hinc quoque ob insignes pulchro sub carmine sensus
  Clausos jure potest cedere Virgilius.
Illius exemplo gentis doctæ atque peritæ
  Tu lector perames hoc Juvenalis opus.

Hec werdea.

In fine: 'Junii Juvenalis aquinatis Satyrarum liber Liptzk impressus Anno dñi 1497. finit fœliciter. Laus deo clementissimo.' Hæc est prima ed. Lipsiensis, quæ plerumque convenit cum Veneta III. et a qua raro discrepant, quæ eam secutæ sunt, Lipsienses a. 1502. 1504. et 1507.

* Norimbergensis. (n. 59.) *Juvenalis, Anto. Manci. Domicius Geor. Val.* (h. e. cum comm. Antonii Mancinelli, Domitii Calderini et Ge. Vallæ) *Argumenta Satyrarum Juvenalis per Anton. Mancinellum.*—Nurnbergæ *impressum est hoc Juvenalis opus cum tribus commentis per Antonium Koberger* MCCCCXCVII. *die vero* VI. *Decembris*—fol. 1497.

Editio satis obvia. Titulum excipiunt eadem, quæ in Veneta XII. a. 1492. ex qua etiam expressa videtur, sed emendatius.

1498.

* Veneta XVI. (n. 57.) *Juvenalis, cum quatuor commentariis Ant. Mancinelli, Dom. Calderini, Merulæ et Ge. Vallæ.*—Venetiis *impressum est hoc Juvenalis opus cum quatuor commentariis per Joannem de Cereto alias Tacuinum de Tridino* MCCCCXCVIII. die vero XXIIII. Julii—fol. 1498.

Non mera repetitio Venetæ XII. sed nova recensio. Sic v. c. in Sat. VI. versus 233., qui ex illa exciderat, in hac restitutus est, et post vs. 614. duo spurii sunt inserti, qui non in alia editione, quod sciam, reperiuntur, quam in Veneta VII. Alia eaque multa variarum lectionum exempla suppeditavimus in notis criticis.

* * Ascensiana I. (n. 60.) *Juvenalis cum Antonii Mancinelli et Iodoci Badii Ascensii commentariis, et cum vocum ac rerum indice.*—*Impressum est hoc opus pro fido et bono bibliopola Stephano Gueynardo* (non Baynardo, ut Maittaire, vel Guaynardo, ut socii Bipont. scripsere) *cive Lugdunensi, arte et industria Nicolai Wolf Alemanni, ipso Ascensio vitiorum expunctore,* Lugduni *ad* 14. *Kal. Decemb.*—4. 1498.

Hæc editio, collata a Maittario in ed. Lond. 1716., est prima cum comm. Ascensii, et plerumque concinit cum Veneta XII. Iodocus Badius, natus a. 1462. in vico, prope Bruxellas sito, qui nunc *Assen* vocatur, unde ipse *Ascensii* nomen ascivit, mortuus a. 1535., Professor primum Lugdunensis, deinde vero celeberrimus typographus Parisiacus, socerque trium magni nominis typographorum Mich. Vascosani, Rob. Stephani, et Jo. de Reviguy, multos auctores classicos et prelo excudit, et commentariis, sed levibus

et jejunis, (*familiarem explanationem* vocat, seu *familiare commentum*) instruxit. Inscripsit Comm. suum in Juvenalem 'Henrico Valuphino, artium bonarum Professori et disertissimo apud Lugdunenses Grammatico, nec non D. Nicesii Canonico.' Henninius dicit, eum in Commentariis suis infimum trivii pulverem et expirantem barbariem olere, verum quia subinde lectionis varietatem, et, quamvis rarissime, forte fortuna mentem Juvenalis quandoque deprehenderit, excerpendi tædium a se devoratum esse.—Ceterum meræ pæne repetitiones hujus edit. sunt posteriores Ascensianæ Lugd. 1501. 1507. 1511. 1512. 1515. Paris. 1505. 1512. et 1519. Ascensianas autem non eas tantum dico, quæ Ascensii prelo Parisiis excusæ sunt, sed etiam quæ ejus familiare commentum exhibent: nam nullum fere inter eas intercedit discrimen, sive externam spectes indolem sive internam. Cf. inf. ad Ascens. III. Paris. 1505.

Juvenalis, cum Merulæ et aliorum notis, Parisiis—fol. 1498.

Hujus edit. mentio fit in Fabric. B. L. T. II. p. 359.

Juvenalis, adjectis Horatii Epistolis, Lipsiæ 1498.

Ita Hennin. in Ind. Editt. qui et brevissimus est, (nam nihil fere præter notam loci et anni, nomenque commentatoris, nonnunquam et typographi, continet) et parum accuratus; quod ipse his verbis profitetur: 'Balbutire mihi in hisce licebit cum Bibliopolis. Crisin in plerasque Editiones adornare tulerat animus; sed nec otii mei, nec festinantis Bibliopolæ rationes illam admiserunt: rejicimus itaque illam in aliud tempus.'

1499.

Veneta XVII. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici*, Venetiis—fol. 1499.

Hoc loco et anno primum Commentarius ille in lucem exiisse putatur. vid. sup. ad ed. Brix. II. a. 1486. *Jo. Britannicus* s. Angelus, ita dictus a majoribus, ex Britannia oriundis, natus est in vico, qui nunc Palazzuolo dicitur, nec longe abest a Brixia, in quo oppido liberales ille artes publice docuit, et a. 1510 mortuus est. Vir ætatis suæ doctissimus fuit, qui, præter alia, commentarios in Horatium, Juvenalem, Persium, Terentium, Statium, et Ovidii Metamorphoses scripsit, ac princeps est omnium, qui ad Juvenalem interpretandum et ante, et post eum accessere: nam non modo loca obscuriora notis doctis, grammaticis, antiquariis, historicis, geographicis, mythologicis, criticis, illustrare conatus est, sed

etiam, quæ præcipua ejus virtus est, studiosissime investigavit mentem consiliumque poëtæ, et tum summam cujusvis satiræ, tum singularum partium sententiarumque copulationem, vim poëticam, venustatem, facetias, ac salem, magna solertia rectoque elegantiæ sensu declaravit. Hanc ob causam ipsi quoque Grangæo præferendus videtur, qui varia quidem, recondita, et exquisita doctrina eo superior est, sed inferior bene accurateque interpretandi arte. Hinc etiam commentarius Britannici sæpius sub prelum revocatus est, nec defuere, qui suppresso viri egregii nomine, quæ ille primus observavit, tanquam sui ingenii fœtus venditarent. Neque tamen inficior, ejus doctrinam et interpretationem sæpius esse vel minus accuratam, vel nimis argutam et subtilem, copiosam et supervacuam, alienam et contortam. Dedicavit commentaria sua *Senatui populoque Brixiano:* in qua epistola consilii sui causas et rationem ita exponit: 'Juvenalis Satyras etsi temporibus nostris a nonnullis aliis egregie literatis commentatoribus, vel cum magna ipsorum laude, enarratæ fuerant, aggressi sumus; quod omnino animadverteremus, in toto opere multa ab iis, sive incuria quadam, sive consulta opera, præterita esse, quod, quæ ipsi forte intelligerent, eadem et ceteris perspicua arbitrarentur, multaque etiam longe aliter exposita, quam sensus Auctoris exposceret. Hocque eo libentius fecimus, quod Juvenalem eum esse novimus poëtam, qui, veluti flagello atque ense peccantium vitia persequens, saluberrimo carminis sui stylo docet a semita turpitudinum declinandum honestatemque apprehendendam, ita ut in scholis (quando adolescentes poëtice instituendi sint) nihil fere utilius fructuosiusve legi queat. Ii enim mihi tum demum probatissimi videntur Auctores, quorum doctrina non tam ad voluptatem, quam ad institutionem nostram refertur. Confido autem, in toto opere, præter fortasse tria aut quatuor ad summum loca, quæ aut ingenii mei imbecillitate, aut morum ignoratione veterum non intellecta altioribus ingeniis enodanda relinquo, nihil prorsus relictum, quod a me non sit optime dilucidatum, multaque etiam longe rectius explicata, quam ab omnibus aliis, qui ante me in hunc poëtam scripsere.' Hoc quidem nemo facile negabit: sed quod 'de tribus aut quatuor ad summum locis a se fortasse non intellectis' dixit, etsi vere magis quam jactanter dictum vellem, (quantum enim tum aliis mihique fecisset otii?) nollem tamen ei excidisset. Quid in eo ejusque doctrina vituperandum sit, jam supra monui.

Juvenalis, Persius, Horatius, Lucilius, Lugduni Bat.—12. 1500.

Hæc editio laudatur in Catal. Biblioth. Francofurti d. 8. Jul. 1799. venditæ. Sed numerus anni quin vitiose expressus sit, vix est quod dubitemus.

SÆC. XVI. 1501—1601.

1501.

* Aldina I. Veneta XVIII. (n. 61.) *Juvenalis Persius;* Venetiis *apud Aldum* sine mentione anni, 8.

Quo anno prodierit, non constat; eam vero primam esse Aldinam, vel ex eo probabile fit, quod Græca verba, quæ Sat. VI, 195. et IX. 37. in reliquis Aldinis leguntur, in ea, ut in Rom. princ., nondum expressa, sed plane omissa sunt. Tres autem esse duntaxat Aldinas, primam s. a., alteram a. 1501., et tertiam a. 1535. vulgatam, liquido contendere possum, quoniam tot in manibus habui, quæ omnes olim in biblioth. præclara Kulenkampi extabant, et, antequam illa venderetur, ab Ill. Heynio, quæ magna ejus benevolentia est, mihi transmissæ sunt. A Fabricio nulla memoratur Aldina, in edit. autem Bipont. una tantum, et quidem his verbis: '(1501.) Aldina sine anni nota, 8. Juvenalis et Persius ex officina Aldi. Eodem anno et prodiit ex off. Aldi Horatius: quocum juncti memorantur in Solgeri Catal. Bibl. (quæ dein accessit ad Bibl. Norimbergensem) T. III. p. 278. n. 1833. ubi annotatum legitur: *Ob notas Mss. Lazari Spengleri Syndici Norimbergensis doctissimi* († 1534.) *in pretio habenda.*' Hasce notas rescivi non magni esse momenti, et ad Horatium maxime pertinere. Aldina autem sine anni nota neutiquam confundenda est cum

* Aldina II. Veneta XIX. (n. 62.) *Juvenalis Persius.*—Ad calcem Juvenalis: *Venetiis apud Aldum,* et Persii: *Venetiis in ædibus Aldi, Mense Augusto* MDI.—8. 1501.

Hoc anno etiam Horatius, et Virgilius eodem prelo typisque minoribus, qui *italici, currentes,* et *Aldini* vulgo vocantur, excusi sunt. Quod vero Heyne in Indice editionum Virgilii p. XCI. (edit. alt.) de Aldina tertia dixit: 'præclara et inter præstantissimas facile editio, in qua pleraque, e melioribus codd. constituta leguntur; et quam qui factum sit ut sequentes editores non sequerentur, sed plerumque ad priorem Aldinam redirent, non assequor,' idem transferri potest ad Aldinam II. Juvenalis. Emendatissima est

editio, ad meliores haud dubie libros, tam scriptos quam editos, recensita. Nihilo tamen secius non modo Aldina III., sed aliæ quoque editiones, ex Aldinis ductæ, multis in locis eam deseruere, et rediere ad Aldinam I. Unde autem tanta mutatio, et a quo inducta sit, dicere non habeo. Eadem discrepantia in omnibus Auctorum classicorum editionibus Aldinis deprehenditur, et nunquam fere, quod mireris, vel Aldus, vel qui post a. 1515., quo ille e vita discessit, posteriores curarunt editiones, vel minimam hujus rei mentionem fecerunt. Ceterum editt. Aldinæ modo hanc, modo illam editionem antiquiorem sequuntur, passim vero lectiones exhibent, quæ non nisi in codd. Mss., et nonnunquam, quæ in ipsis Aldinis primum reperiuntur: quod ex Var. Lect. apparet. Inde intelligitur, eas ad Codices scriptos fuisse castigatas.

* Ascensiana II. (n. 60.) *Juvenalis familiare commentum* (h. e. cum comm. Iod. Badii Ascensii) *cum Antonii Mancinelli viri eruditissimi explanatione.—Impressum est hoc opus pro fido et bono bibliopola Stephano Gaynardo civi lugdunensi : arte et industria Johannis de Vingle. Anno salutis christianæ Milles. quingentesimo primo* v. *Idus Maii* Lugduni.—4. s. fol. min. 1501.

Exemplar Ascensianæ I. Lugd. 1498. descriptum fere sine memorabili mutatione.

* Veneta XX. (n. 57.) *Juvenalis cum quatuor commentariis Vallæ, Merulæ, Mancinelli, et Calderini.*—Venetiis *impressum est hoc. Juvenalis opus cum quatuor commentariis per Joannem de Cereto alias Tacuinum de Tridino* MCCCCCI. *die vero* X. *Decembris* —fol. 1501.

Repetitio Venetæ XVI. a. 1498. Nonnunquam ab ea discedit, et alias editt. sequitur: quam tamen lectionis varietatem excerpere haud operæ pretium duxi.

* Brixiensis III. (64.) *Juvenalis cum comm. Britannici.—Impressum hoc opus Brixiæ ab Angelo et Jacobo Britannicis fratribus, summa adhibita diligentia ut esset emendatissimum. Anno a Natali Christi quingentesimo primo*—fol. 1501.

Titulus libri est : ' Commentarii Joannis Britannici in Juvenalem, cum gratia a Ducali dominio Venetiarum, ne quis alius eos intra decennium imprimat.'

Carmen Pamphili Saxi.

Tela, faces, laqueos, horrorem, fulmina, morsus,
Verbera, clamores, murmura, dicta, sales,

Qui Juvenalis avet perspicere funditus, immo
 Adfectus, animum, pectora, cor, genium,
Hunc legat: interpres non est, sed carminis auctor
 Egregii vatis, vita sed egregia.
Carmina non generat, sed gignit aperta, serenat.
 Sensa nec exponens lucida, sed generat,
Increpat, invehitur, castigat, corrigit, urget,
 Cogit, sollicitat, ducit, agit, stimulat,
Prosa canit vatis concentu dulciter hujus,
 Concentus prosa solvitur et loquitur.
Denique sunt unus sub vate Britannicus ipse est
 Collectus numeris clausus et exiguis:
Sub se collectus vates extensus in illo est,
 Qui legit hunc igitur, cautus utrumque legit.

Cf. de hac edit. ad Brixiens. II. a. 1486. et Venet. 1499.

1502.

* * Lipsiensis II. (n. 58.) *Juvenalis Satyræ,* Lipsiæ—fol. 1502.

In fine legitur: 'Habes, amate Lector, textum Junii Juvenalis Aquinatis, Satyrarum scriptoris lepidissimi, iterum atque iterum satis laboriose emendatum, vigilique diligentia Baccalarii Martini Herbipolensis, Lipziensis civis, ibidem a novo pressum. Anno dominicæ incarnationis Millesimo quingentesimo secundo. Quinto Kalendas mensis Augusti finitum. Si quid tamen vitii humano errore admissum fuerit, cum benivolentia radito atque inter legendum castigato. Non enim omnia possumus omnes.'

Vid. ad Lipsiensem I. a. 1497.

1503.

Brixiensis IV. *Persius et Juvenalis cum comm. Britannici,* Brixiæ—fol. 1503.

Memoratur in ed. Bipont. e Catal. Biblioth. Ludewigianæ Hal. P. IV. p. 1457. n. 12604. et Fabric. Bibl. Lat. Ed. 1721. Vol. II. p. 733. In recent. edit. hujus Bibl. Lat. nulla ejus fit mentio.

1504.

* * Lipsiensis III. (n. 58.) *Juvenalis Satyræ,* Lipsiæ—fol. 1504.

In fine eadem leguntur, quæ in Lipsiensi II. a. 1502. cujus mera repetitio est. Anni tantum et diei nota sic mutata est: 'Anno dominicæ incarnationis Millesimo quingentesimo quarto. Septimo ydus mensis Augusti finitum.' In Catal. Bibl. Uffenbach. T. II. App. Incunab. art. typogr. n. 227. p. 79. laudatur hujus edit. ex-

emplum, *copiis* (f. copiosis) *annotationibus et marginalibus Mss. ab anonymo quondam vet. ornatum.*

1505.

* Ascensiana III. (n. 65.) *Juvenalis familiare commentum* (h. e. Juven. cum comm. Iod. Badii Ascensii) *cum Antonii Mancinelli viri eruditissimi explanatione.—Impressum est hoc opus rursus in ædibus Ascensianis apud Parrhisios impensis Joannis Meganc, Joannis waterloose, et Iodoci Horenweghe flandorum. Anno salutis christianæ* MCCCCCV. *ad Nonas Martias*—4. 1505.

Hujus editionis, cujus neque Maittaire, neque Fabricius meminit, titulum tantum, et ne satis quidem accurate, Henninius, qui eadem usus est in excerpendo Ascensii commento, notavit, et e Catal. Bibl. Uffenbach. l. l. n. 229. p. 80. descripsere socii Bipontini. In exemplari, quod ad manus habui, Juvenali juncta est 'Publii Auli Persii familiaris explanatio per Iodocum Badium cum Jo. Britannici eruditissima interpretatione. Venundantur Lugduni a Petro Ungre et Anthonio doulcet p̄fate civitatis bibliopola et cive in vico mercuriali vulgariter En la rue Merchiere.' In fine: 'Persius cum duplici commento finit feliciter. Lugduni solerti opera Johannis de platea et Jacobi myt. Anno salutis MCCCCCX. die vero XX. novembris.' Hæc tamen editio, quæ Paris. 1512. et 1519. recusa est, magnopere spem meam fefellit: est enim mera fere repetitio Ascens. I. et II. Lugdun. 1498 et 1501. Quod si prius animadvertissem, eam non totam contulissem. Nonnunquam tamen eam et ab his, et a Paris. 1512. discrepare, ex Var. Lect. cognoscendum.

1507.

* Lipsiensis IV. (n. 58.) *Liber Satyrarum Junii Juvenalis poëte lepidissimi ac inter omnes satyricos utilissimi.*

Ad juventutem.

Florea doctiloqui cole scripta canora juventus
  Vatis: præstabunt commoda mille tibi.
Invenies morsus, et fulmina, diaque dicta,
  Crimina, virtutes, multijugosque sales.
Mordaci in satyra lepidissimus ille poëta
  Vertice sublimi sidera summa ferit.

In fine: 'Habes, amate Lector, textum Junii Juvenalis Aquinatis Satyrarum scriptoris lepidissimi, iterum atque iterum satis laboriose emendatum, vigilique diligentia Jacobi Thanners Lipsensis civis,

ibidem a novo impressus. Annoque dominicæ incarnationis Millesimo quingentesimo septimo. Siquid tamen,' cet. ut in ed. Lips. II.—fol. 1507.

Non recedit a primis Lipsiensibus nisi in rebus levissimis, et lectionibus vel vitiosis, vel quas ex aliis jam editt. notaveram.

Juvenalis cum Merulæ et aliorum notis, Lipsiæ—fol. 1507.

Memoratur in Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 359. ed. Lips. 1773. sed forte non diversa est ab ea, quam modo recensui, et titulus vitiose indicatus. In illa certe nullæ reperiuntur notæ.

* Ascensiana IV. (n. 60.) *Juvenalis familiare commentum*, (h. e. Juvenalis cum comm. Iod. Badii Ascensii) *cum Antonii Mancinelli viri eruditissimi explanatione.—Venundatur Lugduni ab Stephano Gueynard. ejusque civitatis bibliopola et cive in vico mercuriali, vulgariter en la rue merchiere, prope sctm Antonium.* In fine: 'Impressum est hoc opus pro fido et bono bibliopola Stephano Gueynardo civi Lugdunensi, arte et industria Stephani Baland, anno salutis christianæ M. quingentesimo septimo ad VII. Kalendas Novembris,' Lugduni—fol. min. 1507.

Repetitio Ascensianæ I. Lugd. 1498.

1509.

Veneta XXI. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici*, Venetiis *per Joh. de Tridino*—fol. 1509.

Memoratur in Engel. Bibl. selectiss. p. 118. recusa mox 1512. ab eodem typographo, qui Venetas a. 1492. 1494. 1498. et 1501. typis expressit.

1510.

Juvenalis, Colon.—4. 1510.

Hanc edit. et aliam Colon. a. 1541. 8. servari in Bibl. Helmstad. per literas mihi significavit Cl. Kunhardt, qui tamen interiorem earum indolem non descripsit.

1511.

Mediolanensis V. (n. 53.) *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici*, Mediolani *per Leonardum Vegium*—fol. 1511.

Ejus mentio fit in Catal. Biblioth. Francof. d. 8. Jul. 1799. venditæ p. 17. et in Beckii Diss. Vid. sup. ad Mediol. I. a. 1474.

* Ascensiana V. (n. 60.) *Juvenalis familiare commentum cum Anto. Manci. viri eruditissimi explanatione.—Venundantur Lugduni ab Stephano Gueynard.* cet. ut in Ascens. IV. Lugd. 1507.—In fine: 'Impressum est hoc opus pro fido et bono bibliopola

Stephano Gueynardo civi lugdunensi, arte et industria Jacobi sa. Anno salutis christianæ M. quingentesimo undecimo, die XXI. Kalendas Octobris,' Lugduni—fol. min. 1511.

Nil fere recedit a reliquis Ascensianis. Vid. ad Lugdun. 1498.

1512.

Ascensiana VI. *Juvenalis cum comm. Mancinelli et Badii,* Lugduni—4. 1512.

Extabat in Bibl. Patrum S. J. Lovanii divendita, et vel repetitio Ascens. V., vel eadem est editio, numero anni vitiose scripto.

** Veneta XXII. (n. 50.) *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici,* Venetiis *per Jo. Tacuinum de Tridino* die XVIII. Augusti—fol. 1512.

Cf. ad Brix. 1486. Titulus libri est: 'Junius Juvenalis. Opus quidem divinum, antea impressorum vitio tetrum, mancum et inutile; nunc autem a viro bene docto recognitum, adeoque diligenti castigatione excultum, ut ne punctus, co͞ma, seu interrogatiuncula, cum in textu, tum in commento deficiat, ut facile legentibus videre est. Scribente Joanne Britannico, viro eruditissimo. Una cum figuris suis locis apte dispositis. Nec non elegantissima tabula noviter revisa, quæ omnia secundum alphabeti ordinem mirifice complectitur.' Hæc tabula est index verborum memorabilium, præter quem etiam Britannici epistola ad Senatum populumque Brixianum, ejusdem Annotationes quædam in Asinum Apuleii et Sylvas Statii, (nam hos libros una cum Juvenale constituerat edere, sed 'instantibus impressoribus majori hujus laboris parte se supersedisse' monet) brevis disputatio de Satyra, et vita Juvenalis, poëtæ et commentario præfixæ sunt.

** Ascensiana VII. (n. 65.) *Juvenalis,* Parisiis *in ædibus Ascensianis*—8. 1512.

Vid. sup. ad Ascens. III. Paris. 1505. Collata est a Maittario in ed. Lond. 1716.

1513.

Juntina. *Juvenalis et Persius,* Florentiæ *impensa Philippi di Giunta*—8. 1513.

Ejus meminere Bauer in Bibl. libr. rariorum T. II. p. 216. Goetze in Merkwürdigkeiten der Dresdner Bibliothek p. 173. n. 213. et Catal. Bibl. J. A. Ernesti Lips. 1782. venditæ p. 188. Sed, quod doleo, nondum quisquam fuit, qui criticum ejus usum exquireret:

neque etiam præter hanc aliam Juntinam vidi memoratam. Vix tamen dubito, quin Junta more suo Aldinas expresserit editiones.

Juvenalis et Persii Satyræ, Argentorati *per Jo. Knoblauch*—4. 1513.

Hujus edit. mentio facta in Catal. Bibl. Matth. Fontaine Manhem. 1779. sed annus forte per errorem ascriptus 1513. pro 1518.

1514.

Mediolanensis VI. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici*, Mediolani—fol. 1514.

Juvenalem excipit Persius *cum pluribus additis elegantissimis et accuratissimis annotamentis Angeli Politiani, Phil. Beroaldi et Bapt. Egnatii.* Titulus libri est idem, quem Venetæ XXII. præfixum esse supra diximus, et ad calcem Juvenalis legitur: 'Aureum Juvenalis opus, novissime infinitis pene erroribus emendatum, maximaque diligentia impressum per Joannem Angelum Scinzenzeler. Impensis nobilium virorum Jo. Jacobi et fratrum de Lignano mercatorum Mediolanensium. Anno Domini 1514. die XIII. Junii.' Laudatur hæc editio in Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 359. 360. ed. Lips. 1773. et exemplum ejus possidet Cl. A. C. Borheck, qui etiam benevole pollicitus est, se non modo variantes ex illa lectiones excerpturum mecumque communicaturum, sed etiam ex bibliothecis Parisiacis Belgicisque critica mihi præsidia amicorum suorum opera comparaturum esse. Utraque quidem spes mihi facta me fefellit: cujus tamen rei culpa non in humanissimo residet viro, sed tum in multa variaque, quibus ille distinetur, negotia, tum in turbulenta, quibus etiamnunc vivimus, tempora haud dubie conferenda est.

1515.

* Veneta XXIII. (n. 50.) *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici.—Impressum* Venetiis *per Georgium de Rusconibus Mediolan. Anno Domini* MDXV. *die* X. *Decembris*—fol. 1515.

Huic editioni idem titulus est, qui Venetæ XII. a. 1512. Cf. ad Brixiensem a. 1486.

*Ascensiana VIII. *Juvenalis cum comm. Mancinelli et Badii Ascensii*, Lugduni—4. 1515.

Laudatur in Catal. Biblioth. Francof. d. 8. Jul. 1799. venditæ, et variantes lectiones ex ea excerptas a Schwabio, editore Phædri, accepit Cl. Gurlitt. Haud dubie non differt a reliquis Ascensianis,

quas prorsus fere inter se convenire jam aliquoties diximus.

1517.

Juvenalis cum A. Mancinelli explanatione, Coloniæ—4. 1517.

Memoratur in eodem Catal. p. 42. et forsan non tantum Mancinello junctus est Badius, sed etiam Juvenali Persius, qui certe cum novis Commentariis, nec non cum Ecphrasi et Scholiis Jo. Murmellii Ruremundensis, eodem anno Coloniæ in officina libraria Quentell typis expressus est.

Juvenalis, Lugduni—4. 1517.

Hujus edit. mentionem faciunt socii Bipontini, qui non male suspicantur, eam esse repetitionem ed. Lugd. 1512. nisi forte pro eadem habenda est, et annus vitiose ascriptus 1517. pro 1512. Illa conjectura si vera est, hæc editio est Ascensiana nona, vel adeo, si Coloniensis, modo memorata, prius prelo exiit, et tum Badii, tum Mancinelli explanationem continet, decima.

1518.

Veneta XXIV. *Juvenalis et Persii Satyræ*, Venetiis—fol. 1518.

Si fides habenda Henniniano indici editt. Juvenalis.

* (n. 66.) *Junii Juvenalis Aquinatis inter latinos satyrographos consummatissimi Satyræ emaculatius impressæ.*

H. B. P.

Vergilium ut nemo vicit fera bella canendo,
   Regnat ut imparibus Naso poëta modis,
Utque placet lyricis solus Venusinus in odis,
   Musaque ut in lepidis Bilbilitana jocis,
Utque Umbro multum debet Comedia Plauto,
   Emicat ut Mimo Publius ipse suo,
Pacuvius docti famam senis, Accius alti
   Ut capit, in tragico clarus uterque pede;
Sic Juvenale meo (nec verba hæc testis egebunt)
   In Satyra nullum clarius extat opus.

In fine: 'Sedecim Juvenalis satyræ finiunt *Argentinæ* per providum virum Joannem Knoblouch excusæ nonis Januariis'—4. 1518.

Præclara editio et nova Juvenalis recensio, quæ textum quidem Aldinum pro fundamento posuit, sed multa in eo ex antiquis libris correxit. Recusa est a. 1527. sed quis ei præfuerit vir doctus, haud compertum habeo.

1519.

* Ascensiana IX. s. XI. de quo v. ad Lugd. 1517. (n. 65.) *Ju-*

venalis familiare commentum cum Anton. Mancinelli viri eruditiss. explanatione.—Parisiis *in ædibus Ascensianis*—4. 1519.

Repet. ed. Ascens. III. a. 1505.

1521.

* * (n. 78.) *Persius et Juvenalis,* Lugduni *opera Guilielmi Huyon impressoris*—8. 1521.

Editio hæc in multis locis Sat. I. et II. collata a Beckio in Diss. sup. ad Venetam I. laudata, ex qua intelligitur, eam his locis non nisi semel discrepare ab Aldina II. unde itaque expressa videtur.

1522.

Juvenalis, Basileæ—8. 1522.

Tam paucis verbis hæc edit. memoratur a sociis Bipontinis, quibus non habeo quod addam.

1527.

* * (n. 66.) *Jun. Juvenalis una cum A. Persio recogniti.*—Argentorati *Johannes Cnoblochus excudebat*—8. 1527.

Repetitio ed. Argent. a. 1518.

1528.

* Colinæi I. (n. 67.) *Junii Juvenalis Aquinatis Satyræ decem et sex, cum annotatiunculis in margine adjectis, quæ brevis commentarii vice esse possint.* Parisiis *apud Simon. Colinæum*—8. 1528.

Recusa est a. 1535. et 1542. Editiones Colinæi, ut Curionis, Frobenii, Gryphii, et Rob. Stephani, ex Aldinis fluxere, sed quælibet etiam bona sibi propria, passimque alias, et nonnunquam meliores, habet lectiones. *Annotatiunculæ* illæ, nunc primum, et deinde sæpius editæ, sunt Scholia Curionis, de quibus vid. ad edit. Basil. 1551.

1529.

* *Junii Juvenalis Aquinatis Satyræ decem et sex, ad imitationem Aldini exemplaris emendatæ. Præterea non multo pridem Curionis scholiis margini appositis, nunc vero satyræ cuilibet subnexis, illustratæ, quæ vice brevis commentarii esse possunt.*—In fine: ' Excusum *Cracoviæ* per Mathiam Scharffenbergk expensis honesti viri Marci Scharffenbergk bibliopolæ ibidem. Anno ab hominum genere restituto 1529. 26 Maii '—8. 1529.

Qualis sit editio, ex titulo jam satis intelligitur. Aldinam autem plerumque primam et tertiam sequitur.

1530.

Veneta XXV. *Persius cum Juvenali,* Venetiis *apud Bernardinum Stagninum*—12. 1530.

Laudatur in Fabricii Bibl. Lat. T. II. p. 167. et in ed. Bipont. sed nulla pretii, quod ei statuendum sit, ratione habita.

1531.

* * (n. 79.) *Juvenalis,* Basileæ *per Valentinum Curionem*—8. 1531.

Multis in locis Sat. I. et II. inspecta a Beckio, de quo vid. ad Venet. I. Cf. ad edit. Colin. Paris. 1528.

1534.

Gryphii I. *Persius et Juvenalis,* Lugduni *apud Seb. Gryphium*—8. 1534.

Vid. ad edit. Colin. Paris. 1528.

1535.

Veneta XXVI. *Persius cum Juvenali,* Venetiis *apud Bernard. Stagninum*—8. 1535.

Repet. Venet. XXV. a. 1530.

* Colinæi II. (n. 67.) *Junii Juvenalis Aquinatis Satyræ decem et sex. Cum annotatiunculis in margine adjectis, quæ brevis commentarii vice esse possint.* Parisiis *apud Simonem Colinæum*—8. 1535.

Repet. Paris. 1528. Num annotatiunculæ illæ nunc primum accesserint nec ne, dicere non habeo. Maittarius, qui primam illam tertiamque Colinæi edit. consuluit, nullam earum fecit mentionem ; sed nec Beckius, qui in Diss. supra ad Venetam I. laudata, hanc secundam comparavit.

* Aldina III. Veneta XXVII. (n. 63.) *Juvenalis et Persius. Aldus* MDXXXV. *Aldus Manutius Scipioni Carteromacho Suo S.* (Venetiis)—8. 1535.

Vid. ad Aldinam I. et II. a. 1501.

1537.

Juvenalis et Persius, Lugduni—1537. teste Henninio in ind. editt. Juvenalis.

1538.

Veneta XXVIII. *Juvenalis,* Venetiis—1538. si eidem indici Hennin. fides habenda.

Gryphii II. *Jun. Juvenalis et Auli Persii Flacci Satyræ jam recens recognitæ, simul ac annotatiunculis, quæ brevis Commen-

tarii vice esse possint, illustratæ; Lugduni *apud Seb. Gryphium* —8. 1538.

In edit. Bipont. ita describitur: ‘ Habet 159. pagg. hæc editio pulchrius literis Italicis expressa. Textus fere convenit cum Aldino exemplari, sed et ab eo discedit, maxime orthographica ratione et interpretatione. Bonas subinde lectiones habet, quas Henninius ut in junioribus repertas probat. Exempla affert Cl. Lengnich Beiträge zur Kenntniss seltener Bücher T. II. p. 141—148. ubi hanc edit. pluribus describit.’ Cf. ad ed. Paris. 1528.

1539.

Veneta XXIX. ‘ Juvenalis Satyræ cum interpr. Jo. Britannici et Iodici Badii Ascensii explanationibus, Venetiis per Bernardinum de Bindonis ’—fol. 1539.

Excitatur in ed. Bipont. e coll. librorum (Joach. Chph. Nemeizii Cons. Aulici Bipont.) Argentorati venumdatorum 1745.

1540.

Juvenalis et Persii Satyræ, Antverp.—8. 1540.

Editio laudata Henninio.

1541.

Vid. ad a. 1510.

1542.

* * Colinæi III. (n. 67.) *Juvenalis et Persius* Parisiis *apud Simon. Colinæum*—12. 1542.

Collata a Maittario in ed. Lond. 1716. Cf. ad Paris. 1528. et 1535.

1543.

Juvenalis, Parisiis—1543.

Ita Hennin. in Ind. edd. Juven.

1544.

* Rob. Stephani I. (n. 68.) *Junii Juvenalis Satyræ* XVI. *A. Persii Satyræ* VI. *Ad vetustiss. scripta exemplaria emendatæ: quorum varias lectiones ad calcem rejecimus.* Lutetiæ, *ex officina Rob. Stephani typographi regii*—8. 1544.

In fine: ‘ Excudebat Rob. Stephanus typographus regius Lutetiæ Ann. MDXLV. III. Non. Jan.’ Præterea ad calcem leguntur *variæ lectiones,* paucæ quidem, sed bonæ nonnunquam et receptæ, *ex vetusto codice Rob. Stephani:* et hæc sunt *vetustiss. scripta exemplaria,* ad quæ Satiras a se emendatas esse, in titulo profitetur.

Cf. ad ed. Paris. 1528. Nota autem res est, editiones hujus Stephani æque ac Aldi, inter emendatissimas esse referendas, et ab utroque iis, qui operarum errores deprehenderent, ingentia sæpe præmia fuisse promissa. Hic Robertus Stephanus fuit gener Iod. Badii Ascensii, frater Caroli, et pater Henrici atque Roberti II. Henricus præter alios liberos filium reliquit Paulum, (patrem Antonii) filiamque eruditam Catharinam, uxorem Is. Casauboni: Robertus vero II. duos filios, Franciscum et Robertum Stephanum III. qui Juvenalem Paris. 1613. et 1616. typis expressit. Hi Stephani fuere omnes celeberrimi typographi, iidemque doctissimi. V. Almeloveen de vitis Stephanorum, et Maittaire historia Stephanorum.

Persius cum Juvenali, Francofurti—12. 1544.

V. Catal. Bibl. J. G. Grævii, Traj. ad Rhenum divenditæ, p. 229. n. 45.

1545.

* Gryphii III. (n. 71.) *J. Juvenalis Satyræ jam recens cognitæ atque emendatæ*. Parisiis, *ex officina Francisci Gryphii*—16. 1545.

Plerumque convenit cum editt. Seb. Gryphii. Cf. ad Paris. 1528. et Lugdun. 1538.

1546.

* *Jun. Juvenalis, et Auli Persii Flacci Satyræ.*—Basileæ *apud Nicolaum Brylingerum*—12. 1546.

Congruit cum Aldinis et Stephanianis.

Gryphii IV. *Juvenalis Satyræ apud Seb. Gryphium*, Lugduni —12. 1546.

Laudatur Schegk. Proœm. 5.

1548.

Veneta XXX. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici*, Venetiis—fol. 1548.

Memoratur in Henninii Ind. editt. Juven., et Veneta hujus anni *cum explanat. Iod. Badii Ascensii* in Catal. Bibl. Francofurti d. 8. Jul. 1799. venditæ p. 17. Uterque autem commentarius forte junctus, et hæc editio ex Veneta XXIX. expressa est.

1549.

** Rob. Stephani II. (n. 69.) *Juvenalis et Persius.*—Lutetiæ, *ex officina Rob. Stephani typographi regii*—8. 1549.

In hac altera Stephani editione, quam Maittaire in ed. Lond. 1716. contulit, lectio poëtæ passim ad alios libros antiquiores mu-

tata reperitur. Cf. ad priorem edit. a. 1544.

Veneta XXXI. *Juvenalis*, Venetiis—1549.

Tam paucis verbis designatur in Hennin. Ind. editt. Juvenalis.

1551.

* * Frobeniana (n. 80.) *Persii Satyræ cum Comm. Badii, Britannici, Plautii*, al. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici et scholiis Cœlii Secundi Curionis*, Basileæ *apud. Hieron. Frobenium et Nicol. Episcopium*—fol. 1551.

Multis locis Sat. I. et II. collata a Beckio. Vid. ad Venetam I. et Paris. 1528. Nunc primum edita sunt hæc scholia Curionis, Theologi atque Philologi olim clarissimi, in agro Taurinorum a. 1503. nati, qui primum in Italia, et potissimum quidem Mediolani, Ticini, Venetiis, Ferrariæ et Luccæ, deinde vero, cum lectis Zwinglii Lutherique scriptis a Pontificia descivisset fide, multisque propterea malis urgeretur, in Helvetia juvenes publice docuit, ubi Lausanæ Rector Collegii, et Basileæ, in quo oppido ab a. 1547. ad 1569. vixit, primum Magister liberalium artium, mox vero Professor eloquentiæ creatus est. Scholia illa pauca tantum et brevia sunt, sed passim bona et utilia, quæ tamen magis Britannico, quam poëtæ profuerunt. In fronte autem hujus edit. *nova* dicuntur, quoniam alia jam prius vulgaverat Curio, eaque brevissima, quæ margini editionum Colinæi, Gryphii aliorumque adjecta sunt. Vid. ad ed. Paris. 1528. Quæ præterea sunt monenda, jam occupavit Henninius in Præf. commentariis Britannici præfixa, in qua hæc leguntur verba: ‘ Vir doctus Cœlius Secundus Curio, cum crederet, Britannicum *non semper poëtæ sensum esse assecutum*, ad ejus Commentaria adjecit *Scholia, eaque edi ac publico communicari voluit rogatu Frobenii et Episcopii*, typographorum solertiæ plurimæ et maximæ celebritatis, ut ipse indicat in epist. dedicat. ad nobiliss. adolescentem Abrah. Sbaski. Scholia hæc in fronte ejus libri se jactant *nova*, *quibus tum præterita ab aliis explicantur, tum male intellecta corriguntur, tum etiam Græca, quibus Britannicus in Juvenalis commentariis usus est, Latinorumque Auctorum loci, quæ omnia miris modis corrupta fuerant, restituuntur*. Exinde liquet, quantum sibi juris in aliena tribuerit Curio; quantum e regione ipsi Britannico præstiterit. Eam Frobenii editionem in recudendis Britannici Commentariis, et immixtis hisce Curionis Scholiis, ut video, κατὰ πόδα secutus est Claudius Morellus typographus in edit. Paris. 1602. 4. Hanc et nostri typographi sunt

seculi, postquam prius incredibilem erratorum, operarum incuria admissorum, multitudinem, tanquam ex Augiæ stabulo repurgassimus.' In textu tamen poëtæ exprimendo Morellus ante oculos habuit editiones Pithœi, quas raro deseruit.

1556.

* (n. 73.) *Junii Juvenalis et A. Persii Satyræ, adnotatiunculis, quæ brevis commentarii vice esse possint, illustratæ,* Lugduni *apud Antonium Vincentium*—12. 1556.

Textus expressus est fere ex editt. Gryphii, ut in Lugd. 1562. et 1564. Socii Bipontini hujus editionis loco memorant aliam, a se collatam ejusdemque tituli, loci, et anni, quæ ex rec. Junii sit, sed prodierit *apud Jo. Frellonum:* unde hæc alia videtur esse. Nostra tamen plane convenit cum ed. Frellon. Lugd. 1564.

1557.

Juvenalis et Persii Satyræ, Lugduni—12. 1557.

Prodiit apud Godefridum Beringuarium.

** *Juvenalis,* Parisiis *apud Mich. Vascosanum*—4. 1557.

Collata a Maittario in ed. Lond. 1716. Raro dissentit a recensione Ascensiana.

1559.

Juvenalis et Persius, cum annotatiunculis in margine, Antverp. —8. 1559.

Memoratur in ed. Bipont.

1560.

* Gryphii v. (n. 72.) *Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Satyræ, cum vetustissimis, iisque manu scriptis codicibus nunc denuo collatæ, summaque diligentia parique fide emendatæ.* Lugduni *apud hæredes Seb. Gryphii*—12. 1560.

Nova recensio, quæ tamen non multum novavit in textu, quem reliquæ exhibent Gryphianæ. Auctor ejus forte est Ant. Gryphius filius, qui eodem anno *Lugduni apud her. Seb. Gryphii* edidit *Virgilii Opera, et undique comparandis multis exemplaribus Maronis, quæ calamo et stylo exarata ipsa vetustate probarentur ipsi,* neque sumtibus neque labori pepercisse se profitetur.

1561.

* *Junii Juvenalis et Auli Persii Flacci Satyræ, jam recens recognitæ, simul ac adnotatiunculis, quæ brevis commentarii vice esse possint, illustratæ.* Parisiis *apud Hieronymum de Marnef, sub Pelicano monte D. Hilarii*—12. 1561.

Raro discedit ab edit. Gryph. Paris. 1545.

1562.

Juvenalis et Persius, Lugduni *apud Jo. Frellonum*—12. 1562.

Repet. edit. Lugdun. 1556. quod Sodales Bipontini docent ex Engelii Biblioth. sel. p. 40. in voc. *Catullus.*

1564.

* (n. 73.) *Junii Juvenalis et A. Persii Satyræ, adnotatiunculis, quæ brevis commentarii vice esse possint, illustratæ.* Lugduni *apud Joannem Frellonium*—12. 1564.

In fine: 'Lugduni excudebat Symphorianus Barbier.' Cf. ad Lugdun. 1556.

1565.

* Pulmanniana s. Plantiniana I. (n. 75.) *D. Junii Juvenalis Satyrarum Libri* V. *A. Persii Flacci Satyrarum Liber* I. *Theod. Pulmanni in eosdem annotationes.* Antverpiæ *ex officina Christophori Plantini*—8. 1565.

Pulmannus, (Poelmann) cum a pannificio, quod primum didicerat, ad philologiam transiisset, in multos Auctores classicos notas scripsit, in quibus tamen pauca tantum ex ipsius ingenio profecta sunt, et omnia fere ex aliorum libris, præcipue ex Turnebi Adversariis, petita. Hujus quoque generis sunt *adnotationes* ejus in Juvenalem, ad calcem hujus ed. rejectæ, *quibus et castigationum suarum rationem reddit, et loca difficiliora e scriptis doctissimorum hominum explicat.* Præter illas in margine leguntur Scholia Hadr. Junii, Medici atque Philologi Batavi, (n. 1511. † 1575.) in quibus et variæ lectiones, sed simpl., non designatis codd., qui eas exhibent, recensentur, et loca quædam obscura paucis, at sæpe perperam, explicantur. Mira autem est Pulmanni negligentia, qui lectoribus neque indicavit, cujusnam illæ sint glossæ, neque compendia illa literarum *N. P. M. I.*, quibus in *Adnotationibus* suis uti solet, explicuit. De utroque jam certiores nos fecit Henninius his verbis: 'Videntur nobis illæ literæ signare Codd. Mss. *Noviomagensem, Pulmanni, Miggrodii, Junii,* quibus se usum in Præfatione est testatus. Scholia autem Hadr. Junii, quorum ibidem injicit mentionem, nulli dubitamus, quin sint illa, quæ Pulmannus ad marginem edit. Plantinianæ adjecit, cum in vita Hadr. Junii, quæ ejus *Epistolis* præfigitur, dicatur *scripsisse in Juvenalem,* quod inter publico data ab eo recensetur. Cum vero nusquam meminerimus visa nobis ea in Juvenalem a Junio conscripta, quamvis diligenter inquisiverimus, facile credimus illa ipsa Junii Scholia esse, quæ Pulmannus ad marginem Juvenalis adjecit, id quod ipse

Pulmannus in hac Præfat. innuere videtur, et probant præterea Scholia in Pulmanni Annotatt. repetita præposito nomine Junii, quæ ex marginalibus esse desumta collatio docet, v. g. ad Sat. VI. 158. et 559. quæ ipsis verbis extant ad marginem pag. 43. et 55. Sed jam audiamus ipsum Pulmannum, de ratione consilii sui in epistola ad Jo. Flemingum Præfationis loco præmissa sic disputantem: 'Juvenalem ex manuscriptorum codicum fide restitui, auxi, et Annotationibus ex commentariis clarorum virorum collectis illustravi. Usus autem sum in Juvenale emendando tribus exemplaribus: uno, *meo:* altero, quod *Jacobus Miggrodius,* omni liberali doctrina et summa humanitate vir præstans (Belga, multarum peritus linguarum) mihi dono dedit: tertio, cujus *Canonici collegii B. Catharinæ Noviomagi,* rogatu Henr. Coracolithii, et maxime Joannis Falkenburgii sororis meæ mariti,—mihi copiam fecerunt. Neque sane, quod primo loco dicendum erat, *Hadr. Junius,* homo et eruditione, et in communicando sua alacritate prope singulari præditus, parum heic mihi adjumenti attulit. Nam ex *manuscripto codice suo,* quem cum vulgata editione contulerat, lectionis varietates comprobavit, et loca paulo impeditiora *Brevibus Scholiis,* enodate explicuit, quæ omnia, qua fide accepi, eadem in lucem dedi. Idem, cum in apographo, quod inter mea postremum nominavi, *Juvenalis* opus non in *Satyras,* sed in *libros* divisum esset, dubitanti, quod potissimum sequi vellem, facile libri sui fide persuasit, ut vulgarem Operis partitionem immutarem, et in *quinque libros* distinguerem; præsertim cum et loca a Prisciano adducta idem præ se ferre, et hoc etiam, licet quidam improbarint, in Auctoris vita Crinitum annotare viderem. Satyrarum vero receptum et usitatum numerum, cui testimonia, quæ recentiores hinc produxerunt, pleraque respondent, in margine adjeci, ut longum et molestum inquirendi laborem lectori adimerem.' Ceterum in conferendis codd. Mss. Pulmannum jam negligentiæ arguit Nic. Heinsius in Præfat. ad Claudianum. Hæc autem editio mox repetita est a. 1566. 1585. 1587.

1566.

Pulmanniana s. Plantiniana II. *Juvenalis Satyrarum Libri* V. *Persii Satyrarum Liber* I. *Theod. Pulmanni in eosdem annotationes.* Antverpiæ *ex off. Chph. Plantini*—12. 1566.

Hac editione usus est Henninius. Cf. quæ modo diximus ad

Pulman. I. Præter hanc Sodales Bipontini memorant aliam Pulman. majoris formæ, quam librarii *in octavo* appellare solent.

1576.

Gryphii VI. *Juvenalis et Persius.* Lugduni *apud* Gryphium—16. 1576.

Hujus edit. mentio fit in Hennin. Ind. editt. Juvenalis.

1583.

Veneta XXXII. *Juvenalis c. comm. Domitii Calderini*—fol. 1583.

Reperitur in Bibl. Guelferbyt.

1585.

Pulmanniana s. Plantiniana III. *Juvenalis et Persii Satyræ, cum annotatt. Pulmanni.* Antverp. *ap. Plantinum*—24. et 16. 1585.

Editio prioris formæ laudatur in Mylii Bibl. Jenens. p. 544. n. 1593. et utriusque in Catal. Bibl. Thuanæ P. II. p. 280.

* Pithœi I. (n. 75.) *A. Persii Satyrarum Liber* I. *D. Junii Juvenalis Satyrarum Libri* V. *Sulpiciæ Satyra* I. *cum veteribus Commentariis* (Scholiis) *nunc primum editis. Ex bibliotheca P. Pithœi IC. cujus etiam Notæ quædam adjectæ sunt.* Lutetiæ *apud Mamertum Patissonum*—8. 1585.

Editio præstantissima, et inter emendatissimas referenda. Petrus Pithœus, frater Francisci, (qui fratres gemini fuere celeberrimi illius ætatis ICti summisque honoribus Parisiis ornati) de contextu tam Juvenalis quam Persii emendando præclare meritus est, adhibitis in consilium codicibus scriptis, et potissimum quidem antiquissimo Budensi, qui olim Matthiæ Corvino regi Hung. fuerat, et ex quo etiam primus integra edidit *Scholia vetera,* quorum dimidiam tantum partem, sed non ita diligenter exscriptam, vulgaverat Valla. v. sup. ad edit. Venet. VII. a. 1486. De illo codice et de *Scholiis* eorumque auctore Pithœus in Præfat. ita disputat: 'In hac editione illud potissimum nobis propositum fuit, ut inter plura variaque, nec contemnendæ vetustatis exemplaria, unius omnium sane optimi atque antiquissimi scripturam curaremus exprimi, quod de *Budensis* cladis reliquiis in Thassillonis quondam ducis cœnobium relatum fuisse, ex *Matthiæ* ascripto nomine facile adductus sum, ut crederem. Id ad nos tandem pervenit Francisci fratris carissimi dono, cui plura longe ac meliora, ut spero, posteritas debitura est.

Atque utinam veteris librarii manum omnibus omnino locis assequi licuisset. Verum, nescio quo, malo genio factum est, ut exemplar illud nulla parte melius esset, quam qua imperiti lectoris impio et infelici stylo erasum, infeliciori etiam calamo emendatum, aut mendatum potius et contaminatum fuit: adeo ut mihi recentioris scripturæ vestigia quasi notæ indicesque fuerint ad veterem indagandam atque eruendam, quam adjectæ passim ad utrumque marginem interpretationes interdum suppeditarunt, sæpe nos et ipsæ deseruerunt. Earum porro quem Auctorem nominatim laudem, non habeo, cum nullum præferat codex ille, quo hac parte usi sumus unico: quanquam non ignoro a plerisque non postremæ notæ scriptoribus *Probo* tribui commentaria non in Juvenalem modo, sed et in A. Persii Satyras illa, quorum heic quoque bonam partem emendatiorem damus, usi etiam hac in re consilio judicioque amicorum, atque in primis Jos. Scaligeri viri incomparabilis, de quo quicquid præterea dixero, minus erit. Id vero illi an ex veterum librorum fide, an ex conjectura potius faciant, non satis scio. Illud dissimilare non possum, quod *Berytium* nonnulli vocant, frustra eos, et parum critice facere, si ad *Valerium Probum* referre velint, cujus hæc ætatem ferre nullo privilegio possunt. Sed nec *Probo* quidem illi tribuam, quem Lupus noster sub Karolo Calvo Imp. in Germaniæ saltu liberales disciplinas tractasse, *Satyram* etiam *tentasse* ait. Nam et ista literatioris sunt sæculi, et quod ex Taciti historia *Moysen* repetunt, vereor, ne sit hominis Christiana religione nondum imbuti. At illa sane de *crucis supplicio*, et *Alamanniæ* nomen, aliaque ejus generis nonnulla, post Constantinum Magnum scripta nemo, nisi historiæ ignarus, negaverit. Ego vero, quod ceteris fere Veterum Grammaticorum Glossis et Commentariis, idem et huic nostro accidisse video, ut ex Variorum diversæ, ut ætatis, sic eruditionis Interpretum notis conflatum, instar et ipsum Satyræ esset. Quin et in antiquo exemplari sæpe me ab initio ex marginum diversitate, interpretationum etiam diversitatem notasse memini: quam tamen in hac editione repræsentare neque potui, neque, opinor, debui. *Valla* et ipse vir diligentissimus sui nobis *Probi* fragmenta ad Satyras tantum aliquot pro captu atque arbitratu suo exhibuit, quæ tamen adjumento non levi plerisque locis fuerunt, quos ex illis vel emendavimus, vel supplevimus, adjecta etiam sua cuique nota, quod heic ab operis prætermissum video. Cetera omnia ex nostro illo unico exemplari, non sine magno

labore ac tædio, expressa sunt, ea plane fide et religione, ut quodammodo verendum nobis videam, ne superstitioni plerique aut negligentiæ, nonnulli etiam imperitiæ ascribant, quod veteris scripturæ vitia interdum retinere maluimus, quam conjecturis ex ingenio emendare,' cet. Simile rectumque, opinor, judicium de *Scholiis* illis alii quoque tulere viri docti, v. c. Henninius, qui non male ea *Veterum Scholia* vocari jubebat, et Ernesti, qui ad Fabricii Bibl. Lat. T. II. p. 360. hæc annotavit: 'Non unius auctoris esse, quæ P. Pithœus sub *veteris Scholiastæ* nomine vulgavit, satis est perspicuum. Ante Pithœum quædam vulgaverat Ge. Valla, quæ *Probo* auctori tribuit. Sed Valerii Probi, Berytii Grammatici, esse nequeunt, quæ in quibusdam aperte sapiunt ævum Imperatorum Christianorum.[1] Itaque fuerint alterius Probi, scriptoris

[1] Exempla, ad quæ Ernesti respexit, jam excitarunt alii. Sic Pithœus, quod ex verbis ejus supra ascriptis conjicio, huc retulisse videtur Scholia: 1. ad Sat. XIV. 102. 'Moyses, sacerdos, vel rex ejus gentis, aut ipsius quidem religionis inventor; cujus Cornelius etiam Tacitus meminit.' 2. ad Sat. XIV. 78. '*partemque cadaveris* hominum. nam antiqui *crucibus* figebant.' Ad quæ verba Pithœus contulit Augustin. Quæst. in Vet. Testam. 'Antea homines cruci figebantur, quod postea edicto prohibitum manet.' Hoc vero edictum Constantino tribui monet a Scriptoribus Historiæ Ecclesiast. 3. ad Sat. VIII. 170. 'Rhenus inter Allamanniam et Gallos Oceano influit.' Ibi Pithœus ascripsit verba Spartiani sub Proculo: 'Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur.'— Alia hujusmodi Scholia notavit jam Schurzfleisch. in Spicileg. Animadverss. ad Juven. Satt. XVI. v. c. illud ad XI. 87. in quo ex usu ætatis Constantini M. *magister exercitus* h. e. militum, *στρατηλάτης, στρατοπεδάρχης*, et duo alia, in quibus *Diocletiani patricii* memorantur; nec non ad Sat. v. 17. 'Apud veteres *accubitorum* usus non erat, sed in lectulis *discumbentes* manducabant. tres autem lectuli erant, in quibus discumbebant: unde hodie *triclinia* appellantur.' Ad h. l. Schurzfl. hæc annotavit: 'Vetus Schol. monet, veteres non habuisse *accubita* h. e. *στρωμνὰς εἰς ὕψος ἠρμένας*, sedes ad mensam, ad quam accumbitur, sed discubuisse ad mensas. His verbis puto ævum hujus interpretis sequius indicari, quo jam usus increbuit ad mensas considendi: id enim significatur verbis, *unde hodie triclinia appellantur*, cum *triclinium* in glossis biblicis apud Dufresnium exponatur *tres ordines sedium*.' Exemplis his adjicerem alia, si res iis indigeret. Non vero ejusdem Auctoris esse Glossarum illarum compilationem, alii quoque inde probarunt, quod nonnunquam sibi repugnant, v. c. Salmas. in Exerc. Plin. ex Schol. ad IV. 38. et VII. 92. Illud est: 'Hoc convicium in Fl. Domitianum, Titi fratrem, Vespasiani filium, jactat, qui calvus fuit, ut Suetonius refert: propter quod Juvenalis sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Ægypto, Hoasa, ubi mortuus est.' Hoc vero: 'Neronem significat, qui scenicis ob turpem libidinem hæc petentibus præstabat. Propter hunc versum missus est in exsilium a Claudio Ne-

Christiani, de quo Lupus Ferrariensis Epist. 34. et 20. ubi satiram illius memorat, qua Ciceronem ac Virgilium cœlo intulit, contendens Christum morte sua etiam paganis sapientibus profuisse.[1] *Petrum Birthium* Scholiorum in Juvenalem auctorem appellat Gonsalus de Salas ad Petronium p. 130.[2] Sed verius est, centonem esse e variis et a variis consutum, *alicubi*, ut ait Pignorius, *sine delectu*. Et multa alia ejusmodi scholia in Mss. libris præterea occurrunt, quorum etiam nonnulla affert in commentario suo Domitius Calderinus. Lambecius certe lib. VI. de Bibl. Vindobonensi p. 243. narrat, se in veteribus Mss. reperisse scholia ad Juvenalem, quæ a Pithœanis plurimum differrent, ut frustra ex iis medelam locis hiulcis speraverit: quales etiam sunt in Mss. Biblioth. Bernensis, quorum specimina quædam dedit Sinnerus in Catal. Mss. Bibl. Bern. p. 500. sqq. Novissime Jacobus Tollius Juvenalem edere voluit cum scholiaste vetere, tertia parte auctiore, e Codicibus, ut videtur, Vindobonensibus.' Talia quoque *Scholia*, nondum edita, et a Pithœanis diversa, in multis iisque antiquis codd. scriptis Juvenalis tum a nobis reperta sunt, tum ab aliis, v. c. a Nic. Heinsio, apud quem ea vidit Henninius, a Lubino, (v. inf. ad edit. Wechel. Hanov. 1603. et Scalig. Epist. 412.) Barthio, (in optimo ejus Ms. de quo v. illius Advers. XIII. 13. XIV. 16. XLII. 16. LVI. 3.) Elmenhorstio, (v. Scalig. Epist. 464.) Vossio, (v. ej. Etymolog. p. 331.) Ferrario, (qui de re vestiar. II. 1. III. 24. et al. laudat veterem Scholiasten ineditum in Juvenalem, quem Mediolani servat Bibliotheca Ambrosiana) Alexandro Estensi, (v. Hennin. in nott. Variorum ad Sat. VI. 379.) Jan. Douza, (v. Hennin, l. l. ad v. 89. et XV. 5.) pluribusque aliis. Sed ut ad Scholia Pithœana revertar, ea primus descripsit Jos. Scaliger, qui de ea re ita certiorem fecit Is. Casaubonum in Epist. II. 104. 'Laudo quod Glossas veteres ad Persium attexueris. Scito illas ita a nobis excerptas, a Pithœo editas fuisse. Chirographum earum meum una cum veteribus Glossis Juvenalis, quas itidem ex prisco exemplari Juvenalis Pithœano, et ex editione Ge. Vallæ collegeram in ædibus meis Aginrone.' Hæc Scholia non satis concinunt, etsi suspicari possis, in poster. Domitianum, ut sæpe in aliis Schol., vocari *Neronem*, et pro *Claudio Nerone* ex Sat. IV. 38. legendum esse *Calvo Nerone*.

[1] De illis aliisque *Probis* v. Heyne de Editt. Virgilii T. I. p. CXLVIII. edit. sec. et, quem ille laudavit, Burmann. sec. Præf. p. 35. et Tom. I. Anthol. p. 739.

[2] Cornuto Scholia illa assignabat Jac. Cujacius.

ni, invenies apud Puteanos fratres, si modo non periit. Patri enim eorum dedi, et fortasse Pithœus quædam aliter edidit, ac ego scripsi, quod tamen non puto. Ego illarum Glossarum omnium eclogarius fui.' Cf. Scaligerana FF. P. P. p. m. 263. v. *Perse*. Admodum autem corrupte scripta fuisse Scholia illa, jam supra vidimus. Hinc ea emendare conati sunt Pithœus, Rutgersius, Ferrarius, Barthius, Grævius, Rubenius, Vossius, aliique, quorum notas una cum suis ad calcem edit. suæ congessit Henninius. Idem ipsa Scholia textui poëtæ subjecit, sed non rite ac bene tractavit: non enim Pithœi editionem operis librariis excudendam tradidit, in qua omnia, etiam manifeste vitiosa, fideliter descripta reperiuntur, sed Schrevelii, qui sæpe, Salmasiani nominis prætextu usus, suas nobis emendationes obtrusit, quarum justas rationes in notis nec dedit, nec dare potuisset. Ceterum Scholiis illis majus fere pretium, quam quod vere illis est, constituisse crediderim Jan. Rutgersium, qui in Var. Lectt. I. 16. ita de iis judicavit: 'Jam pridem est, cum P. Pithœus eruditissimum *Juvenalis Scholiasten* edidit. Quo beneficio vix dici potest, quantum cultioris literaturæ studiosos demeruerit. Est enim is Auctor, in quo multa ac recondita antiquitatis vestigia deprehendas, quæ non ita aliunde hauriri poterant. Multas easque ignotas nobis affert historias: multa in Juvenale explicat, in quibus hactenus, quotquot Interpretes ejus extant, fœdissime lapsi sunt. Ac longe plura ex eo disci poterant, nisi tam crudeliter deformatus ad nos venisset, ut vix ulla in eo nota extet, quæ non insigni aliquo mendo turpata sit.' Non quidem is sum qui neget, Scholiasten Pithœanum fuisse hominem doctum ac peritum juris, historiæ, religionis, rituumque veterum, qui passim poëtæ mentem recte ceperit, multumque lucis affuderit locis aliquot obscuris. Neque etiam dissimilo, multas ejus annotationes tum priscam ætatem, tum elegantem pulchri sensum prodere, variasque nobis servasse fabulas, historias et opiniones antiquas, quæ alibi frustra quæruntur. Sed idem quoque recte mihi contendere videor, primum longe plurimas ejus explicationes nimis leves ac triviales, tenues et jejunas, subtiles et argutas, alienas et ineptas, obscuras et contortas esse; deinde, quoties fere Juvenalis ad ignotos nobis homines vel eventus sui temporis respiciat et inde materiam petat facetiarum, illum, Acronis, Porphyrionis, aliorumque grammaticorum exemplo, non alia ac plura nos docere, quam quæ ex ipsis poëtæ verbis cognoscere liceat, vel, quia hæc non

intellexerit, commentitias inde ac futiles nonnunquam fabulas componere; præterea eum sæpe non notissimas tantum historias et res pluribus exponere verbis, sed verioribus quoque ac certioribus, quæ Tacitus aliique tradiderint, nugas et commenta, ex perversa horum interpretatione enata, sive admiscere, sive substituere. Neque adeo mira hæc videbuntur ei, qui tum meminerit, mature satis ineptire cœpisse Grammaticos, tum expenderit, quæ supra jam observavimus, exemplar Pithœanum mendosissime fuisse descriptum, et huic Scholiastæ idem accidisse, quod veteribus contigit Grammaticis, tam Græcis, quam Latinis, ut non defuerint, seu scholastici, seu monachi et librarii, qui in excerpendis transcribendisque Scholiis antiqua ac proba modo contraherent omitterentve, modo, innumeris aliis, et plerumque deterioribus ineptisque pannis assutis, fœde corrumperent atque interpolarent. Quæ cum ita sint, parum profecto utilitatis ex hac farragine, quæ *veteris Scholiastæ* nomen præ se fert, percipi potest, nisi ad eam accesseris tam subtili ingenio et tam accurata quoque doctrina instructus, ut, quæ tollenda, quæque relinquenda sint, satis exploratum habeas. Ex his simul intelligitur, quam parum ille videretur operæ pretium facturus, qui infinitam illam Scholiorum multitudinem, multorum Codd. Mss. margini ascriptam, colligere et Pithœanis attexere in animum induceret. Si quis tamen circumspecto rectoque judicio adhibito bona ex iis excerpere ac vulgare vellet, non dubito, quin aliquantum inde fructus capi possit. Mihi quidem ad hoc consilium agitandum exequendumque et animus, et otium, et facultas defuere.

1587.

Pulmanniana IV. *Juvenalis et Persius.* Antverp. *ex off. Chph. Plantini*—1587.

Memoratur Henninio.

1590.

Pulmanniana V. *Junii Juvenalis Satyrarum Libri* V. *Persii Flacci Satyrarum liber unus.* Lugduni *apud Plantinum*—12. 1590.

V. Catal. Bibl. Hasæanæ. Brem. 1732. p. 639. n. 36.

* Pithœi II. (n. 76.) *A. Persii Satyrarum Liber* I. *D. Junii Juvenalis Satyrarum Lib.* V. *Sulpiciæ Satyra* I. *cum veteribus commentariis nunc primum editis. Ex bibliotheca P. Pithœi JC. cujus etiam notæ quædam adjectæ sunt.* (Insigne Andreanum s.

Commelinianum.) Heidelbergæ (ex officina Sanctandreana)—8. 1590.

Est repetitio ed. Paris. 1585. sed emendatior, in qua Commelinus et distinctionem et lectiones pluribus mutavit locis. Vid. Var. Lect. ad v. 91. 142. vi. 82. 114. 127. 320. 330. 369. 402. 524. 537. vii. 23. 46. 124. 236. viii. 66. 90. 122. 123. 239. ix. 146. x. 34. xi. 20. xii. 116. xiv. 45. Socii Bipontini hæc annotarunt: ‘Exemplar hujus ed. servatur hodie in Bibl. Acad. Heidelberg. quod ex libris J. G. Grævii a Ser. quondam Principe Electore Joh. Wilhelmo coëmtis et Academiæ Heidelb. donatis cum ed. Persii Casaubon. Londini repetita superest. Fuit id ante Grævium possessorem Viri quondam eruditissimi, oratoris, poëtæ et politici, Dan. *Eremitæ* († 1613.) qui et vetera Comm. a Pithœo edita multis locis emendavit. Quibus emendd. neque Henninius in Juv. neque Casaubonianæ Persii editor Mericus Casaub. usi sunt.—Fuit quoque exemplar ed. Heidelb. in Bibl. perill. Lud. Bernh. de Zech, Lipsiæ 1780. divendita, teste Cat. p. 61. n. 1003. quod quondam fuerat J. Fr. Christii, qui sua manu marginibus annotatiunculas Fr. *Lindenbrogii* descriptas adjunxit.’ Hoc exemplar, quod nunc in Biblioth. Acad. Lips. est, inspexi et comparavi. In notis Lindenbrogii, (Lindenbruch) præter varietatem lectionis, quæ passim, sed simpliciter et sine indicio auctoritatis vel codicum, e quibus excerpta est, notatur, vicies vel tricies similia veterum scriptorum loca et Turnebi Adversaria excitantur. Sunt itaque pretii admodum exigui, et mihi quidem haud quicquam profuere.

Duæ aliæ hujus anni editiones.

Juvenalis c. n. Pithœi, Paris. *ap. Patisson.*—8. 1590.

et

Juvenalis c. n. Pithœi, Antverp.—8. 1590. laudantur Henninio, qui editionem Heidelb. 1590. seorsim memoravit.

1597.

D. Junii Juvenalis Satyrarum Libri quinque, locupletissima, nec minus utili, paraphrasi illustrati a Federico Ceruto Veronensi, Veronæ—4. 1597.

Hæc editio nullum habet usum criticum, neque interpretatio poëtæ valde juvatur paraphrasi, quæ tamen Augustæ Vindel. 1599. 1600. et 1603. repetita est. Tali quoque paraphrasi Cerutus Virgilium et Horatium illustrare est conatus. *Eam ultra verbalem constructionem raro assurgere*, jam monuit Henninius.

1599.

* *Juvenalis, cum paraphr. Fed. Ceruti,* Augustæ Vindelicorum (non Augustæ Taurinorum, ubi liber impressus dicitur in Fabricii Bibl. Lat.) *ex officina typographica Joan. Prætorii*—4. 1599.

Repet. ed. a. 1597.

Juvenalis, Rostoch.—8. 1599.

Memoratur in Hennin. Ind. Editt. Juven.

1600.

Juvenalis, c. paraphr. Fed. Ceruti, Aug. Vindelic.—1600.

Extabat in Bibl. Soc. Jes. Lovan. et Bruxell. Cf. ad a. 1597.

Ed. Raphelengiana (Lugd. Bat. ex off. Plantin. ap. Rapheleng.) --8. 1600.

V. Bibl. Cordesiana p. 500.

SÆC. XVII. 1601—1701.

1602.

* * *D. Jun. Juvenalis Satyræ sexdecim cum veteris scholiastæ et Jo. Britannici commentariis; quibus accesserunt P. Pithœi, Cœlii Secundi Curionis et Theod. Pulmanni notæ et variæ lectiones: ad calcem adjecta est Sulpiciæ Satyra de statu reipublicæ tempore Domitiani, cum edicto philosophos urbe exegisset.* Lutetiæ, *apud Claud. Morellum*—4. 1602.

Editio recusa a. 1613. et utraque collata a Maittario in ed. Lond. 1716. Cf. sup. ad ed. Froben. Basil. 1551.

Lubini I. *Juvenalis, c. comm. Eilh. Lubini,* Rostocæ—8. 1602.

Laudatur Henninio. Vid. mox ad a. 1603.

1603.

Juvenalis, cum paraphr. Fed. Ceruti, Augustæ Vindelic.—4. 1603.

Cf. sup. ad a. 1597. et 1599.

Gryphii VII. *Persii et Juvenalis Satyræ,* Lugduni *ap. Gryph.* 12. 1603.

V. Catal. Bibl. Zech. p. 69. n. 1171. et Hennin. Ind. Editt. Juven. Editio hæc servatur in Bibl. Helmstad.

Juvenalis, Paris.—4. 1603.

Memoratur Henninio l. l.

Juvenalis et Persii Satyræ cum comm. Theod. Pulmanni et Eilh. Lubini, Lugduni—12. 1603.

Laudatur in Catal. Biblioth. Francofurti d. 8. Jul. 1799. divenditæ.

* Lubini II. s. Wecheliana (n. 77.) *D. Junii Juvenalis Satyrarum Libri* V. *ex duobus manuscriptis exemplaribus et vetustiss. manuscripto Commentario plus quam ducentis locis correcti. Præterea A. Flacci Persii Satyrarum liber unus. Cum analysi et doctissimis commentariis, partim nunc primum, partim de integro editis, Eilhardi Lubini. In fine accessit rerum et verborum index utilissimus.* Hanoviæ, *typis Wechelianis, apud Claudium Marnium et hæredes Joannis Aubrii*—4. 1603.

Lubinus Juvenalem et ad fidem codicum Mss. recensere, et interpretari conatus est, sed impar fuit talibus ausis. Raro notavit varietatem lectionis, et modo hanc, modo illam recensionem superiorem, plerumque Stephani, Gryphii et Pulmanni, secutus videtur. Commentarius autem speciosus verbis, re inanis est, et verbosum prodit nugatorem, qui pleraque non semel, sed bis terve, mutatis verbis παραφράζει, et vanam sæpe alienamque ostentat doctrinam, quæ multa tum obscura non illustrat, tum satis clara et perspicua alienis luminibus affusis obfuscat: quare vix satis mirari possum, quid causæ fuerit, quod recentiores interpretes, Prateus, Schrevelius, Marshall, aliique, hunc commentarium ceteris longe præferendum, et ad verbum fere repetendum aut unice sequendum censuerint. Neque meum modo hoc judicium est, sed Henninii quoque, qui illud his verbis tulit: 'Lubinus inter interpretes nostri poëtæ vulgo celeberrimus est: sed enim loquacissimæ illæ paraphrases cui bono, nisi terendo apud cirratos otio? Indulgendum tamen fuit bibliopolæ, affirmanti avidissime expeti Lubini commentaria, quare vides me sæpissime Lubinum adduxisse. Videtur Lubinus suas Ecphrases in Rostochiensi Academia, ubi professus est humaniores literas, Studiosis in Scholis privatis primum prælegisse; unde adeo turgescere καὶ ταυτολογεῖν didicere: ibi namque istud fieri amat. Inscripsit Justo et Joanni Bredovicis, Equitibus Marchicis, suum laborem, seque fatetur usum *duobus* optimæ notæ *Mss.* exemplaribus, in quorum altero in membrana ascriptus erat *Commentarius Vetustissimus,* quem in Notis suis subinde his siglis, *V. C.*, indicat: ex his Codd. ait Satyras sibi locis plus minus *centum* (at in fronte libri sui *ducentos* jactat) correctas; seque operam dedisse, *ne Juvenalis amplius, tanquam Sphingos aliquod ænigma, legeretur.*' Titulum et Epistolas, a Lubino præfixas, excipiunt ejus oratio de re poëtica, et apologeticus pro Juvenale.

Juvenalis, in Vol. II. Corp. poët. Lat. editi a Sam. Crispino,

Generæ (Aureliæ Allobr.)—4. 1603.

Editio recusa a. 1611. et 1627.

1607.

Juvenalis et Persii Satyræ cum Commentationibus et Paralipomenis B. Autumni. Paris. 1607. *Item Stephani Claverii Commentarius in A. Persii Satyras.* Paris. 1607. *Item Claverii periphrases ænigmaticæ in Juvenalem: adjunctæ Jos. Scaligeri, Lipsii, et aliorum explicationes;* Parisiis, *apud Rob. Fouet*—8. 1607.

Claverii Periphrases quorundam locorum Juvenalis difficiliorum, ab Henninio insertæ Notis Selectis, paucæ sunt, et exiguo vel nulli adeo usui ad interpretationem poëtæ. Cf. Barth. ad Stat. T. I. p. 432. De Autumno recte jam Henninius ita judicavit: '*Bernardus Autumnus* Nitiobrix, in Senatu Burdigalensi patronus, summa cum pompa promittit *Commentationes, Observationes, Paralipomena* in has Satyras a se ex Mss. (si Diis placet) restitutas, omnesque ante eum Interpretes nominatim mox ab initio jactat castigatos. Verum, sine invidia verum mihi liceat dicere, si singuli sua repetitum venirent, nudus remaneret procul dubio ineptissimus rhapsodus, ut Barth. Advers. XXVII. 17. aliisque non sine ingenti merito suo dicitur.'

Juvenalis, cum ind. Langii, Friburgi—4. 1607.

Laudatur Henninio, qui tamen annum forsan vitiose ascripsit. Vid. mox ad a. 1608.

1608.

Juvenalis et Persius, cum Jos. Langii indice omnium vocabulorum, Friburgi—4. 1608.

Jos. *Langii,* Cæsaremontani, Rhetorices et Græcarum Lit. Profess. in Academia Friburgensi, opera posita tantum in conficiendo Indice vocabulorum, (et quidem singulorum tantum) non phrasium, absolutissimo, qui ab aliis deinde editoribus, et ab Henninio quoque, receptus est, sed non adeo magnum habet usum. Similis Index jam in antiquis editt. reperitur; hic tamen plenior est.

1610.

Juvenalis Satyræ, castratæ in usum Collegii S. J. Brunsbergensis, Coloniæ—8. 1610.

Laudatur Henninio et Fabricio.

1611.

Persius et Juvenalis in Vol. I. et II. Corp. Poët. Lat. Crispiniani edit. II. Genevæ—4. 1611.

Vid. sup. ad a. 1603.

1612.

Juvenalis et Persius, c. not. et ind. omnium verborum, Genevæ—12. 1612.

Juvenalis et Persius, cum notis Thomæ Farnabii, Londini—12. 1612.

Editio memorata Henninio, et sæpissime repetita, quia scholarum usibus inserviit. Notæ, margini ascriptæ, breves sunt, et maximam partem ex aliis interpretibus, non magna judicii subtilitate, selectæ; in textu vero et lectio et distinctio parum proba et accurata.

1613.

* *Junii Juvenalis Satyræ sexdecim, cum veteris Schol. et Jo. Britannici commentariis, quibus accesserunt Pithæi, Curionis et Pulmanni notæ et variæ lectiones—Additus est index geminus rerum et verborum omnium absolutissimus.* Lutetiæ, *apud Claudium Morellum, via Jacobæa ad insigne Fontis*—4. 1613.

Vid. sup. ad edit. I. a. 1602.

Juvenalis et Persius, Coloniæ—12. 1613.

Recensetur in Catal. Biblioth. Francofurti d. 8. Jul. 1799. venditæ.

Stephani III. Rigaltii I. (n. 70.) *D. Junii Juvenalis Satirarum Libri* V. *Sulpiciæ Satira. Cura Nicolai Rigaltii.* Lutetiæ, *ex officina Rob. Stephani* III.—12. 1613.

Prima Rigaltii editio, quæ in Bibl. Thuana extabat. Cf. inf. ad edit. II. a. 1616.

1614.

Juvenalis, cum notis Th. Farnabii, Parisiis—12. 1614.

Laudatur Henninio.

* Grangæi (n. 81.) *Juvenalis Satyræ cum comm. Is. Grangæi* Parisiis, *apud Rob. Fouet* 1614. 4. *Juvenalis cum comm. Bern. Autumni.* Paris. 1614. *Juvenalis c. comm. Dom. Calderini,* Paris.—4. 1614.

De *Autumno* vid. ad ed. Paris. 1607. de *Calderino* ad a. 1474. *Grangæi* opera magis ad interpretationem quam ad rem criticam spectat. Commentarius ejus est omnium longe doctissimus, in quo tamen magis ad singula verba et res, ad criticas et grammaticas subtilitates, ad difficilia et pulchra, quam ad ipsum poëtam, h. e. ad totius carminis descriptionem, partiumque inter se convenien-

tiam et ad summam rei conspirationem, in quibus rebus summa poëtæ virtus cernitur, legentium animi advertuntur, et sexcenties tum frustra quæruntur, quæ monenda erant, tum multa, quæ ad poëtam nihil faciunt, ad singulas voces et sententias annotata sunt et operose congesta. Hinc Britannici commentarium, ex quo multa quoque hausta sunt, Grangæano prætulerim, mallemque illum, quam hunc textui poëtæ subjecisset Henninius, qui consilium suum vereor ut multis probaverit hac ratione allata: '*Grangæi*, Gymnasiarchæ Vindocinensis, *Synopses* singulis Satyris præfigi fuit visum, et placuit præ ceteris ejusdem *Notas* cum *Scholiis Veterum* sub Textum recipere, cum non solum abstrusiora Juvenalis feliciter plerumque explicet, sed et vagatus per omne genus Auctorum, Alexandros Neapol., Beroaldos, Brodæos, Canteros, Cujacios, Doozas, Egnatios, Erasmos, Flavios, Floridos, Gyraldos, Junios, Leopardos, Lipsios, Loënses, Magios, Muretos, Parrhasios, Politianos, Ramiresios, Rhodiginos, Turnebos, Victorios, et plurimos alios VV. doctissimos laudet, quorum loca Juvenalem illustrantia magna cum fide frequentat. Sed audiamus ipsum: 'Cum,' ait, 'ex multis nullum juvenibus Juvenale nostro tum curvis moribus corrigendis, tum rectis instituendis, magis utilem nactus fuissem; attentius solito legi: cumque perobscurior, quam mihi proposueram, legenti occurrisset, non tamen destiti, sed eo attentius et cum majori cura volvi iterum, iterumque revolvi, aliquando solum, aliquando Commentariis, ut pannis, involutum, quibus comparandis nulli impensæ, nulli labori peperci; ita ut plures Mss. et omnes commentarios diversorum, qui diversis temporibus in hunc Auctorem scripserunt, triennio quam diligentissime undequaque exquisiverim; ex quibus, et fere ex omnibus Poëtis, Historicis, Oratoribus, Philosophis, quæ ad tanti Auctoris explanationem facerent, collegi, sive ad ea, quæ historiam tangunt, respicias, sive ad morum et verborum puritatem: omnes laudans, neminem lædens, nisi cujus error aut inscitia plane sit intolerabilis.''

1616.

* Stephani IV. Rigaltii II. (n. 70.) *D. Junii Juvenalis Satirarum Libri* V. *Sulpiciæ Satira. Nova Editio, cura Nicolai Rigaltii.* Lutetiæ, *ex officina Rob. Stephani* III.—8. 1616.

Editio hæc nova utrum a priore a. 1613. differat, nec ne, dicere non habeo. Classica autem est, et superioribus præferenda omnibus emendatæ sanæque lectionis nomine; simplici quoque elegantia

et nitore typographico commendanda. De reliqua ejus indole interiore Henninius jam certiores fecit lectores his verbis: 'Eleganti et nitidæ huic Editioni præfigitur doctissima *Nic. Rigaltii de Satira Juvenalis* ad Illustriss. Jac. Aug. Thuanum *Dissertatio*, quam et nostræ editioni in limine præfigendam curavimus. Subjiciuntur ad calcem ejusdem Viri Clariss. in Juvenalem *Notæ*, hasque excipiunt *Notæ aliquot repetitæ lectionis*. Pauculæ sunt Notæ et breviores, sed quæ Prisciani, Servii, Acronis et similium ex Juvenale citationes, nec non nonnullas Mss. Codicum Variantes Lectiones repræsentent.' In notulis plerumque vera poëtæ mens vel tribus quatuorve verbis, vel collatis aliorum scriptorum locis declaratur. Variantes lectiones membranarum bis tantum, aliorumque librorum, nescio utrum scriptorum an editorum, toties vel ter laudantur: quod neque sæpius, neque accuratius, libris designatis, factum esse et miror et doleo; cum Rigaltius haud dubie usus sit opibus Biblioth. Regiæ Paris. in qua certe in ordinem digerenda adjuvit Casaubonum, cuique post hujus mortem præfuit.—Sodales Bipontini duplicem edit. Rigaltinam hujus anni, alteram Persii, Juvenalis et Sulpiciæ in 8. e Bibl. Cordesiana p. 499., alteram Juven. et Sulpic. in 12. e Catal. de la Bibl. du Roi Belles Lettres T. I. p. 318. memorant.

1617.

Persius et Juvenalis, uterque omni obscœnitate expurgatus, in Alex. Ficheti Choro poëtarum, Lugduni—4. 1617.

1619.

Lubini III. s. Wecheliana II. *Juvenalis et Persius, cum comm. Eilh. Lubini*, Hanoviæ, *typis Wechel.*—4. 1619.

Repetitio ed. a. 1603. qua usus est Henninius.

Juvenalis et Persius (c. n. Farnabii) Amstelodami, *apud Jo. Janssonium*—24. 1619.

1620.

* *Junii Juvenalis et Auli Persii Flacci Satyræ, cum adnotationibus* (Farnabii) *ad marginem, quæ obscurissima quæque dilucidare possint. Tertia editio prioribus multo emendatior et auctior.* Londini, *excudebat Tho. Snodham, impensis Joh. Pyper*—8. 1620.

1621.

* * *Juvenalis Satyra* II. (Paris.) *ap. Jo. Libert.*—4. 1621.

Ejusdem typographi impensis excusæ Sat. VI. a. 1622., Sat. XIII. a. 1624., Sat. I. a. 1643., Sat. III. a. 1644., Sat. IV. V. VII. VIII.

sine nota anni, et Sat. XII. ap. viduam Libert. a. 1652. Quæ editiones collatæ sunt a Maittario in ed. Lond. 1716. et modo hanc, modo illam recensionem, plerumque Gryphianam, sequuntur.

1623.

Juvenalis et Persius, cum adnotatt. Tho. Farnabii ad marginem Francof. ad M. vel Hanoviæ—8. 1623.

1624.

Juvenalis et Persius (c. n. Farnabii) Amst.—8. 1624.

1626.

Juvenalis et Persii Satyræ (c. n. Farnabii) Paris.—12. 1626.

1627.

Persius et Juvenalis in Corp. poët. Lat. Crispiniano, ed. 3. Genevæ—4. 1627.

Cf. ad a. 1603. et 1611.

1631.

Juvenalis et Persius cum adnotatt. Tho. Farnabii, Amsterodami —12. 1631.

1633.

Juvenalis et Persius, c. n. Farnabii, Lond.—8. 1633.

Juvenalis et Persius, c. n. Farnabii, Amst.—12. 1633.

1634.

Juvenalis et Persius c. n. Farnabii, Amst.—12. 1634.

Eadem ed. repetita a. 1641. et 1642.

1644.

* * *Juvenalis et Persius,* Parisiis *ex typogr. Regia*—fol. 1644.

Editio collata a Maittario, et splendide excusa prelo Luparensi, ex quo etiam Virgilius, Horatius, et Terentius non minore impensa et nitore exierunt.

Juvenalis et Persius c. n. Farnabii, Paris.—8. 1644.

1648.

* *Juvenalis et Persius c. n. Farnabii,* Amsterodami *apud Jo. Janssonium*—12. 1648.

Schreveliana I. *D. Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Satyræ cum veteris Scholiastæ et Variorum commentariis, accurante Corn. Schrevelio.* Lugduni Bat. *apud Franc. Hackium*—8. 1648.

De hac edit. vid. inf. ad quartam a. 1664.

1650.

Juvenalis et Persius c. n. Farnabii, Amsterod. *typis Jo. Blaeu, sumptibus societatis*—12. 1650.

Juvenalis et Persius c. n. Farnabii, Lugd.—12. 1650.

1651.

Juvenalis et Persius, ex doctorum virorum emendatione, Amsterodami *ap. Lud. Elzevirium*—12. 1651.

Editio videtur digna, quæ inspiciatur.

1652.

Juvenalis et Persius cum adnotat. (Farnabii, et forte Amst.)—8. 1652.

Juvenalis et Persius, Genevæ—12. 1652.

Utraque editio laudatur in Catal. Bibl. Francof. d. 8. Jul. 1799. venditæ p. 70. et 103.

1658.

Schreveliana II. vel III. *D. Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Satyræ, cum Veteris Scholiastæ et Variorum Commentariis, accurante Corn. Schrevelio.* Lugduni Bat.—8. 1658.

Repetit. edit. a. 1648. Utrum vero secunda an tertia sit Schreveliana, dicere non habeo: editio certe a. 1664. est quarta; quod ex Præfat. ejus, quam inf. ad a. 1664. ascripsimus, intelligitur.

1662.

Juvenalis et Persius (c. n. Farnabii) Amst. 12. 1662.

V. Catal. Bibl. Francofurti d. 8. Jul. 1799. venditæ p. 103.

1664.

* Schreveliana IV. *D. Junii Juvenalis*, (Sulpiciæ) *et Auli Persii Flacci Satyræ, cum Veteris Scholiastæ et Variorum Commentariis, accurante Corn. Schrevelio*, (M. D. et Gymn. Lugd. Bat. Rectore) Lugd. Batav. et Roterod. *ex officina Hackiana*—8. 1664.

Editio *cum notis Variorum*, quales a Batavis Sæc. XVII. curari solebant; in quibus multorum notæ larga manu, sine judicio ac delectu, non ubi iis opus erat, sed ubi hic vel ille commentator eas ascripserat, congestæ, et sæpissime vel eadem, quæ plures observarunt, bis terve apposita, vel vulgaria, aliena, ac falsa, excerpta sunt. Ejusmodi quoque editio est illa, quam Henninius a. 1685 curavit, nisi quod tum plures, et suas et aliorum, notas adjecit, neque, quod omnino probandum, *Lubini* et *Farnabii*, (de quibus v. sup. ad a. 1603. et 1612.) sed *Grangæi*, *Britannici* et *Domitii Calderini* commentarios dedit integros, tum Variorum notas non ad quævis poëtæ loca, ad quæ spectant, omnes et singulas, sed potius singulatim, ita ut unum Commentarium, et quidem totum, alter

excipiat, descripsit: qua perversa ratione dici non potest, quam molestum difficilemque reddiderit editionis suæ usum. Idem in textu et ipsius poëtæ et Scholiastæ Pithœani exprimendo secutus est recensionem Schrevelii. Hujus itaque operam, in Juvenale edendo collocatam, ut penitus perspectam habeant lectores, Præfatio ejus digna videtur, quæ apponatur. Est vero hæc: 'Cum hunc Auctorem publici juris facere decrevissem, aliquot viris nomine ac fama celeberrimis, mentem consiliumque meum aperui, et obnixe petii, ut, si quid in hunc Auctorem observassent, communicare mihi dignarentur, honorificam eorum mentionem pollicitus, quo Auctor hic, reip. literariæ bono, auctior tersiorque lucem aspicere posset. Plurimi hoc meum consilium approbarunt, et currenti, ut ita dicam, calcar addiderunt, promissisque lactarunt, nihil non polliciti. Interim tum, ut et antehac, comperi, verissimum esse quod vulgo fertur: *Promissis posset quilibet esse dives.* Nihilominus quod inceperam, gnaviter absolvere perrexi, et notas variorum Auctorum, quas in meum usum collegeram, in ordinem digessi, et ad incudem revocavi, collatis inter se diversorum notis, selectiores selegi, et præcipue quæ ad mentem Auctoris recte percipiendam et illustrandam maxime conducerent. Jam vero quod ad textum Auctoris attinet, correctissimum et nitidissimum, si unquam ante, tibi trado. Varias etenim accuratissimasque editiones, collatis inter se exemplaribus, inspexi, examinavi, et ex illis præcipuas judicavi *Rob. Stephani* et *Pithœi* editiones, quas etiam præ ceteris tanquam correctissimas elegi. Et quod silentio non involvendum, usus etiam sum duobus exemplaribus Mss. quæ Vir nobiliss. ac incomparabilis Cl. *Salmasius* mihi suppeditavit, cui uni fere et soli debeo, si quid nominis ac famæ hæc nostra editio merebitur: quique insuper veterem Interpretem propria sua manu, multis in locis castigatum emendatumque summa cum humanitate ultro mihi obtulit; et ad quem sæpissime tanquam ad Oraculum confugi, si quæ loca essent, vel ab Interpretibus intacta, vel intricatiora, candide tum ibi mentem suam aperuit, nihilque quod proposueram celavit, sed semper voti compotem dimisit.—*Gudius* mihi etiam duo Mss. exemplaria commodavit, quæ cum hac nostra Editione contuli, et, si quid notatu dignum, in textum intuli. Veterem ergo Scholiasten etiam integrum, et plurimis in locis ita ut diximus emendatum, trado. Inter commentatores omnes, quibus usi sumus, *Lubinus* præ ceteris mihi placuit, et ne quid illius laudibus detrectem, mihi-

que arrogem, ubique fere et citavimus et adduximus, ita ut et illum integrum etiam, sed contractum quasi, exhibeam: ut et *Farnabii* notas etiam integras damus. Interim si quæ loca inciderent, quæ et plurima sunt, ubi non satis clare mentem Auctoris asseculi illi sunt, alios suggessimus adduximusque, qui vicem eorum supplerent: inter quos præcipue *Britannicus*, *Grangæus*, *Turnebus*, *Salmasius*, aliique complures, præsertim *hac quarta Editione;* quorum catalogum post præfationem adjunximus. (In eo præterea laudantur Alciatus, Alex. ab Alexandro, Brissonius, Brodæus, Budæus, Canterus, Calderinus, Carrio, Delrio, Dorleans, Douza, Erasmus, Ferrarius, Flavius, Gyraldus, Junius, Lipsius, Magius, Mancinellus, Meursius, Muretus, Parrhasius, Pierius, Pithœus, Pius, Politianus, Pulmannus, Rhodiginus, Rigaltius, Rutgersius, Scaliger, Schegk, Scoppa, Stephanus, Valla, Vossius.)—His accedunt duo Indices, tum rerum et verborum locupletissimus, (immo valde mancus, et in quo magis fere rerum, etiam earum, quæ in notis exponuntur, quam verborum ratio habita) tum et Auctorum in Notis citatorum.' Hæc est præfatio Schrevelii, quam excipiunt vita Juvenalis, quæ vulgo tribuitur Suetonio, et Testimonia veterum scriptorum de eodem poëta. In textu constituendo felicior fuit editor, (plerumque enim secutus est recensionem Rigaltii in ed. Stephan. III. varietatem vero lectionis vix quinque vel sex locis notavit, nec fere nisi his verbis: *alii legunt*) quam in delectu notarum. Scholia autem vetera sæpe pro lubitu et perperam emendavit: et tamen Henninius incaute eum secutus est. V. sup. ad edit. Pithœi I. a. 1585.

1668.

D. Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Satyræ cum annotatt. Th. Farnabii, Amstelædami, *typis Jo. Blaeu, sumtibus societatis*—12. 1668.

1670.

Juvenalis et Persius c. n. Farnabii Amstel. *apud Boomios*—12. 1670.

Qua edit. usus est Henninius.

1671.

D. Junii Juvenalis et A. Persii Fl. (nec non Sulpiciæ) *Satyræ ex doctorum virorum emendatione.* Amsterodami, *typis Dan. Elzevirii, sumptibus Societatis*—16. 1671.

Repetit. forte edit. a. 1651.

* *Juvenalis et Persius cum notis Variorum et Mich. Marollesii, cum ejusd. vers. Gallica*, Lutetiæ— 8. 1671.

1672.

Juvenalis et Persius (c. n. Farnabii) Lugduni—12. 1672.

Laudatur in Catal. Bibl. Frfti d. 8. Jul. 1799. venditæ p. 104,

1680.

Juvenalis et Persius, Roterod.—12. 1680.

Vid. id. Catal. p. 103.

1681.

Juvenalis et Persius latine cum versione gallica Valterii (de la Valterie), Paris.—8. 1681.

1683.

Juvenalis et Persius c. n. Farnabii, Hagæ Com. et Roterod. *apud Leers*—12. 1683.

1684.

Schreveliana v. *D. Junii Juvenalis*, (Sulpiciæ) *et A. Persii Flacci Satyræ, cum Veteris Scholiastæ et Variorum Commentariis, accurante Corn. Schrevelio*. Amstel. *ex off. J. H. Wetstenii*—8. 1684.

Hæc editio prioribus auctior est, adjectis varr. Lectt. cod. Basil. et Grævii notis, sed paucis tantum et criticis. Cf. ad a. 1664. Præter hanc edit. a sociis Bipontinis alia memoratur h. a. nec nisi his verbis: *Schreveliana*, Amstel. 8. 1684.

* *D. Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Satiræ, interpretatione ac notis illustravit Ludov. Prateus, Rhetoricæ Professor emeritus, jussu Christianiss. Regis, in usum Sereniss. Delphini*, Parisiis, *ex typogr. Freder. Leonard, Regis, Sereniss. Delphini, et Cleri Gallicani typographi, via Jacobæa*—4 maj. 1684.

Prateus inter meliores Juvenalis interpretes, eosque qui in Delphini usum commentati sunt, referendus est, et contextui poëtæ paraphrasticam *interpretationem*, huic vero copiosas subjecit *annotationes*, maximamque partem ex aliorum commentariis excerptas, quibus et summam cujusque satiræ nexumque sententiarum, et obscuriora loca, verba ac res explicare conatus est. Multa tamen immiscuit tum vulgaria, tum falsa et aliena: quæque res postulabat, sæpe non monuit: permultos quoque versus, nimio castitatis studio, et exemplo aliorum, (v. ad a. 1610. 1617. 1685. 1689. 1697.) resecuit; sed eosdem perperam et imprudenter in unum locum congestos ad calcem editionis suæ rejecit: nam qui his lautitiis pascuntur, eas in

tali lance satura appositas cupide devorant. Præterea omnis fere opera ejus in commentando versata est, non in textu emendando, et passim revocata lectio, quam Pithœus, Rigaltius aliique jam recte respuerant. Henninius in Præf. sua hæc notavit: 'Pratei Editio tum demum in has regiones est allata, cum omnes Notæ essent absolutæ: quare nihil innovare sustinui; et, ut apparet, ille usus est fere iisdem Commentariis, quos et nos attulimus.' Recusa est Pratei editio Rhotomagi 1685. Lond. 1691. 1699. 1708.

1685.

Henniniana I. *D. Junii Juvenalis Satyræ, scholiis veterum et fere omnium eruditorum, qui ex professo in eas scripserunt, commentariis tam antea vulgatis, quam novis—illustratæ.—Omnia sigillatim recensuit, concinnavit, et sua illis spicilegia adjecit Henr. Christ. Henninius.* Ultrajecti, *ap. Rud. a Zyll.*—4. 1685.

Vid. inf. ad edit. II. a. 1695.

Juvenalis Satyræ omni obscœnitate expurgatæ. Turonibus *ap. Phil. Masson.*—12. 1685.

V. Catal. de la Bibl. du Roi. Bell. Lettr. T. I. p. 419.

Juvenalis et Persii Satiræ in usum Delphini cum interpr. et notis Ludov. Pratei, Rhotomagi—4. 1685.

Hujus edit. mentionem fecit Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 362. (Lips. 1773.) ubi præterea monet, illam cum notis deinde ac perpetua interpretatione Jos. Juvencii S. J. prodiisse auctiorem Rothomagi 1709. Mentem ejus non cepisse videntur Socii Bipontini, qui observant, Juvencii editionem ortam esse ab ea, quæ Turonibus hoc anno prodierit.

Juvenalis et Persius, Antverp.—12. 1685.

Ita Catal. Bibl. Frfti d. 8. Jul. 1799. venditæ p. 104. Editio hæc extat etiam in Bibl. Jenensi.

1689.

Persius et Juvenalis cum paraphrasi gall. Tarteroni S. J. Paris.—12. 1689.

In hac quoque edit. omissa sunt loca obscœniora. Versio Tarteroni repetita Amst. 1695. Paris. 1706. 1729. 1737. 1752.

1691.

Juvenalis et Persius in usum Delphini, cum interpr. et n. Pratei, Londini—8. 1691.

Vid. ad a. 1684.

1695.

Persius et Juvenalis cum vers. gall. Tarteroni, Amst.—12. 1695.

Ita Fabric. et ex eo alii. Sed Paris. 1695. hæc versio repetita est, ut ibidem sæpius, si fides habenda Catalogo Bibl. Frfti d. 8. Jul. 1799. divenditæ.

* Henniniana II. *D. Junii Juvenalis Aquinatis Satyræ, cum Scholiis Veterum et Commentariis integris, selectis et conquisitis fere omnium Eruditorum, ut Grangæi, Britannici—Henninii. Accedit A. Persii Flacci Satirarum Liber. Isaacus. Casaubonus recensuit, et Commentario Libro illustravit.* Lugduni Bat. *apud Petrum van der Aa, Bibliopolam*—4. 1695.

Repetitio edit. Ultraject. a. 1685. quæ omnium præstantissima est, et curata ab Henr. Christ. *Henninio,* Historiarum et Eloquentiæ in Acad. Duisburg. Professore, qui a. 1706. e vita discessit. Quæ ea contineantur, docet hæc Tabella, Præfationi subnexa: I. *Prolegomena,* quorum Sectio 1. habet Vitam Juvenalis a Suetonio scriptam, cum notis Pithœi et Henninii. 2. Testimonia Veterum et judicia Doctorum et Juvenale. 3. Rigaltii Dissert. de Satyra Juvenalis. 4. Indicem (octo) codd. Mss. Juvenalis; (qui a nobis in Var. Lect. numeris 2—7. 28. et 29. designantur) Editionum tam vulgatarum, quam promissarum; (qui admodum brevis et mancus est, de quo v. sup. ad ed. Lips. 1498.) Versionum; nec non Variantium Lectionum (quæ deprehenduntur tum in octo illis codd. Mss. tum in editt. Grangæi, ac Stephani I. et II. nam plures editt. non collatæ sunt ab Henninio; et aliorum quidem codicum lectiones, sed, quæ perversa ejus ratio est, seorsum ab illo memorantur in excerptis Pithœi, Rigaltii, Mancinelli, Vallæ, Lubini, aliorumque notis). II. *Juvenalis Satyræ* XVI. cum *Scholiis Veterum,* et *Is. Grangæi* Commentariis, cujus et Synopses singulis Satyris præmittuntur, pag. 1—402. III. *Jo. Britannici* Commentaria, in quibus, præter immixta Cœlii Secundi *Curionis* Scholia, etiam reperiuntur meliora ex Ge. *Merulæ* Enarrationibus excerpta, pag. 404—677. IV. *Th. Pulmanni* Annotationes, p. 678—689. V. *P. Pithœi* Variæ Lectiones p. 690—696. VI. *Nic. Rigaltii* Notæ, p. 697—708. VII. *Dom. Calderini* Commentaria recognita, in quibus non solum multæ veterum Mss. Glossæ, sed sine iudicio, comparent, verum etiam meliora ex Angeli *Sabini* Quæstionibus super Juvenale, p. 709—752. VIII. *Notæ selectæ* ex Ge. *Vallæ,*

Ant. *Mancinelli*, Iod. Badii *Ascensii* Commentariis, Hadr. *Junii* Scholiis, *Lubini* et *Autumni* Commentationibus, et denique Th. *Farnabii* annotatt. p. 753—895. IX. *Sylloge Notarum Variarum* Is. Vossii, Oct. Ferrarii, Cl. Salmasii, Jo. Ge. Grævii, nec non Casp. Barthii, Sam. Bocharti, Steph. Claverii, Lud. Dorleans, Jos. Ant. Gonsalii de Salas, Jo. Fred. Gronovii, Nic. Heinsii, Jac. Ouzelii, Phil. Rubenii, Jan. Rutgersii, Jos. Scaligeri, Casp. Scioppii, Ez. Spanhemii, Jo. Gerh. Vossii, aliorumque quamplurimorum p. 896—940. X. *Theod. Janssonii ab Almeloveen* animadversiones, (quas tenues esse et ferme extemporales aut sub manu quasi natas, auctor ipse non minus vere, quam candide profitetur,) p. 941—945. XI. *Henr. Christ. Henninii Spicilegia*, (quibus potissimum res historicas vel mores illius ævi, et nonnunquam reconditum Juvenalis sensum illustrare conatus est,) p. 946—968. XII. *Peplum Notarum ad Scholia Veterum*, contextum ex Notis partim Variorum, Oct. Ferrarii, Jo. Ge. Grævii, Casp. Barthii, Sam. Barthii, Lud. Dorleans, Th. Munckeri, Phil. Rubenii, Ger. Jo. Vossii, aliorumque, partim integris P. Pithœi Notis, Jani Rutgersii Emendatt., Theod. Janss. ab Almeloveen Animadversis, et Henninii Spicilegiis p. 968—980. XIII. *Index* absolutissimus omnium vocabulorum, quæ in Juvenalis Satyris reperiuntur. (et quidem Langianus, de quo v. sup. ad a. 1608.)—Hæc est summa vasti hujus operis et celebratissimæ editionis. Cujus si externam speciem consideres, nitidissima est, si internam indolem, et hic cognosces, non omne quod niteat aurum esse. Vere eam dixeris indigestam vanæ speciosæque doctrinæ farraginem rudemque rerum inutilium molem, de qua nihil aptius dici potest, quam quæ leguntur in: Bibliotheque ancienne et moderne, pour server de suite aux Bibliotheques Universelle et Choisie, par Jean le Clerc, à Amst. 1718. 12. T. IX. p. 113. 'Feu Mr. Hennin, qui a fait un abregé de ce, que les Interpretes ont dit, n'a fait que ramasser un fatras de bagatelles, dont il est même difficile de se servir, parce qu'il les a mises à part, à la fin du Poëte, sous le texte duquel il s'est contenté de mettre l'ancien Scholiaste et le Commentaire de Mr. Jean des Granges. Il n'y a pas assez de notes, pour entendre le Poëte, et il y en a beaucoup trop, pour les lire. Quand on trouve un passage obscur, et qu'on se donne la peine de chercher ce qu'en ont dit tant d'Interpretes, on a le chagrin de ne trouver rien, qui satisfasse, ou qui soit appuyé par de bonnes preuves.' Conf. *Lengnichii Beiträge zur Kenntniss seltener Bü-*

cker T. II. p. 134—141. et quæ nos supra monuimus tum de singulis commentatoribus, Sabino, Calderino, Merula, Valla, Britannico, Grangæo, Lubino, Farnabio, aliisque, tum de Scholiis veteribus eorumque recensione ad edit. Pith. a. 1585., et de editionibus Schrevelianis et cum notis Variorum ad a. 1664. Posteriore etiam loco jam diximus, Henninium non novam nobis dedisse, neque ipsius poëtæ, neque veteris Scholiastæ, recensionem, quæ ipsi in titulis recentiorum editt. tribuitur, sed, quod ipse principio Præfationis profitetur, Schrevelianam, paucis tantum locis mutatam, secutum esse.

1697.

Juvenalis et Persius, cum interpret. ac notis Jos. Juvencii (Jouvency) *S. J.* Rothomagi—12. 1697.

Juvencius aliorum exemplo obscœna prætermisit loca, et in Præf. his verbis nos certiores reddidit de consilio suo: ‘ Qui commentarios et notas in Juvenalem ediderunt, alii, quia breviores, ideo *obscuri; alii, quia prolixiores, obtundunt potius quam juvant; alii denique fœdos quosdam locos illustrare contendunt, quos obscurare ac premere debuerant. Hæc tria fugere diligenter studuimus.*’ Cf. ad a. 1685. 1709. et 1715.

1699.

Juvenalis et Persius in usum Delphini, cum interpr. et n. Pratei, Londini—8. 1699.

Vid. ad edit. a. 1684.

Juvenalis et Persius, ex doctorum virorum emendatione, Amstel. *ap. Henr. Wetstenium* 16. s. a.

Hæc editio, ut verba Sodalium Bipontinorum mea faciam, imitatur quidem Elzevirianam, (a. 1651. et 1671.) sed et subinde ab ejus lectione differt.

SÆC. XVIII. 1701—1800.

1702.

Juvenalis et Persius c. n. Farnabii, Roterod.—12. 1702.

1705.

Juvenalis et Persius c. n. Farnabii, Pictav.—8. 1705.

1706.

Persius et Juvenalis, cum paraphrasi gall. Tarteroni, Paris.—12. 1706.

1708.

Juvenalis et Persius in usum Delphini, cum interpr. et n. Pratei, Londini—8. 1708.

Vid. ad edit. a. 1684.

1709.

Juvenalis et Persii Satyræ, commentariis Jos. Juvencii illustratæ, cum appendice de Diis et Heroibus poëticis: editio nova, auctior et emendatior, Rothomagi, *ap. Lallemant*—12. 1709.

Vid. ad a. 1685. et 1697.

1711.

Juvenalis et Persii Satyræ, cum notis et metaphrasi Hetrusca, e regione posita. Edidit Camillus Sylvester, Comes ac Nobilis Rhodiginus, Patavii—4. 1711.

Vid. Journal des Savans 1713. Aout, p. 231. Annum 1712. memorant alii, nisi hæc repetita est editio. Notæ et Diss. sunt doctissimæ et potissimum antiquariæ, in quibus multæ etiam, et antea ineditæ, Inscriptiones exhibentur.

1713.

Persius et Juvenalis in: Operibus et Fragmentis vett. poët. lat. a Maittario editis, Vol. II. p. 884—889. et p. 1142—1166. Londini—fol. 1713.

1715.

Juvenalis et Persius cum comm. Juvencii, Paris.—12. 1715.

Vid. ad a. 1697.

1716.

* *D. Junii Juvenalis et Auli Persii Flacci Satyræ*, Londini, *ex officina Jacobi Tonson et Johannis Watts*—12. 1716.

Hanc edit. curavit *Mich. Maittaire*, qui aliquot contulit editiones antiquas, Rom. pr., Vincent. 1480., Venetas a. 1483. duas, a. 1486. et 1492. Nurnberg. 1497. Lugdun. 1498. Ascens. 1512. Colin. 1528. 1542. Ro. Steph. 1544. 1549. 1616. Gryph. 1545. Vascosan. 1557. Pith. 1585. 1590. Morell. 1602. 1613. Paris. 1644. et Libert. quarum varias lectiones ad calcem ascripsit, et nonnunquam breviter excussit. Inde tamen non multum, ne dicam nihil lucis affulsit contextui poëtæ, sed sæpissime restitutæ sunt pravæ ac vitiosæ lectiones, ab aliis jam emendatæ. Dimidiam fere libelli partem capit Index verborum, similis nostro, sed dimidio minor. Juvenali præmissa est Vita ejus ex Antiquorum monimentis a Probo aut Suetonio concinnata, cum Var. Lect.

1723.

* *D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Satyræ, ex optimis Codicibus recensuit, notisque selectissimis illustravit Thomas Marshall, A. M. Editio nova cæteris emendatior, cui accesserunt nova Argumenta, nec non Dissert. de origine, progressu et regulis Satyræ.* Londini, *prostant venales apud Jo. Hooke ad insigne Iridis auratæ contra Sti Dunstani templum, in vico vulgo Fleetstreet dicto*—8. 1723.

Quomodo in Juvenale edendo versatus sit Marshall, ipse in fine Dissert. illius declaravit his verbis: 'Textum hic castigatissimum tibi exhibemus, utpote cum correctissimis Schrevelii, Lubini, et aliorum editionibus collatum, et ad fidem optimorum exemplarium diligentissime revocatum. Loca plurima corrupta, quantum potui, emendavi, obscura illustravi, et diminuta supplevi. Argumenta etiam nova singulis Satyris præfixi, quæ in plerisque editionibus desiderantur, et in nullis integre, ut decet, exhibentur. Quod ad Notas attinet, licet maximam earum partem contexui, non omnes tamen tibi pro meis vendito: multum Grangæo, multum Britannico, plurimum etiam Lubino me debere profiteor.' Adjectus est brevis Index vocabulorum et phrasium memorabilium.

1729.

Persius et Juvenalis cum vers. gall. Tarteroni, nova editio aucta argum. Satyr. Paris.—8. 1729.

1735.

Juvenalis et Persius, Amst. *ap. Waesberge, Wetstenium, et Smith*—12. 1735.

1737.

Persius et Juvenalis cum vers. gall. Tarteroni, Paris.—12. 1737. Vid. ad a. 1689.

1739.

Juvenalis Satyræ cum vers. Ital. et notis Camilli Sylvestris, in Corp. omnium vett. poët. Lat. cum eorundem vers. Ital. T. XXVIII. Mediolani—4. 1739.

1742.

Juvenalis et Persius, ad fidem optimorum librorum adcurate recensiti. Gottingæ, *ex offic. Acad. A. van den Hoek*—12. 1742.

Eodem anno ex illa officina Catullus, Tibullus, et Propertius prodiere, et a. 1743. Virgilius. Recusi deinde a. 1769. Juvenalis et Persius cura Hambergeri. Editiones istæ dignæ sunt, quæ commendentur, ob curam in vera lectione reddenda positam.

1744.

Juvenalis et Persius, Londini *typis J. Brindley*—12. 1744.

Non minus nitide excusi, quam eodem anno preloque Virgilius et Horatius.

1747.

Juvenalis et Persius, ex recogn. Steph. Andr. Philippe, à Paris, *chez Grangé*—12. 1747.

1749.

Juvenalis et Persius cum Chrestomathia J. P. Milleri. Berolini—8. 1749.

Milleri editiones nitidissimæ, sed non satis emendatæ et parum utiles.

1750.

Juvenalis et Persius, Glasguæ—8. 1750.

Editiones quoque Glasguenses ob nitorem pluris æstimandæ, quam ob indolem interiorem.

1752.

Persius et Juvenalis cum vers. gall. Tarteroni, Parisiis—12. 1752.

Vid. ad a. 1689.

1754.

Juvenalis et Persius ex recogn. Steph. Andr. Philippe, Paris. typis Jo. Barbou—8. 1754.

Repetit. edit. a. 1747.

1760.

Juvenalis Satyra VII. *ad fidem codicis Schwarziani recusa*, Altorf.—8. 1760.

Eam edidit Cl. Will, Prof. Altorf. De cod. Schwarz. v. inf. Recens. Codd. Mss.

1763.

Juvenalis et Persius, Cantabrigiæ—8. 1763.

Omnium editt. nitidissima.

1769.

Juvenalis et Persius, Gotting.—12. 1769.

V. ad a. 1742.

1777.

* *Juvenalis Satiræ*, cum vers. german. eaque paraphr. Berol. et Lips.—8. 1777.

Cf. supr. verss. German.

1780.

* *Juvenalis Satyræ ex recensione Henninii, et Persii Satyræ ex rec. Casauboni,* Norimbergæ, *ex offic. Riegel*—12. 1780.

1781.

* *D. Junii Juvenalis Aquinatis Satyræ, ex recens. Henr. Christ. Henninii. A. Persii Flacci Satyrarum Liber, ex recens. Is. Casauboni, fideliter expressus. Sulpiciæ Satyra.* Mannhemii, *cura et sumptibus Societatis literatæ*—8 min. 1781.

Ad calcem adjectæ vita Juvenalis et Synopses Grangæi: editiones autem Henninii et Casauboni tam *fideliter expressæ* sunt, ut ne manifesta quidem operarum vitia sint emendata, et quæ Henninius jam ipse in fine Prolegom. notaverat. De *recensione Henninii* vide quæ sup. ad ejus edit. a. 1695. dixi.

Socii Bipontini memorant edit. *Paris.* 1783. *ap. Fournier.* 8. Sed ne dixerunt quidem, utrum Persii, an Juvenalis, an utriusque editio sit.

1785.

* *A. Persii Flacci et Dec. Jun. Juvenalis Satiræ ad optimas editiones collatæ, accedit Sulpiciæ Satira.—C. Lucilii Satirographorum principis Fragmenta. Editio accurata.* Biponti *ex typographia Societatis*—8. 1785.

Editio cum a simplici elegantia, tum a diligentia ac studio commendanda, quo illi poëtæ recensiti sunt et indices editionum confecti. Poëtis præter vitam eorum, quæ Suetonio tribuitur, et notitiam literariam, ex Fabricii Bibl. Lat. petitam, præmittuntur Argumenta Satt. et Index Editt. longe auctior Fabriciano et in quatuor ætates digestus p. XVI—L. Juvenalis ætas I. natalis 1470—1499. qua Sabinus, Calderinus, Merula, Valla, et Mancinellus in eum commentati sunt. II. Britannico-Pulmanniana 1499—1585. III. Pulmanno-Pithœana 1585—1648. IV. Schrevelio-Henniniana ab a. 1648 ad nostram usque ætatem.—Ad calcem reperiuntur Indices in Persium et Juvenalem, in quibus tum sententiæ proverbiales moralesque, in iis obviæ, laudantur, tum verba quædam obscura ac potissimum nomina propria explicantur.

Hæ sunt editiones, quæ quidem mihi innotuerunt, omnes: nam etsi multo plures a me, quam ab Henninio, Maittario, Fabricio, ip-

sisque Sodalibus Bipontinis, memoratæ sunt, non dubito tamen, quin aliæ adhuc, mihi nec visæ nec cognitæ, in lucem prodierint, et passim in bibliothecis, sive publicis sive privatis, lateant. Ex earum Indice apparebit, me in antiquioribus recensendis diligentiorem fuisse, quam in recentioribus: neque enim ea potissimum consilii mei ratio fuit, ut omnes ac singulas, sed ut eas potissimum percenserem editiones, e quibus aliquid vel ad contextum Juvenalis historiamque ejus conficiendam, vel ad interpretationem poëtæ adjuvandam, utilitatis redundaret. Restat nunc, ut editionibus singulatim enumeratis, universe quædam tum de stemmatibus et familiis, tum de indole earum subjungam. Quæ quidem tela paucis pertexi poterit verbis, quoniam supra jam ad quamvis editionem, quæ ad illud consilium meum spectat, monui, ad quod earum genus et ad quam classem ea sit referenda. Cum vero multæ editiones, et inter has quædam memorabiliores, v. c. Mediolanenses et Juntina, mihi nondum in manibus fuerint, et quæ a me sint collatæ, quamvis ingens earum numerus sit, non sufficiant ad accuratam textus Juvenalis historiam condendam, cumque ista rei literariæ subtilitas nec otio, nec animo ingenioque meo satis respondeat: non accurate et absolute, sed crassa tantum et pingui, ut aiunt, Minerva omnis hæc opera a me perfici poterit; quam itaque ut æqui bonique consulant viri docti, etiam atque etiam rogo. Meliora forte et perfectiora tempus dabit, si editiones a me non inspectas, alii diligenter excusserint. Multum tamen inde fructus ad ipsum poëtam rediturum esse, vix speraverim.

Romana princeps e codice parum emendato fluxit. Meliores membranæ paulo post adhibitæ in Venetis, a quibus, ut in Virgilio et Horatio, primum Juvenalis lectio ita videtur constituta, ut per omnes propagaretur Sæculi xv. editiones, quamvis harum fere nulla sit, quæ plane conveniat cum superiore aliqua. Magnam potissimum familiam ducit Veneta prima, a. 1475. cum Domitii Calderini, qui etiam codicibus Mss. usus est, commentariis vulgata, ex qua expressæ sunt Venetæ 1482. binæ 1483. 1485. 1487. al. Vicent. 1480. Lipsienses 1497. 1502. 1504. 1507. cet. Ad emendandum deinde Juvenalis textum ope librorum scriptorum accesserunt *Valla* in Veneta 1486., et *Mancinellus* in Veneta Tacuini de Tridino 1492. Illam plerumque sequuntur Venetæ 1491. 1492. (Locatelli). 1498. 1501. hanc vero Veneta 1494. Norimberg. 1497. et Ascensianæ novem Lugd. 1498. 1501. 1507. 1511. 1512.

1515. Paris. 1505. 1512. et 1519. nam *Iodocus Badius Ascensius* in textu Juvenalis, ut et Virgilii Horatiique, parum aut nihil pæne operæ collocavit. Eandem fere recensionem servavit *Britannicus* in Venet. 1499. 1509. 1512. 1515. Brix. 1501. 1503. al. etsi plura in iis novata sunt et correcta. Omnino enim Sæculo XV. magis interpretandi studium viros doctos exercuit, quam critica cura: Juvenalis autem (ut Henninii verba in Præf. ad Domitii Calderini Comm. mea faciam) tantis eo tempore erat in deliciis, ut ille fere doctior haberetur, qui quam plurima acutissimi poëtæ memoria complecteretur, illumque vel accuratius explicare posset, vel commentariis illustrasset; quod etiam intelligitur ex Domitii Calderini Epistola ad Julianum Medicen, a. 1474 scripta, in qua monet, jam tum *in Juvenale interpretando multos bonarum artium studiosos operam posuisse, sed multa, quod ipsi ingenue fuerint professi, non assecutos vel carminis obscuritate vel temporum ignoratione—seque igitur subinde non sine ratione ab aliorum interpretatione discessisse.* Hinc etiam Sæculo XV. plerique *Commentarii* in Juvenalem scripti sunt et editi, de quorum indole jam supra in Editionum catalogo sententiam meam dixi; primum *Ang. Sabini* et *Domitii Calderini* Romæ 1474. deinde *Ge. Merulæ* Venet. et Tarvisii 1478. *Ge. Vallæ* Venet. 1486. *Ant. Mancinelli* Venet. 1492. *Iod. Badii Ascensii* Lugd. 1498. et *Jo. Britannici* Venet. 1499. Qui commentarii sæpius repetiti sunt, tum seorsum, Domitii Calderini Ven. 1475. 1482. bis 1483. 1485. 1487. Paris. 1614. Merulæ Brix. 1486. Mancinelli Colon. 1517. Britannici Brix. 1501. 1503. Venet. 1509. 1512. 1515. 1548. Mediol. 1514., tum junctim, Domitii Calderini et Vallæ Venet. 1491. Merulæ et Domitii Calderini Venet. bis 1492. Mancinelli, Domitii Calderini, et Vallæ Venet. 1492. 1494. Norimb. 1497. Mancinelli, Domitii Calderini, Merulæ, et Vallæ Venet. 1498. 1501. Sabini, Merulæ, Calderini, et Vallæ Venet. 1493. Paris. 1498. Mancinelli et Badii Ascensii Lugd. 1498. 1501. 1507. 1511. 1512. 1515. Paris. 1505. 1512. 1519. Badii Ascensii et Britannici Venet. 1539. 1548.

Novæ melioresque textus recensiones Sæculo XVI. adornatæ sunt ab *Aldo*, *Junta*, *Colinæo*, *Gryphio*, *Rob. Stephano*, *Theod. Pulmanno*, et *P. Pithœo*, qui etiam de Virgilio, Horatio, aliisque scriptoribus Romanis bene meriti sunt omnes, præter Pithœum, cui tamen plurimum debent Juvenalis, Persius, et Sulpicia. In *Aldinis* fundamenti loco positæ videntur Venetæ antiquiores, in primis a.

1486. Aldina prima prodiit sine nota anni, altera, quæ emendatissima est, a. 1501. et tertia, quæ ad priorem plerumque rediit, a. 1535. Ex iis, et quidem, quod mireris, magis ex prima, quam secunda, ductæ sunt *Juntina* Florent. 1513., quam tamen nondum a quoquam critica cum cura et subtilitate excussam esse doleo, *Argentinensis* 1518. 1527. egregia editio, Parisinæ *Sim. Colinæi* Paris. 1528. 1535. 1542. Venetæ *Stagnini* 1530. 1535. Basileensis *Curionis* 1531. *Gryphianæ* Lugd. 1534. 1538. 1546. 1560. Paris. 1545. Lugdunenses *Frellonii* ex rec. *Junii* 1556. 1562. 1564. quæ tamen omnes passim et ab Aldinis, et a se invicem discedunt.

Textum Aldinum expresserunt etiam *Rob. Stephanus* I. in Paris. 1544. 1549. et *Theod. Pulmannus* in Plantinianis Antverp. 1565. 1566. 1585. 1587. Lugd. 1590. sed multa correxerunt ex membranis.

Melior deinde Juvenali lux affulsit opera *P. Pithœi* et *Nic. Rigaltii.* Ille eum magna cum cura criticaque solertia recensuit ad fidem codd. Mss. Lutet. 1585. quam editionem Commelinus repetiit Heidelb. 1590. Maxime tamen omnium de integritate contextus Juvenalis promeritus est *Nic. Rigaltius*, cujus editionem *Rob. Stephanus* III. Lutet. 1613. et 1616. prelo suo excudendam curavit. Is poëtæ, olim magnopere deformato, si non plane veram ac genuinam, certe venustam reddidit faciem, quæ satis placere possit.

Post Pithœum et Rigaltium, adeoque annis abhinc fere ducentis, non fuit fere quisquam, qui multum operæ, vel eam felici successu in Juvenale recensendo poneret. Antiquiores plerumque lectiones asciverunt *Eilh. Lubinus*, a quo tres membranæ in consilium adhibitæ sunt, in editt. Rostoc. 1602. Hanov. 1603. 1619. et *Maittaire* in edit. London. 1716. cujus omne pretium ex variarum lectionum elencho et Indice verborum pendet. Recensio autem Rigaltiana tantum non integra restituta est in editionibus *Schrevelianis* Lugd. Bat. 1648—1684. *Henniniana* Ultraj. 1685. et Lugd. Bat. 1695. (nam Henninius non novam curavit recensionem, sed exemplum Schrevelianum operis librariis excudendum tradidit, et paucis tantum locis correxit, quod ipse profitetur in Præfat.) *Goettingensi* 1769. et *Bipontina* 1785. quæ reliquis emendatiores sunt, nec multum a se invicem discrepant.

Hi fere sunt editores Juvenalis, qui ingenium doctrinamque ad textum ejus emendandum contulere: quorum tamen opera nondum

ille integritati suæ ita restitutus est, ut critica jam cura supersedere liceat. Præter eos fuere etiam inde ab initio Sæculi XVI. qui notas et commentarios, sed parum idoneos, in poëtam scriberent. Quos nunc breviter laudasse sufficiat, cum jam in Editionum indice de iis eorumque laboribus qualemcumque tulerim sententiam.

Commentarios Badii Ascensii, Britannici, et Mancinelli, sæpius repetitos esse Sæculo XVI. jam supra monui. Iis accessere:

I. ANNOTATIUNCULÆ *Cælii Sec. Curionis*, brevis commentarii vice margini adjectæ a Colinæo, Gryphio, et aliis Paris. 1528. 1535. 1561. Crac. 1529. Lugd. 1538. 1556. 1564. Antverp. 1559.

II. SCHOLIA, et quidem 1. ejusdem *Curionis*, quibus tum præterita ab aliis et potissimum Britannico explicantur, tum male intellecta corriguntur, edita cum Britannici comment. a Frobenio Basil. 1551. et a Morello Lutet. 1602. 1613. 2. Alia, tam critici quam grammatici argumenti, scripta ab *Hadr. Junio*, et a Pulmanno apposita margini editionis suæ Antverp. 1565. 1566. 1585. 1587. Lugd. 1590. 3. *Scholia Vetera* s. *Veterum*, quorum dimidiam fere partem Valla Venet. 1486. evulgaverat, et quæ integra edidere primum Pithœus Lutet. 1585. deinde Commelinus Heidelb. 1590. Morellus Lutet. 1602. 1613. Schrevelius Lugd. Bat. 1648—1684. et Henninius Ultraj. 1685. Lugd. Bat. 1695.

III. ANNOTATIONES *Pulmanni* Antverp. 1565. sqq. *Pithœi* Lutet. 1585. *Rigaltii* Lutet. 1613. 1616. *Farnabii* Lond. 1612. 1620. 1633. Paris. 1614. 1626. 1644. Amst. 1619. 1624. 1631. cet. Francof. 1623. Lugd. 1650. 1672. Roterod. 1680. 1683. 1702. Hagæ Com. 1683. *Almelovenii* et *Henninii* in hujus edit. Ultraj. 1685. *Camilli Sylvestris*, *Bahrdtii*, *Abeli*, aliorumque in versionibus Juvenalis.

IV. PERIPHRASES ænigmaticæ *Claverii* Paris. 1607.

V. PARAPHRASES parum utiles *Feder. Ceruti* Veronæ 1597. Augustæ Vindel. 1599. 1600. 1603. *Pratei* Paris. 1684. *Anonymi* auctoris vers. german. Berol. 1777.

VI. COMMENTARII *Lubini* Rostoc. 1602. Lugd. 1603. Hanov. 1603. 1619. *Autumni* Paris. 1607. 1614. *Grangæi* Paris. 1614. *Pratei* in usum Delphini Paris. 1684. Rothomagi 1685. Lond. 1691. 1699. 1708. *Juvencii* Rothomagi 1697. 1709. Paris. 1715. *Marshalli* Lond. 1723. *Oweni* et *Madani* in verss. Angl. Lond. 1785 et 1789.

VII. INDICES *Langii* Friburgi 1607. 1608. Genevæ 1612. *Maittarii* Lond. 1716. et *Sodalium Bipontinorum* 1785.

VIII. EDITIONES CASTRATÆ seu obscœnitate omni purgatæ, *Colon.* 1610. *Ficheti* in Choro poëtarum Lugd. 1617. *Pratei* Paris. 1684. *Massoni* Turonibus 1685. *Tarteroni* Paris. 1689. 1695. 1706. 1729. 1737. 1752. *Juvencii* Rothomagi 1697. 1709. *Oweni* Lond. 1785. 1786.

IX. VERSIONES.

X. OBSERVATIONES *in Juvenalem separatim editæ*, et

XI. INEDITA,

quæ omnia mox singulatim memorabimus, si prius universe pauca dixerimus de his virorum doctorum studiis, et de fructu, quem inde poëtæ interpretatio tulerit.

Toto Sæculo XVI. ne unus quidem commentarius novus exiit in vulgus, sed veteres primum sæpius et variis locis recusi sunt, hisque substituta deinde Scholia Curionis et Junii, multarum editionum margini adjecta a. 1528—1590. et puerilibus dicata studiis, quæ tamen iis valde adjuvari posse nemo facile sibi persuadebit. Neque plus valent vel ad ingenia juvenum alenda vel ad poëtam illustrandum et Periphrases Claverii Paris. 1607. et Paraphrases Ceruti Veronæ 1597. Pratei Paris. 1684. aliorumque, quæ omnino, si breves sunt, ad interpretationem nihil faciunt, præcipue in poëtis satiricis, qui prosa fere oratione utuntur, si copiosæ ac prolixæ, non sine summo tædio legi possunt. Annotationes Pulmanni, Pithœi, Rigaltii, Almelovenii, Henninii, aliorumque sive ad rem potissimum spectant criticam, sive uni tantum alterique loco lucem afferunt.

Sæculo XVII. novi quidem vulgati sunt *Commentarii* Lubini, Autumni, Farnabii, Grangæi, Pratei, Juvencii: sed longe maxima eorum pars vel ex antiquioribus, in primis Britannici, depromta est, vel magis doctam prodit subtilitatem, quam judicii sensusque elegantiam. Intellexere utique viri docti, ad Juvenalis interpretationem non sufficere unius alteriusve loci explicationem, sed perpetuos requiri commentarios, qui nihil relinquerent obscuritatis. Iidem vero perperam sibi persuasisse videntur, se compendiaria via eo, quo tenderent, pervenire posse, si non suum adhiberent judicium, sed alienum fere sequerentur, neque ipsi diligenter circumspicerent, quæ explicare et monere opus essent, sed selectas ex aliis interpretibus notas singulis vocibus, sententiis, locisque asper-

gerent. Qua ratione etsi parum proficitur, nisi tum ab aliis jam omnia satis illustrata sunt, nihilque præteritum est, quod luce aliqua indigeat, tum aptissima tantum et ceteris probabiliora solerter ex iis excerpuntur, non mirum tamen est, eam multis arrisisse, cum tantopere blandiatur et desidiæ, et inani famæ cupidini, quæ alienis gloriari bonis alienisque pennis se exornare amat. Cupidissime illam præ ceteris arripuere Batavi, qui eandem, per se jam satis commodam ac facilem, multo quoque expeditiorem reddiderunt, invecto more Auctorum classicorum vel cum omnibus fere Variorum Notis, vel cum integris virorum doctorum commentariis edendorum. Illam rationem secutus est Schrevelius inde ab a. 1648. utramque vero Henninius a. 1685. compilatores nimis seduli, ne dicam inepti, in quorum editionibus, quæ superiores interpretes ad singulas voces sententiasque illustrandas observaverant, etiam maxime aliena, arguta, vulgaria, et absurda, neque semel, sed sæpius a pluribus verbisque tantum aliis notata, sine ullo animi judicio ac delectu cumulata atque congesta sunt, quibus lector oneratur magis, quam adjuvatur.

Sæculo denique XVIII. non novos poëta nactus est interpretes, præter Marshallum, (Lond. 1723.) qui tantum non omnia debet Lubino, et quosdam eruditos Anglos, Italos, et Germanos, qui versionibus suis annotationes subjecerunt, in quibus multa quidem insunt bona, sed quæ non omnibus lectorum desideriis satis faciunt.

Jam si omnia, quæ a nobis et singulatim et universe dicta sunt, collegeris, facile intelligitur, quam parum adhuc editorum Juvenalis studia tum in emendationem contextus, tum in summam interpretationis profecerint, et quam vere dixerit Fabricius: (in Bibl. Lat. T. II. p. 362. edit. Ernest. Lips. 1773.) 'Cum Henninii editio sit nimis onerata notis, nec ad usum satis apta, cum adeo multis locis sit quærendum, si scire interpretum sententias velis, omninoque nondum satisfactum sit in hoc scriptore: optandum videtur, ut aliquis vir doctus, tum literis Latinis egregie instructus, tum in Satiricis scriptoribus cognoscendis tritus, suscipiat novam editionem, etiam mole minorem Henniniana, et ad eam bene curandam ante omnia libros scriptos et editt. excutiat paulatim, ut materiam ei instituto aptam habeat, per quam deinde et purgare Satiras, et illustrare deinde possit.'

VERSIONES

Omnes Juvenalis versiones recensere, non est consilii mei. Neque etiam otium mihi fuit et facultas earum cum poëta comparandarum, etsi id, ob notas quoque eruditas, (inpr. Oweni et Madani Anglorum, quibus ægre carui) non sine fructu fieri posse crediderim. Recentiores tantum popularium meorum subinde inspexi, et memoravi præcipuas. Qui plures noscere cupit, consulat *La France literaire, ou Dictionaire des auteurs franc. de* 1771—1796. *par Mr. Ersch. Vol. II.* (Hamb. 1797.) *A View of the English editions, translations and commentaries of ancient writers, by Mr. Brüggemann,* (Stettin. 1796.) *J. Fr. Degen's Versuch einer vollständigen Literatur der deutschen Uebersetzungen der Römer,* Altenb. 1794. et al.

I. ANGLICÆ.

Persius and Juvenal translated, with explanatory Notes, by Bart. Holyday, Oxf.—8. 1616.

Juvenal, translated by Rob. Stapleton, Oxf. fol.—1644.

Hæc versio, quæ exhibet tantum VI. priores Satiras, cum animadversionibus iconibusque ære descriptis recusa est Londini— fol. 1660.

Persius and Juvenal translated by Holyday, Oxf.—8. 1673. cum figuris notisque amplissimis.

The Satires of Juvenal and of Persius, translated by Mr. John Dryden. Lond.—8. 1697.

Eadem versio repetita est Lond. 1711. cum fig. æri inc.

The Satires of Juvenal, translated into English Verse, with a correct Copy of the Original Latin on the opposite page: cleared of all the most exceptionable Passages, and illustrated with marginal Notes from the best Commentators. Also Dr. Brewster's Persius, with the Original on the opposite page, and notes from Casaubon, to illustrate the design and method as well as the sense of his several Satires. In 2 *Vols. By Ed. Owen, M. A. Rector of Warrington, and master of the free School in that Town.* London, *printed for Lowndes*—8. 1785. 1786.

Vid. Allg. Lit. Zeit. 1786. P. II. p. 581.

A new and literal translation of Juvenal and Persius, with copious explanatory Notes, by which these difficult Satirists are rendered easy and familiar to the reader. By Mr. Madan. 2 *Vols.* London, *printed by Beckert*—8. 1789.

Vid. Allg. Lit. Zeit. 1791. P. IV. p. 357.

Stepneum quædam Juvenalis Anglico carmine haud inscite reddidisse, monet Fabricius in Bibl. Lat.

II. BELGICÆ.

De Schimpdigten van Jovenalis en Persius vertaald d. Abr. Valentyn, Lugd. Bat.—12. 1682.

Hæc versio denuo typis expressa est a. 1703. Cf. Kœnig. Præf. ad poëm. Canitz. p. 45.

Belgico etiam carmine expressas primum singulas Juvenalis Satiras, (VIII. a. 1679. XI. a. 1695. et XIII. a. 1704.) deinde omnes Harlem. 1709. 8. edidere Sodales literariæ societatis Amstel. cui symbolum *Nil volentibus arduum*, nec non Laur. *Bake* et Petr. *Nuits*. Vid. Boeksaal van Europe 1695. Jul. et Aug. p. 48. tweemaandelyke uyttreksels 1704. Mai. Jun. p. 539.

III. DANICÆ.

Juvenalis Satiram XIV. metaphrasi Danica expressam edidit *Christi. Falsterus*, addita etiam interpretatione sive paraphrasi Latina notisque, Hafniæ 1731. 4. Totum deinde Juvenalem eodem anno, additis etiam notis, Hafniæ—4. 1731.

Vid. Act. Erud. 1733. p. 176. et Biblioth. Germanique T. XXII. p. 184.

Juvenal og Persius om Menneskenes Onsker. To Satirer oversatte af det Latinske og oplyste med Anmaerkn. af F. Plum. Udg. ved Selskabet til de skionne Videnskapers forfremmelse. Hafniæ, *typis Gyldendali*—8. 1790.

Vid. Nyeste Kjobenhavnske Esterredninger om laerde Sager. 1790. Vol. II. p. 568.

IV. GALLICÆ.

Les Satyres de Perse et de Juvenal, traduites en François, avec des annotations, par Andr. du Chesne Tourangeau, à Paris—8 1607.

Les Satyres de Juvenal et de Perse, avec des remarques en latin et en françois, par Mich. de Marolles, (Abbé de Villeloin en Touraine) à Paris—8. 1658.

Hæc versio recusa a. 1671. et 1675. Auctor ejus multos scriptores, et Græcos et Romanos, Gallice, sed parum accurate, reddidit, et eleganter.

Les Satyres de Juvenal et de Perse, traduites par Mr. de la Valterie, 2 Vol. à Paris—8. 1681.

Les Satyres de Juvenal, traduites par Jérome Tarteron, à Paris—12. 1689.

Latinus poëtæ textus e regione positus est, et omni obscœnitate expurgatus.

Traduction nouvelle des Satyres de Juvenal en vers françois. Avec des Rémarques sur les passages les plus difficiles. Par Mr. de Silvecane, Président en la Cour des Monnoyes cet. A Paris. *chez Robert Pepie* (2 Vol.)—12. 1690. 1691.

Les Satyres de Perse et de Juvenal, traduites par Jérome Tarteron, Jésuite, avec le texte Latin. A Paris (Amst.)—8. 1695.

Repet. edit. a. 1689.

Traduction des Satyres de Perse et de Juvenal, par Jérome Tarteron, à Paris—12. 1706.

Traduction des Satyres de Perse et de Juvenal, par Jérome Tarteron, Jésuite, avec le texte Latin. Nouvelle Edition, augmentée d'Argumens à chaque Satyre. A Paris, *par la Compagnie des Libraires*—8. 1729.

Editio hæc recusa Paris. 1737. et 1752.

Les Satyres de Juvenal, traduites par Mr. Dusaulx. A Paris, *chez Lambert*—8. 1769.

Versio hæc recusa a. 1770. 1782. 1796. Ejus auctor a. 1772. edidit etiam: *Les Satyres de Perse, traduites en vers et en prose, pour servir de suite à la traduction de Juvenal; avec un discours sur la Satyre.*

Les Satyres de Perse, traduites en vers françois, par Mr. Taillade d'Hervilliers. Le texte Latin avec une traduction en prose, précédent la traduction en vers. A Paris, *chez Nyon*—8. 1776.

Persio subjuncta est versio metrica Satt. I. II. et XV. Juvenalis.

Les Satyres de Juvenal, traduites par Mr. Dusaulx. Edition II. *et nouvelle, avec un Discours sur les Satyriques Latins, suivi de quelques Réflexions sur l'art de traduire.* A Paris—8. 1782.

In hac Diss. docetur, Juvenalem longe præferendum esse Persio, cujus verba ex vers. Monnieri (*Les Satyres de Perse, avec le texte Latin à coté, et des notes, par Mr. l'Abbé de Monnier,* à Paris, *chez Jombert* 1771.) laudantur. Persii vero vindicias mox scripsit Selisius, (*Dissert. sur Perse par Mr. Selis, Prof. des Belles Lettres au College de Louis le Grand, à Paris chez Fournier* 1783. 8.)

qui venuste etiam vertit hunc poëtam : *Les Satyres de Perse, traduites en vers françois, avec des remarques par Mr. Selis,* à Paris 1775. 8.

Les Satyres de Juvenal, traduites par Dusaulx ; nouvelle édition généralement corrigée et enrichie de notes par l'Auteur. 2 *Vol. gr. en* 4. *pap. vélin superfin, avec fig. de l'imprimerie de Didot jeune.* A Paris, *An V.*—4. 1796.

Les mêmes, 2 *Vol. en* 4. *très-grand papier, avec fig. avant la lettre.*

Hæc editio decem constat nummis Ludovisiis, illa dimidio minoris. Tanti vero sumtus, a typographo impensi, quanto melius poni potuissent!

V. GERMANICÆ.

Antiquior Germanica versio Juvenalis, sed nimis indefinite, memoratur Henninio his verbis : 'Germanica, ut puto, auctore quodam Johnsonio, qui versu reddidit, mihi pæne puero viso, et nonnihil lecta : sed memoria fugit, num omnes Satyras verterit, nec ne ; neque annum memini, nec locum impressionis.'

Versuch einer Uebersetzung der XIII. *Satyre des Juvenals, von Nüscheler.* Zurch—8. 1768.

Die Satiren des Dec. Jun. Juvenalis, in einer erklärenden Uebersetzung. Berlin und Leipzig, *bey G. I. Decker*—8. 1777.

En Lubinum redivivum ! Paraphrasis nimis verbosa est, et sæpe aliena, qua corrumpuntur potius juvenum ingenia, quam formantur et acuuntur.

Juvenal, übersezt und mit Anmerkungen für Ungelehrte versehen von D. Carl Friedr. Bahrdt, Berlin, *bei Fr. Vieweg dem ältern*—8. 1781.

Nova et emendatior editio in lucem exiit a. 1787. Versio iambicis expressa est versibus, et tum elegans, tum plerumque accurata.

Juvenals und Sulpizia's sümtliche Satiren, nebst beider Leben und Summarien nach dem beygefügten Henninischen Grundtext in Verse übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von Fr. Gottfr. Abel, Lemgo, *bei Meyer*—8. 1785.

Versio majore cura, quam ingenio poëtico elaborata, et variis versuum generibus expressa.

Juvenals VIIte *Satyre, übersetzt im : Museum für die griech. und röm. Literatur, herausgeg. von Carl Phil. Conz* III. St. Zürch und Leipzig—8. 1795.

Versio elegantior Bahrdtiana, nec minus fida.

Juvenal an Ponticus vom wahren Adel, übersezt und erläutert von Denis, Wien und Leipzig—1796.

Præclara versio Satiræ VIII. quæ etiam inserta est diario, quod inscribitur: *Deutschland I B. III. St. Berlin bei Unger* 1796. Quis non dolet, unicam tantum Satiram Germanice redditam esse a tali interprete?

VI. HISPANICÆ.

Decima Juvenalis Satira, versa ab Hieron. de Villegas, edita cum fratris Petr. Ferd. de Villegas versione Dantii, Burgis—fol. 1515.

V. D. Luis Jos. Velazquez Geschicte der Spanischen Dichtkunst, übersetzt von Joh. Andr. Dieze, Goetting. 1796. p. 472.

Juvenalis Hisp. versus a Diego Lopez, cum commentario. Madriti—4. 1642.

VII. ITALICÆ.

Juvenalis Italica metaphrasi illustratus a Ge. Summa s. Summaripa Veronensi. Tarvisii—fol. 1480.

Sextam Juvenalis Satiram Italicis versibus reddidit Lud. Dulcis Venet.—8. 1538.

Ita et primas duas vertit *Ascanius Varotarius*, JCtus Patavinus, aliasque *Franc. Rota*, Cremonensis.

Juvenalis Satiræ versibus Italicis redditæ a Frid. Nornio Aretino—1692.

Extant etiam ejusdem Satiræ Latinæ XVI. cum ingenio feliciter ad Juvenalis imitationem confectæ, in quarum edit. Leidensi *Nomius*, non *Nornius* appellatur.

Giuvenale e Persio volgarizzati dal Com. Camillo Sylvestri, Padua—4. 1711.

Vid. sup. ad Edit. a. 1711.

Le Satire di Decimo Giunio Giovenale, tradotte dal Com. Camillo Sylvestri, in Corpore omnium vett. poëtt. Latinorum, cum eorundem Italica versione, T. XVIII. Mediol.—4. 1739.

OBSERVATIONES IN JUVENALEM.

Animadversiones criticæ in Juvenalem et ejus Scholiasten reperiuntur in Obss. Miscell. Dorvill. Vol. V. IX. et X. Non magni sunt momenti, ut nec variæ lectiones duorum codd. Mss. quæ in iis laudantur.

Conr. Sam. Schurzfleischii Spicilegium Animadversionum in D. Junii Juvenalis Satyras XVI. *cura Henr. Leon. Schurzfleischii*

(fratris). *Vinariæ* 1717. min. 8. Liber doctissimus et utilissimus, in quo tum variæ lectiones codicis Ms. Schurzfleischiani, tum multæ bonæque inveniuntur observationes auctoris et aliorum, tam critici quam philologici argumenti, in Juvenalem ejusque Scholiasten. In Præfat. editoris præter vitam poëtæ leguntur hæc verba: 'Frater meus adjutus est non parum Casp. Barthii codice editionis Sanct. Andreanæ, passim tum in poëtæ tum in Enarratoris ejusdem veteris paginis, manu ipsius subnotato, et castigationibus interdum, aliquando observationibus erudite aucto. Codicem etiam veterem cum Domitii Calderini scholiis Venet. 1483. excusum adhibuit, manu viri cujusdam eruditi, cujus nomen quidem ignoramus, hinc inde distinctum, et scholiis e vetusto, ad quem nonnunquam provocat, nescio quo codice aliquando auctum, ex quo interdum Pithœanum in ordinem redegit interpretem glossasque alias selectas in lucem produxit. Maximum momentum fecit membranaceus noster Juvenalis codex scriptus in quarta forma charactere eleganti non minus, quam pervetusto, exaratus. Commentaria simul vetera, sive illa Cornuti sint, ut Jac. Cujacio visum, sive Probi, ut plerisque placet, sive potius scholia sint diversorum neque unius ætatis aut religionis Grammaticorum, reconcinnavit post Pithœum et Schrevelium.' Ille est codex Schurzfleisch. qui a nobis in Var. Lect. (n. 11.) toties laudatur, et tum bonas subinde lectiones, tum Scholia Pithœanis emendatiora exhibet.

Observationes philologicæ in Satyras Juvenalis duas priores, quas—Præside M. Ulrico Sebastiano Beckio Norimbergensi publice disquirendas proponit Joh. Jac. Haas. Altorfii Noricorum 1732. 4. Quod consilium secutus sit Beckius, ipse in Præfamine his verbis declaravit: 'Summa Cel. C. G. Schwarzii humanitas codicem aliquem Juvenalis quartæ formæ membranaceum haud malæ notæ, et cui scholia quædam in calce, et sparsim in margine Satyræ I. allita sunt, nobiscum communicavit. Uti vero locupletissima viri laudatissimi bibliotheca inter alios selectos, non paucos asservat libros ab incunabulis typographiæ impressos: ita etiam aliquot antiqua Juvenalis exempla usibus nostris concessit. (Editt. Mediol. 1474. et 1511. Venet. s. a. et 1486. Vincent. 1480. Locatelli 1492. Nurnberg. 1497. Ald. 1501. Lugd. 1521. Basil. 1531. 1551. Antverp. 1585. Paris. 1535. 1613.)—Placuit Schurzfleischii codicem cum Schwarziano comparare, quocum mirifice consentit. —Omnium vero locorum variantium, multo minus difficiliorum

omnium, curam non habemus, iis solummodo contenti, in quibus a præstantissima Henniniana Schwarzii codex Ms. dissentit; quæ ita tractamus, ut, quantum fieri potest, tersissimum poëtam suæ integritati restituamus, non, ut omnia, quæ obscura videri possunt, exhauriamus.'

Commentatio historico-critica de Codice Ms. Juvenalis Satiras complectente. Ulmæ 1793. 4. Vid. inf. in Recens. Codd. Mss.

Sterkii Observationes in aliquot (quatuor) *Juvenalis loca*, doctæ et criticæ, reperiuntur in Actis liter. Societ. Rheno-Traject. Lugd. Bat. 1793. 8. T. I. p. 173. sq.

Alias virorum Doctorum observationes, per varia dispersas opera, passim laudavi. Plures autem haud dubie inveniuntur in libris, quos consulere mihi non licuit, vel in quorum lectione non occurrerunt oculis meis.

INEDITA ET PROMISSA.

Multa ex iis jam indicavit Henninius in Proleg. Sect. IV. his verbis:

'Præter ea (Scholia) quæ latent in Bibliotheca Mediolanensi aliisque, non possunt non latere hinc inde *Lectiones Publicæ* super Juvenalem, quales Romæ *Muretus*, Leidæ *Cunæus*, *Boxhornius*, aliique variis in locis habuere. *Scholas Privatas*, quas vulgo *Collegia* et *Dictata* appellant, quis enumerabit? Scio tales extare *Aug. Buchneri*, et aliorum. Qui cirratis hunc Poëtam in trivio prælegunt, solent et illi aliquid ad eum allinere, et talia vidi *Ant. Æmilii* quædam. Taceo superioris ætatis Glossatores Monachiscos, quales *Philippinus*, *Magister Martinus*, et alii, qui, ut credo, in privatis quorundam Bibliothecis, præcipue Italicis, latent. Nunc tantum enumerabo illos, qui Publicanda in Aquinatem sunt moliti. I. CASPAR BARTHIUS, quod ipse variis in locis suorum operum testatur, quodque intelligitur ex his verbis Daumii in Epist. XVI. ad Reines. p. m. 52. 'Habeo exemplar Juvenalis cum Scholiaste Pithœi, annotatis a Barthio tam diligenter undique Eruditorum locis, qui hunc emendent, explicent, illustrent Poëtam, ut nesciam, quid desiderari possit amplius, nec chartæ ullum sit relictum ad plura ingerenda spatium, quemadmodum et pari pacto multos alios Auctores ab eo illustratos habeo, testarique possum, pæne integrum hunc et alios memoria tenuisse, tot et tanta inde recitaverat.' II. ISAACUS CASAUBONUS, ut in Persium, ita et in hunc Poëtam est commentatus. Patet id non solum ex iteratis Barthii indiciis, (v. ad

Claudian. et Advers. L. 9.) sed et ex ipsius Casauboni Epistolis: nam Ep. 266. p. 304. et Ep. 260. p. 244. Edit. Græv. promittit Elmenhorstio Collationem cum Mss. suis et Notas. (Cf. Epist. 112. quæ a. 1591. scripta est, docetque, eum tribus Mss. a Dionysio Gothofredo suppeditatis usum esse.) Latent hodie eæ Notæ in Biblioth. Sereniss. Regis Angliæ, quæ Londini est. III. EBERHARDUS ELMENHORSTIUS, ut ex laudatis Casauboni Epistolis apparet, et ipse Notas in hunc Poëtam conscripsit: sed, ne ederet, fecit castigatrix illa Jos. Scaligeri Epistola num. 464. lib. IV. quæ *Amico cuidam*, i. e. Eberhardo Elmenhorstio est scripta, si fides habenda Clavi Colomesianæ in has Epistolas p. m. 158. IV. OCTAVIUS FERRARIUS et ipse ad commentandum accessit, ut fatetur Elect. II. 14. ubi etiam rationes non obscure affert, quæ plenum Commentarium illum domi manere jusserint. V. THOMAS GALE Anglus, ex editis diligentiæ speciminibus in rep. literaria jam clarus, ut audio, meditatur novas notas in hunc Poëtam; immo, ut rectius loquar, meditatus est, adeo ut, nisi fama mentiatur, eas aliquando simus visuri. VI. PEARSONIUS, JCti celeberrimi et doctissimi illius Episcopi, qui in Apostolicum Symbolum tam erudite scripsit, frater, Animadversiones in hunc Poëtam condidit, quæ, ut aiunt, latent apud nobiliss. Stanlæum Londini. VII. HADRIANUS VALESIUS quoque in has scripsit Satyras. Sic enim Ægid. Menagius, apud quem etiam hodie audio extare has, quas dico, Valesii notas, Epigr. 52. p. 89. Edit. 7. Carm. ad Hadr. Valesium canit: *An sensus Juvenalis eruditos Scripto detegis eruditiore?* Cf. not. Grævii in edit. Schrevel. Amst. 1684. p. 901.' Hæc Henninius, qui et paulo post ista subjunxit verba: 'Dabimus forte aliquando Juvenalem emendatissimum forma minuscula cum Paraphrasi non umbratica, sed luculenta, e regione; in qua editione ad hanc quoad numeros accommodata ad imam marginem diligentissime annotabimus Varietatem Lectionis ex variis Codd. Mss., ex Excusis, ex Emendationibus, ex Versionibus: Nomina propria, Singularia, et difficiliora in parvulum indicem conjecta breviter enodabimus.'

Præter eos, quos Henninius laudavit, Juvenalis editionem pararunt: VIII. JO. BURDELOTIUS, cujus et *Hadr. Valesii* notas ad Juvenalem et Persium in lucem prodituras Parisiis scripsit Jac. Bernardus in Novellis Reip. literariæ a. 1700. T. I. p. 357. IX. JAC. THOMASIUS, a quo certe Juvenalem cum cod. Ms. et

vetere editione collatum esse, tradunt auctores Ephemeridum literariarum, quæ Germanice editæ sunt Lips. 1710. p. 603. x. D. CHRISTIANUS REITZER, qui in animum induxerat, Juvenalem recensere ad fidem codd. Mss. et Hafniæ cum notis edere. XI. JO. GOTTL. SAM. SCHWABE, doctus Phædri editor, et Scholæ olim Buttstadiensis Rector, nunc Gymnasii Vinariensis Corrector, qui jam viginti abhinc annis novam Juvenalis editionem publice promiserat, sed omne nunc abjecit consilium. De ejus apparatu critico vid. inf. in Indice Codd. Mss. XII. CRAMER, Prof. olim Kilon. quem diu jam in Juvenale edendo laborasse nuper rescivi.—Novam nunc Juvenalis editionem, quæ propediem in collectione poëtarum Latinorum, in usum scholarum junctis virorum doctorum studiis sumtibusque Goeschianis Lipsiæ edendorum, prodibit, meditatur Cl. *Gurlitt*, Prof. et Director scholæ Bergensis, cujus operam haud dubie præclaram cupide expectamus.

Alia Inedita, quæ ad Juvenalem illustrandum pertinent, sunt: 1. *Observationes quædam Frid. Brummeri Lipsiensis* et *variæ lectiones e codd. Gudianis* ascriptæ margini editionis Schrevelianæ, quod exemplar olim habebat Fabricius. 2. *Jani Dousæ Præcidanea in Juvenalem*, quæ ubi lateant non habeo dicere. 3. *Frid. Lindenbrogii annotatiunculæ*; de quibus v. sup. ad edit. Heidelberg. 1590. 4. *Henr. Schævii paraphrasis Latina*, quam vulgandam receperat Frid. Redtelius, Corr. Scholæ Stetinensis; de quo v. Nova literaria maris Balthici a. 1702. pag. 73. 5. *Frid. Rappolti Prælectiones in Juvenalem et Persium*, quas laudavit Jo. Sam. Adamus in Præf. ad germ. metaph. Persii Dresd. 1674. 8. 6. *Reinesii annotationes ad Juvenalem* ipsius manu ascriptæ ad marginem editionis, quæ extat in Biblioth. Cizensi, cui præest doctiss. Müller AA. LL. M. et Rector Scholæ hujus Misnicæ. 7. *Guntheri Henrici Plathneri Lectionum Juvenalium Libri* V. a. 1637. scripti, qui servantur in Biblioth. Gothana, et a Viris Cel. Geislero et Doeringio, quæ summa eorum benevolentia est, una cum duobus codd. Mss. Gothanis ad me missi sunt, sed magnopere fefellerunt spem meam. Est enim ventriosum quartæ formæ volumen, in quo multa sunt docta, et quædam utiliter monita, sed pleraque vel falsa, vel nimis arguta et aliena, more istius ævi et ad modum Pitisci congesta, quæ magis ad antiquitates Romanas Christianasque exponendas pertinent, quam ad interpretationem poëtæ, qui vanæ tantum eruditionis ostentandæ expromendæque

occasionem præbuit. Meliora et aptiora, tam critici quam philologici argumenti, non sine summo tædio excerpsi: unde *Plathnerum* passim a me laudatum reperies. Quædam ex iis jam antea benevole mecum communicaverat Cl. Augusti AA. LL. M. et nunc Prof. Jen.

HABES jam, Lector, Rupertianum, adjuvantibus Fabriciano et Ernestiano, Recensum Editionum. A nobis, nunc in ordine progressuris, quædam, more nostro, adjicienda sunt.

Infaustum quiddam (*mirum* dicere vetant mores criticorum antiquorum) Juvenali accidisse videatur: nimirum, commentatoribus potius superbire et luxuriare quam florere; et codicibus magis abundare quam nitescere. Editionum numerus, ab artis typographicæ principio ad nostra usque tempora cumulatim crescens, pro certo satis amplus fuit: ex iis vero multæ nil nisi editiones repetitæ sunt, quæ commentarios præcedentes et antiqua scholia sine ullis artis criticæ elegantiis, variasque, sine magno rerum discrimine, lectiones exhibent; textum ipsum raro corrigentes vel illustrantes, immo quidem non modo non emendantes, sed a priori non raro committentes ut degeneret. Ita de commentatoribus et editoribus Juvenalis vetustis conquesti sunt recentiores, ut jam vidimus.[1] Haud multo secus de Codicibus dicendum est: nempe, magnum eorum extare numerum, sed paucos esse valde antiquos, paucos emendatos; messem quidem largam, ut admireris, sed minime frugibus optimis abundantem.

NOTÆ

1 Rupertius de hac re consulendus est, ad Recens. Editt. Juv. ut sup. Editioni Maittarianæ præfigitur 'Syllabus editionum antiquarum, aliarumque, ex quibus Variantes Lectiones collatæ sunt.' Accipias ipsa Maittarii verba, quæ confirmabunt nostra: 'Dumque nusquam antea tot adjumentis usus in usuris exsolvendis non videri parcior studeo, eo res rediit, ut nullum eorum, quos hactenus vulgavi, authorum largiori Variantium Lectionum *farragine* oneraverim.' Dedicatio ad Thomam Rawlinson, Arm. Edit. Lond. 1716.

At quidem, ut in vita hominum, ubi res in pejus ruunt, ibi operarii solent opem solertius et promtius offerre, sic in præsenti. Juvenali fuerant commentatores parum felices, vel materiæ se accommodantes, vel ad rem forsan parati; et codices boni sunt rari, immo rarissimi; non tamen defuerunt qui editiones veteres et codices exteros descripserint. Fabricius et Ernestius[2] editionibus non luxuriant, sed nec sunt aridi; multa et præclara dixerunt de editionibus, etsi quoad codices pæne steriles. De codicibus quos editores singuli, ad opus proprium se accingentes, consuluerint, nullo modo ipsi silent. Quoad editiones, Harwoodus,[3] ut mos est, parcus est; et quoad Juvenalem, parcior quam fieri solet, parcior quam ostendisse se debuit. Alii[4] vero critici et bibliographi hoc in Marte se præbent alacriores; et inter primos, editor doctissimus, Rupertius, tam de editionibus quam de codicibus exteris, multa, a nobis recusa, nuperrime perfecit egregie. Addas, quod, ex quo tempore editio Rupertiana prodiit, Dibdinus noster, in argumentis de Juvenalis editionibus, sedulo feliciterque se exercuit.[5]

Sed ad res nostras nunc redeamus, et eundem tramitem, quem præcedens Recensus, calcemus, cursum prosequentes ubi pedem sistit editio Rupertiana.

Vix opus est in limine præmonstrare, cum tam editiones impressæ quam codices Juvenalis et Persii sæpe conjungantur, sæpe separentur, nos etiam simili modo eos tractaturos. Ubi conjunctim inventi fuerint, eos conjunctim describemus; ubi separatim, eos separatim notabimus. Occasionem hoc requirere, omnibus patebit. Prius vero quam editiones, post recensionem prædictam conditas et vulgatas, consideremus, abs re forsan non alienum erit

NOTÆ

2 Jo. Alberti Fabricii Biblioth. Lat. cura Ernestii, Lips. 1773.

3 A View of the various editions of the Greek and Roman Classics, with Remarks by Edw. Harwood, D. D.

4 Maittarius, De Burius, Audiffredi, Panzerus, et alii.

5 Introduction to the knowledge of rare and valuable editions of the Greek and Roman Classics. London. Edit. 3a.

quasdam proprio loco a Rupertio omissas, nunc dare, et in ordinem secundum annos restituere.

Vidit Lector, nobis apud animum fuisse, omnia quæ in editionibus *Delphiniis*, *Bipontinis*, et *Variorum* præstantissima viderentur, quoad tam formam quam materiam, colligere, et in unam quasi familiam congregare: simulque vidit, Rupertium editiones *Variorum* vehementius reprehendere, non minus posteriorem illam ab Henninio quam priorem a Schrevelio editam. Certe nostro non est in proposito, per fas et nefas defendere editionem *Variorum*, eo minus quod eam non per omnia ipsi approbemus. At etiam si labores Schrevelii et Henninii, in editione illa declaratos, multum commendaverimus, non deerunt nobis inter eruditos qui summis laudibus eosdem cumulaverint.

Multus proculdubio debetur honos ingenio doctrinæque Rupertii; quem in ornando et illustrando Juvenale quam plurimum præstitisse, omnibus in confesso est. At videat vir cl. ne in nonnullis suo se gladio jugulaverit. Henninium multum vituperat: at tamen idem eum mire laudat, immo ad eum sæpe provocat, ejus auctoritate sæpe nixus est, viasque per easdem incessit. Quædam antehac sæpe vulgata, in prima sua Juvenalis editione, ut *crambe repetita*, visa sunt. Et si alii multa præbeant de Satira et Satiricis, nonne ille similiter se gessit? Si præcedentes editores largius commentarios suppeditaverint, nonne ille dedit suos, una cum Excursibus, nec parce? Immo ipse in posteriori editione multa correxit, multa omisit, quædam forsan temere; quædam mutavit in pejus;[6] adeo ut vereamur ne tela sua in se opusque suum rejiciantur, si vel materiam, vel ordinem, vel dispositionem respiciamus.—'Usus autem ejus (*editionis Hennininianæ*) dici vix potest quantopere impediatur eo, quod omnia fere quæ complectitur *seorsim typis* expressa sunt et se invicem excipiunt. Hinc multæ libri paginæ (*immo omnes libri Satirarum*) ad quemvis versum sunt evolvendæ, non sine magna temporis jactura.'[7] Sic

NOTÆ

6 Æquus Lector utrasque editt. Rupertii (n. Lips. 1801. et Gotting. 1803.) consulat, et judicet.

7 Ed. Rupert. 1803. p. 75.

Rupertius conquestus est, et tamen quæ damnat ipse facit. Nos e contra scholia vel notas singulis paginis subjectas, expectatas et jure optimo expectandas, dedimus (more tam *Delphiniæ*, quam *Variorum* Edit.) ut juvenibus idoneas; at simul conatus nostros non tantum juvenibus, sed viris doctis et criticis, spe aptandi et commendandi, multa suo loco exhibuimus, ubi otiose consulerentur et trutinarentur: optima omnia ex optimis colligendi cupidi, multa ex ipso Rupertio, ut statim sub manibus essent, et ad usum hominum curiosiorum parata, contulimus.

Nec miremur si operis bene suscepti et satis admirandi editor cl. captus esset amore, quo viri critici operariorum adjutorum laudibus subtrahere solent, præcedentes deprimendi nimis avidi, ut sua opera clarius et altius erigant. 'Ideoque' (verba hæc sunt Rupertii) 'si inspexeris has editt. breviter a nobis enumeratas, videbis, &c. adeoque desiderari adhuc *editionem*,' &c.

Sunt etiam, ut audivimus, qui nuper quædam in editionibus *Delphiniis* reprehenderunt; nimis acriter, ut nos existimamus; et pro certo pravissime, si prorsus in omnibus. Ne vel nos omnes Delphinias, nec in omni parte, summis laudibus prosequimur. At quidem multiplices Delphiniæ editiones, a diversis criticis formatæ, diversis subsidiis suppeditatæ, et diversis temporis periodis promulgatæ, quid mirum, si non omnes eadem prorsus sapiant? Earum editionum multæ doctius illustratæ, et simul utili forma exhibitæ, multum commendandæ sunt. Et si quædam fiant pretiosæ, eo quod raræ, non minus utiles erunt, eo quod multiplicentur, et jaceant pretia. At quidem vituperet qui velit, et quantum placeat; videat ne temere culpam in nos transferat, quippe qui, ut Lectores nostri agnoscent, etiam ab initio declaraverimus, nos non secuturos fore *textum* Delphiniarum, sed textum qui concinnatissimus et perfectissimus esse judicaretur.—Sed hæc in transitu.

Quod ad editt. Juv. spectat (cetera, ut non nostri officii, præterlapsi, aut leviter tangentes) editionem Bipontinam quam plurimum defecisse notaveramus, et cito nimis per-

scripseramus. Inter enim deliberandum, Rupertium etiam acutius easdem perscrutatum esse, et emendatiores et auctiores reddidisse percepimus. Statuimus igitur ejusdem Recensum nostrum reddere, et Lectori offerre. Profitetur Rupertius, se 'in antiquioribus recensendis diligentiorem fuisse quam in recentioribus: neque enim eam potissimum consilii sui rationem fuisse, omnes ac singulas percensere:' nec quidem nostra est; et multo minus super omnia morari, ubi claudicare vel deficere videatur Rupertius. Et si paucula quædam, et etiam antiqua, ab eo prætermissa paucis denotaverimus, dabit Lector veniam.

In primis, non satis clare, vel etiam recte, designasse edit. Juv. *Principem*, ut vocatur, 'quæ (ut dicit) in Fol. sine nota loci, anni, et typographi, in lucem prodiit, quamque *Romæ* circa annum 1470. typis excusam esse probabili judicio suspicabatur Maittarius—et Hamberger,' non multis verbis commentabimur: sed ita se rem habere, consulenti *Biblioth. Spenc.* apparebit; at pro certo aliam hujus generis non omnino descripsit, aliter *characteristicas* notas proculdubio dedisset, neque aliqua editionum, ab eodem viro docto descriptarum, pro hac sumi possit. Hanc edit. vidimus in Bibliotheca nobili Colleg. Magd. apud Oxonienses per amicitiam eruditi Præsidis M. J. Routh, D. D., et satis percepimus, in ipsis artis typographicæ incunabulis excusam fuisse. Ne moremur Lectorem, indicia non deerant, quibus in sententiam ducti eramus, hunc ipsum librum Magdalensem[8] accipi posse pro *Juvenalis et Persii*, conjunctim, (ut vocant) *edit. Principe;* et, ut verum fateamur, nihil nobis, magis serio deliberantibus, statim occurrit quod in aliam opinionem nos subito inclinet. Hujus editionis exemplare est inveniendum, nec in Bodl. Bibliotheca, nec in Museo Britann., nec apud Cantabrigienses, nec apud Scotos, nec forsan in ulla alia publica Bibliotheca Britannica. Nec quidem occurrit exemplare inter *Romanas* aut *Italicas*

NOTÆ

8 Catal. Hist. Crit. Rom. Editt. a Joh. Bapt. Audiffredi Romæ 1783. et Specimen Hist. Crit. editt. Italicarum, ab eodem, Romæ, 1794.

Editiones Sæculi XV. nec inter cimelia Maphæi Pinelli, ut apparet a Catalogo Baptistæ Audiffredi, et Bibliotheca Pinelliana.[9] Ideoque alia indicia vetustatis prætermittentes, (quorum quidem multa sunt) tetrastichon tantum *characteristicum*, quod transcripsimus, subjicimus Lectori.—A. P. F. Satyrarum Liber finit feliciter.

Gerhardi Tetrastichon ad *Germanos* librarios ingenuos.

Ecce tibi Princeps Satyrarum codice parvo
Persius! arte nova impressus et ingenue.
Felices igitur Alamannos, arte Magistra
Qui studia ornantes fertis in astra gradum.[10]

Sed hæc et talia bibliographis, si qui sint curiosiores et accuratiores, relinquenda judicavimus.

Andreæ Galli etiam edit. Ferrariæ excusa, 4to. 1474. a Rupertio non notatur: et duæ vel tres aliæ sine anni nota, in Biblioth. Spenc. notatæ; una etiam ab Audiffredi.[11]

Nec Juv. Sat. Paris. apud Guillelmum Rubeum, 4to. 1512.

Angeli Sabini Paradoxis in Juvenalem (Romæ, 1474.) a Rupertio notatis, liceat in transitu hic etiam notare aliud (forsan *Paradoxon*) cui Titulus, Juvenal in volgar Lingua per Ripa, sine anni nota ut videtur; de quo, ut nihil novimus, nihil ultra titulum indicamus. Sed vide *Biblioth. Farmerianam*.

NOTÆ

9 Biblioth. Pinelliana, 1789.

10 Hæc apud Oxoniam: Londinum reversi, ad *Biblioth. Spencerianam* nos contulimus. Rara enim hæc avis, (Magdal. Juv. et Pers.) ut a Præside dignissimo acceperamus, permissione Societ. Magd. nobilissimi illius rariorum librorum collectoris, Comitis de Spencer, ut eam acutius et diligentius inspiceret, et suæ Persii editioni compararet, fidei, pro tempore, olim commissa fuerat. Sine catenis abiit, et sine injuriis rediit, immo arte bibliopegi plumis magis decoratis et ornatis. Et curioso exploratori, qui eam accuratius depictam velit inspicere, consulendum est opus illud splendidissimum cui titulus, 'Bibliotheca Spenceriana, or a descriptive Catalogue of the books printed in the 15th century, and of many valuable first editions in the Library of George John Earl Spencer, by the Rev. Thomas Frognall Dibdin.' Persius Spencerianus (vid. op. ejusd. vol. II.) pars altera est, nunc quidem disjuncta, editionis supra memoratæ, et in Biblioth. Spenc. separatim videnda est.

11 Vid. Specimen Hist. Crit. editt. Ital. sæc. XV. p. 422.

Index omnium vocabulorum in Sat. Juv. Paris. 1602. 4to. *Biblioth. Bodl.*

Satyræ VIII. Juv. cum notis Vorstii, Lips. 1675. 8vo. *Biblioth. Bodl.*

Nonnullas edd. ætatis recentioris, et formæ levioris ipse notavit (quales sunt Farnabianæ in variis prælis sæpe recusæ, 8vo. et 12mo. et quam sæpissime a Rupertio designatæ, altera Juvenalis et Persii, 12mo. ex officina Tonsoni, altera ex Brindleiana, cum multis aliis); nobis etiam liceat obiter notare hujusce generis ab eo omissas duas vel tres; n. Dubliniensem, 4to. 1746. ob typum nitidum et textum correctum valde laudatam; Glasguensem, ejusdem anni, ob easdem qualitates commendandam, et Birmingensem, 1761. (typis J. Baskerville) editionem 4to. pulchram simul et rarissimam. His addas Juv. et Pers. Amstelod. 8vo. 1726.

At ne supra metam vagemur, hanc rem non ulterius prosequemur, nisi quod notemus Versiones unam et alteram a viro docto omissas, vel non satis recte descriptas.

Inter Verss. Angl., Juvenalis a Rob. Stapleton, Eq. aurato, Anglica versio, 8vo. Oxon. 1644. a Rupertio descripta, *sex* tantum *priores* satiras continet: edit. 8vo. Londin. 1647. eodem interprete, habet notas, et satiras *omnes:* edit. Lond. 1660. easdem cum icon. *Biblioth. Bodl.*

The Satires of Juvenal translated, with explanatory and critical notes, relating to the laws and customs of the Greeks and Romans, Lond. 8vo. 1777. Angl. Pros. et icones exhibet. In una pag. Juv. Lat. in opposita Angl. Subjunguntur satiris variæ sententiæ ex Horatio collectæ, ubi, ut existimat hic interpres, Persius imitatus est Horatium.—Addas Angl. version. 1739.

Inter Italicas, Juv. et Pers. Spiegati in versi volgati con varie annotazione del Camillo Sylvestri di Rovigo, 3 Tom. Venez. 8vo. 1758.—Le Satire di Giunio Giovenali tradotte dal Sylvestri primum prodierunt cum notis eruditis et metaphrasi Hetrusca Patavii, 1711. De hac edit. clare loquitur Rupertius: de illa silet.

Inter Belgicas, Alle de Schimp-Dichton van D. J. Juv. en A. Persius, door verschyde Dichters berymt.

Observat Rupertius, 'Belgico etiam carmine expressas primum singulas Juvenalis satiras, deinde omnes Harlem. 1709. 8vo. edidere sodales literariæ Societatis Amstelod. cui symbolum, *Nil volentibus arduum.*' At si Rupertio edit. jam notatam mens esset indicare, non satis recte indicavit. Forte fortuna penes nos est, et nunc sub manibus,[12] et habet Persium cum Juvenale conjunctum, ut in tit. et mos est Rupertii ubi ambo in eadem editione exprimuntur, eos in eadem notatione describere. Præterea, nihil hic symboli est, *Nil volentibus arduum,* ni velles Belgici, 'Myn glas loost ras.'

Liber quoad typos et tabulam æneam fronti præfixam nitide est expressus. Subjungitur Præf. Librarii ad Lectorem: Epistola etiam unius ex interpretibus de Satira et Satiricis, et explicatio poëtica æneæ tabulæ fronti præfixæ. Hinc et inde, sed rarissime, notulæ sparguntur; in duobus vel tribus Satiris abundant: similiter fere quoad Persium dicendum sit. Te Haerlem by W. Van Kessel, Boekverkooper, 1709.

Addas Juv. Sat. 8vo. Berlin. 1750. et Gott. 12mo. 1769.

Rupertius desinit a. 1785. (quoad saltem editt.) jure summo Bipontinam editionem, eo tempore vulgatam, multum commendans. Recensu igitur ejus finito recentiores indicare pergimus, sed quam brevissime. Nec quidem petent longum recensum, si Lectores recognoverint Juvenalem obtinuisse per sæculum octavum usque ad præsens tempus nullos interpretes, eos jam descriptos si demas, et unum Parisinum, nisi forsan tales qui editt. repetitas navaverint, vel qui in Versionibus sese exercuerint.—Sed notas nostras breves jam ad Lectores proferimus.

Juv. Satyren; Kallwasser. 8vo. Francofurt. 1790. Et

NOTÆ

12 Inter rariores fortasse videatur. Aliud exemplare non ex biblioth. nec catalogis collegimus: vid. Biblioth. Fagel. Biblioth. Auct. Classicorum Gr. et Lat. Bohte, 1817. ejusdem Catal. 1819. et Catal. Treuttel et Würtz. Refert Rupertius ad Booksal van Europe, 1695. et ad alium, quos non vidimus; sed utcumque hæc sint, notatio Rupertii deficit.

edit. quæ proxima nobis se offert, est hæc ipsa Rupertiana, cui tit. D. J. Juv. Aquin. Sat. XVI. ad optimorum Exemplarium fidem recensitæ, Varietate Lectionum, perpetuoque Commentario illustratæ, et indice uberrimo instructæ, a Ge. Alex. Ruperti. 2 vol. 8vo. Lipsiæ, 1801.

Præter ea, quæ in hoc Tit. apparent, exhibet hæc edit. Codd. Mss. Elenchum, et Commentationes de Vita Juvenalis, de Romanorum Satira et Satiricis Poëtis, horumque principibus, cum aliis quibusdam.

Non nobis opus est, hanc optimam edit. laudibus magnificis nunc temporis extollere, nec requirit propositi ratio, nos aliquid ei detrahere. Textum correctum, concinnatum, elaboratum jamjam satis pronunciaverunt variæ editt. quæ tam apud exteros quam apud nostrates secundum hanc efformatæ sunt. Quædam omissa in edit. subsequenti nos ægre ferre in pagg. præcedentibus non negavimus; an vero critici viri felicioris ingenii et amplioris doctrinæ nobis consentiant, penes ipsos erit. Ubi superflua circumcidantur, et sphalmata corrigantur, vel nova subsidia adhibeantur, erunt qui sibi doctoque viro gratulentur.

Repetita edit. ab eodem Ge. Alex. Rupertio, Gotting. 1803.—Edit. præsentis rationem verba ipsius Rupertii (sub fin. Observationum de Juvenalis Editt.) melius explicabunt, quam nostra: 'Hanc editionem nunc in compendium redegi, eamque rationem secutus sum, ut primum tam varias lectiones tantum non omnes, quam pleraque vel veterum scriptorum loca et exempla, vel virorum doctorum observationes, per opera diversa dispersas, resecarem, deinde in commentario perpetuo permulta et circumciderem, et emendarem, et adjicerem, tum nova subsidia, etiam Græca et critica, circumspicerem et adhiberem, denique ipsum poëtæ textum iteratis curis castigarem, ita ut hæc editio nova plane et emendatior videri possit.' Notandum est, Codd. Mss. exterorum Elenchum esse inter ea, quæ in hac Edit. omittuntur.

Juv. et Pers. Sat. Hal. Sax. 8vo. 1804.

Juv. et Pers. Sat. cum Lucilii Fragmentis. Vind. 8vo. 1804.

Juv. cum Pers. ex Recens. Henninii. 8vo. Manheim. 1806.

Juv. et Pers. cura Hunteri (ejusdem qui Virgil. et Cæsarem accuratissime concinnavit) cum comment. Rupertii et Reineckii, nitide tam quoad typos quam quoad textum correct. 8vo. Edinb. 1806.

Juv. cura Hennin. et Casaubon. 12mo. Nurem. 1807.

Juv. Sat. ad Codd. Parisinos recensitæ, Lectt. Varietatibus, et Comment. perpet. illustravit A. L. Achaintre. 2 vol. 8vo. Paris. 1810.

The Original Text of Juvenal and Persius, cleared of the exceptionable passages, with explanatory Notes and introductory Essays, by Edw. Owen, A. M. A new edition, much enlarged. 8vo. Lond. 1810. — Multum commendanda.

Sat. Juv. XVI. Ex edit. Rupert. 32mo. Oxon. 1814.

Juv. Sat. secundum edit. Rupert. accurate concinnatæ, una cum Persio similiter expressæ, secundum editionem Kœnig. 12. Lond. 1815.

Juv. Sat. in usum Scholarum. 8vo. Hafniæ, 1816.

D. J. Juv. et A. Pers. Flacc. Sat. ex edd. Rupertii et Kœnig. cum Nott. in usum Delphin. In usum Scholarum. 8vo. Lond. 1820. ex Ædibus Valpianis.

Ad hæc, manent pauca de Verss. dicenda.

Les Satires de Juv. traduites par J. Dusaulx. Quatrième édition, corrigée et augmentée de l'éloge historique de Dusaulx, par M. Villentergue. Tomes 2.—De editionibus prioribus hujusce Versionis vid. supra. Hæc edit. comprehendit præfat. pergentem usque ad pag. 42. Discours sur les Satiriques Latins pergit ad p. 212. et cum notes sur le Discours ad p. 250. Pagg. reliquæ horum tom. Juvenalis Sat. sunt repletæ, et notis, quibus uberrime, sed non usque ad tædium, scatent. De l'Imprimerie de Chapelet, 8vo. à Paris, 1803. Eleganter impress.

The Satires of Juvenal, by William Rhodes. 8vo. Oxford, 1801. In versu Runico (rhyme) cum præfat. apta, vita brevi Juvenalis, et notis brev.

The Satires of D. J. Juvenal, translated into English verse (rhyme) by the Rev. William Heath Marsh, A.M. 8vo. Lond. 1804. sine notis.

The Satires of Juvenal, translated into Eng. Verse. By W. Giffard, Esq. 8vo. maj. Lond. 1806. With Notes and Illustrations. Hæc versio primum edita est in 4to. Versio vivida.

Juvenal's Satires, translated into English, 8vo. Lond. 1806. In pros. Ang. cum iconibus.

The Satires of Juvenal, translated and illustrated, by Francis Hodson, Fellow of King's Coll. Cambridge, 4to. Lond. 1807. Hic etiam interpres versu Runico (rhyme) utitur. Singulis sat. præfiguntur copiosa argumenta, et sub finem voluminis notæ multæ.

A new and literal Translation of Juv. and Pers. a new Edit. vid. sup. a Rev. M. Martin. 2 vol. 8vo. Oxon. 1807. Angl. pros. nitide excusa. Cum notis.

The Satires of Juvenal, translated into English Verse, with Notes. By Charles Badham, M. D. 8vo. Lond. 1814. —Versio concinna.

Juvenal and Persius, translated by W. Giffard, Esq. Persius habet similiter Nott. &c. 2 vol. 8vo. 1817.

Hæ sunt omnes verss. quas nobis vidisse et consuluisse contigit.

His addas versionem Germanicam, cui tit. Juv. Satyren, von Otto Graf von Haugwitz, 8vo. 1818.

Nemini expectabitur, inter verss. satirica, quæ, ob materiem, aut vim et severitatem, in Juvenalis morem efformata, appellari possint *Imitationes*, hic inseri debuisse: ob materiem forsan, Boilavii (præcipue ubi vesanos et ineptos poëtas castigat), et ob vim et severitatem, nostri Churchilli; hi enim agmen duxissent. Inter Horatii enim imitatores Alex. Popius est annumerandus. Rupertii ratio

et propositum non in hanc intendebant viam; nec nostra: at quidem, ut variæ satiræ Juvenalis variis interpretibus poëtice versæ et in unum corpus collectæ, (ut a Drydeno nostro cum sociis, et sociis Belgicis, quorum jam mentionem fecimus) jure solent audire *Versiones*, sic *singularum* satirarum Juv. Versiones, *singulis* interpretibus versæ, etsi in nulla Juv. sat. Versione receptæ, eodem nomine debent designari. Multo plures sunt hujusce generis apud nostrates quam quas numerare hic liceat; at ex iis quas nobis vidisse contigit, summi critici, Samuelis Johnsoni,[13] *London*, et *the Vanity of human Wishes*; sat. x. D. J. Juv. poëtica Versio ab erudito Gilberto Wakefield,[14] et sat. iv. et xiii. poët. vers. a duce militari Thoma Morris[15] (non festivo illo et feliciter conviviali poëta, sed fratre ejus natu seniori) maxime, ut nobis videtur, notatu dignæ sunt. Ex hoc numero etiam sunt, apud Italicos, *Giuv.* Satire scelte dal Cesarotti, col testo Lat. 8vo. 1805. Et proculdubio multa alia hujusmodi, de quibus nihil audivimus.

Hactenus de Editionibus et Versionibus.—Sequitur Recensus Codicum Mss. Rupertianus.

NOTÆ

13 The Poetical Works of Sam. Johnson, LL.D.

14 Poetical Translations from the Ancients, by Gilbert Wakefield, A.B. London, 1795.

15 Miscellanies in Prose and Verse, by Capt. Thomas Morris, London, 1791.

RECENSUS CODICUM MSS.

QUI AD RECENSENDUM JUVENALEM ADHIBITI ET VEL AB ALIIS VEL A NOBIS COLLATI SUNT.

(Memorabimus eos secundum ordinem numerorum, quibus in Var. Lect. designati sunt.)

CODICES THEOD. PULMANNI.

2. *Noviomagensis.*
3. *Pulmanni.*
4. *Hadr. Junii.*
5. *Miggrodii.*

Hi a Pulmanno neque accuratius descripti sunt, neque diligenter collati. Vid. supr. ad edit. Pulmanni Antverp. 1565.

CODICES HENNINIO LAUDATI.

6. *Jac. Susii.*
7. *Amstelodamensis.*

Henninius, qui ipse neque membranis usus est, neque editiones antiquas, præter priorem Stephani, contulit, ad calcem Prolegomen. notabiliores dedit lectiones horum codicum, de quorum indole ne unum quidem verbum addit. Illius lectiones editioni Pulmannianæ (a. 1565.) subjectas, hujus ab Almelovenio excerptas esse dicit. Pulmannus vero quatuor tantum codices, nobis modo laudatos, memoravit, neque Susianum memorare potuit: nam Jac. Susius, doctus Jesuita, et Coadjutor spiritualis, anno demum 1588. Brugis natus est, et a. 1639. mortuus Lovanii.

CODICES P. PITHŒI.

8. *antiquissimus Budensis.*
9. *Latiniac.*

De illo vid. supr. ad edit. Paris. 1585. Alterius codicis lectiones subinde enotavit Pithœus, sed nullam ejus notitiam dedit. Aliorum quoque codicum nonnunquam mentionem fecit: qui tamen utrum scripti fuerint, an editi, dicere non habeo.

XVIII. CODICES NUNC PRIMUM ET TANTUM NON OMNES A NOBIS COLLATI.

10. ***Schwarzianus***, nunc ***Altorfinus***,
qui olim fuerat Chr. Gottl. Schwarzio, celeberrimo quondam (ab a. 1709. ad 1751.) Prof. Altorfino, et nunc Altorfii in bibliotheca academica servatur. Lectionum ejus specimina dedit Ulr. Seb. Beckius in *Obss. philol. in Satyras Juvenalis duas priores*, (Altorfii 1732. 4.) ubi pag. 3. monet, codicem esse quartæ formæ membranaceum haud malæ notæ, qui cum Schurzfleischiano mirifice consentiat, et cui scholia quædam tum in calce, tum sparsim in margine Satiræ I. allita sint. Eundem optime scriptum et conservatum esse, docet auctor Vol. II. Biblioth. Schwarz. Altorf. 1769. et ad Sæculum XIII. refert eum Mannert in Miscellaneis, diplomatici potissimum argumenti, German. scriptis editisque Norimb. 1795. Satiram VII. ex illo venerabilis academiæ Altorf. Senior Will in usum prælectt. suarum typis exprimendam curavit a. 1760. Totum vero codicem una cum quinque editt. antt. (Ven. 1491. 1512. Brix. 1501. Lips. 1504. et Argent. 1527.) a principio ad finem exemplo editionis Bipontinæ comparavit Cl. *Nothnagel* Norimbergensis A. L. M. qui, ut honore academico ornaretur, Altorfii d. XXII. Jun. a. 1797. publice defenderat XX. Theses ad poësin satiricam spectantes, promiseratque, se propediem emissurum esse Dissertat. quæ varietatem lectionum ex libris illis excerptam contineret; sed paulo post, cum a Cel. *Kœnig* et *Mannert* Proff. Altorff., quos rogaveram, ut mihi impetrarent usum codicum Norimberg. et Altorfinorum, comperisset, a me editionem Juvenalis parari, iis potissimum auctoribus hoc consilium abjecit, illumque var. lectionum recensum mihi ultro obtulit: quæ generosa Virorum humanissimorum benevolentia nunquam ex animo meo effluet.

11. ***Schurzfleischianus***, s. ***Vinariensis***.
Vid. quæ supra in fine Recensus Editt. Juven. de iis, qui *Observationes in Juven.* scripsere, et de *Conr. Sam. Schurzfleischii Spicilegio Animadverss.* diximus.

12. ***Erlangensis***.
Lectiones hujus codicis excerpendas benignissime curavit Ill. *Harlesius*. De externa ejus forma non certior factus sum. Quod si tamen omnis illius varietas diligenter notata est, videtur ex bono exemplo transcriptus esse.

13. *Ulmensis.*

Integram hujus codicis, plane singularis, recensionem debeo humanitati Cl. *Veesenmeyeri* Prof. Ulm. qui jam specimina quædam lectionum ejus var. ediderat a. 1793. in *Commentat. historico-critica de Codice Ms. Juvenalis Satiras complectente*, et externam ibi indolem illius his verbis descripserat: ' Asservatur, quem diximus, Codex in bibliotheca, quæ ab illustri Schermariorum gente nomen habet, et conditur in editiori summi templi fornice. Continet præter Juvenalis satiras etiam Horatii epistolas, excepta illa ad Pisones scripta, quæ sub Artis Poëticæ appellatione notior est, et Prosperi Aquitanici Poëmatia; de quibus cf. præter alios Leyser in histor. Poëtarum et Poëmatum medii ævi p. 67. Scriptus in pergamena charta, et forma, quam octavam majorem nominant, complicatus constat LXV. foliis, quorum XXIII. Juvenalem exhibent. Quo anno sit exaratus, non adest certum indicium, sed ante medium Sæc. XV. scriptum fuisse, et literarum ductus ostendit, et indicat possessoris nomen. In aversa quidem anterioris tegminis parte conspiciuntur verba: *Markwardo de Baldegg Canonico ecclie Meten.* quæ sine dubio possessorem innuunt. Baldeggiorum gentem in pago Lucernensi olim floruisse, deprehendimus, quo autem vixerit ævo Markwardus, cum ignarissimis nescimus, ideoque inde nihil certi de tempore possessionis elici potest. Sed ante exordium Juvenalis conspicitur in folio singulari pictura, quæ arma gentilitia refert, clypeum nimirum oblique divisum, cujus dextra pars alba, sinistra nigra cum albicante cornu cervino. Clypeo subscripta sunt sequentia verba: *felicis Cantorę Thuriceñ· z p̂positi Solod.* h. e. Felicis Cantoris Thuricensis et Præpositi Solodurensis. Quis iste Felix fuerit, opinamur eruisse; non alium credimus, quam Felicem Hemmerlinum, nobilem Beghardorum oppugnatorem, qui a. 1421. Præpositus Solodurensis, atque a. 1426. Cantor Thuricensis fuerat factus, cujusque etiam tractatum contra Beghardos et Lollhardos in codice Ms. chartaceo habemus. Cf. Allgem. Histor. Lexicon s. voce *Hemmerlen.* Cum vero Malleolus circa a. 1456. in vivis esse desiisset, ut plerique scribunt, (in vivis adhuc erat 1459. teste epistola in Codice modo citato invenienda) necesse est, tum temporis Codicem istum jam fuisse conscriptum. Literæ sunt minusculæ Longobardicæ, frequentibus, sed constanti ratione pictis vocum compendiis. Distinctionis notæ nullæ comparent præter punctum, comma, et interrogationis signum. Prima cujusque Satiræ, loquimur enim tantum

de Juvenalis libro, litera est majuscula rubra, reliquæ versuum initiales atræ, a vocibus, ad quas pertinent, distinctæ, ac duabus inclusæ lineis deorsum ductis, rubro stigmate sunt notatæ. Juvenalis, Horatii, atque Prosperi opera ab una eademque manu scripta, nisi quod a recentiori manu profectæ aut in margine, aut inter lineas explicationes sive glossæ, sed rarissimæ conspiciantur.—Hæc sufficiant ad cognoscendam externam Codicis formam. De interna vero ejus ratione in universum præcipiendum videtur, eum esse non magis bonitate, quam singularitate, si ita dicere fas sit, memorabilem. Habet enim quamplurimas lacunas, minime ubique ex homœoteleutia ortas, disjectiones versuum, diductiones, adjectiones. Quæ omnia unde sint orta, admodum est difficile dictu. Fluxisse codicis textum ex admodum lacero exemplari, vix persuademur; unde enim tot mutationes? Aliam autem esse textus recensionem ab ipso profectam Juvenali, quis credet perpendens et Sat. IV. brevitatem in nostro Msto. octo tantum versibus constantis, et mutationum rationem, et veterum Scholiorum silentium. Alium igitur immisisse falcem in Juvenalis messem, vix est, quod dubitemus.—Quo vero de ipsa Codicis ratione constet, deque ea judicandi sit facultas ac pronuntiandi harum rerum amantibus arbitris, liceat afferre Syllogen variantium lectionum, in collatione annotatarum, quam ad editionem, cura M. J. P. Milleri, meritissimi olim Gymnasii nostri Rectoris, Berolini 1749. vulgatam, utpote in his oris facile obviam aut parabilem, instituimus ea, qua fieri potuit, diligentia, ita quidem, ut ne sphalmata quidem scriptoris omittamus, ut vel inde perspiciatur, qua cura, quave incuria ille scripserit. Abstinemus de industria consultoque, sententiam nostram de iis ferre, quo habeant juvenes, in quo vires experiantur, etiam in hac humaniorum studiorum parte. Exercitatis vero præire, quid esset aliud, quam noctuas Athenas?'

14—16. *Norimbergenses* tres,

quos, una cum edit. Lips. 1502., auctore Cl. Mannerto, comparavit Seybold, doctiss. Conr. Gymn. Norimb. *Codex primus*, membranaceus, idemque antiquissimus emendatissimusque, in splendida bibliotheca Ebneriana asservatur, et mutilus est: desiderantur enim in eo Sat. VI. 269—303. VIII. 1—63. X. 9—70. XI. 152—208. Margini ejus ascriptæ sunt glossæ, sed literis minutissimis, et nonnunquam valde pallidis, vel maculatis, vel adeo rasis, quæ eas lectu difficillimas reddunt. Reliqua, quæ ad hunc Codicem spectant,

manere occupavit Mannert in Miscellan. p. 78. 'Ab initio situ vermibusque corruptus, et passim maculis fœdatus est. Majore literarum charactere, qui Sæc. XII. adhiberi solebat, perspicue quidem, nec tamen eleganter exaratus. Unciales literæ jam more illius Sæc. degenerant: pro *æ* plerumque *ę*, raro simpl. *e*, et *ꝯ* pro *con* substituitur; *ii* cum apicibus, *i* constanter fere sine puncto legitur, distinctionum signa sunt vulgaria illius ævi ! , ; et punctum: lineæ usque quaque stylo ductæ. In duobus foliis penultimis longe alia eaque purior manus, qualis Sæculo XI. propria est, deprehenditur; quam tamen conspicuam faciunt majores inflexiones, crebra *ii*, simpl. *e* pro *æ*, quod interdum occurrit, unciales, cet. In ultimo deinde folio prior redit manus: quod certissimo est argumento, una cum majore scriptura, quæ Sæc. XII. usitatissima erat, minorem quoque eamque rotundiorem superiorum temporum viguisse.' Multæ ejus lectiones sunt bonæ vel memorabiles et singulares, plures tamen sive vulgares sive vitiosæ.

Codices Norimbergenses *secundus* et *tertius* (15. 16.) sunt chartacei, et scholiis instructi inter lineas, sed recentes, e Sæc. XV. (v. Mannert l. l.) neque ex optimo ducti exemplo: habent tamen lectiones nonnunquam notabiles et vix alibi obvias. Ille in 4. et nitide in Italia, hic in Fol. et vitiosissime omnium scriptus est.

17—20. *Guelpherbytani* s. *Gudiani* quatuor, membranacei, quorum mihi usum perhumaniter concessit Ill. *Langer*, Ducali bibliothecæ præfectus, et e quibus olim doctus adolescens Mollweide rogatu Cl. Leistii AA. M. et Gymn. Guelferb. Subr. varietatem lectionis, in Sat. X. obviam, enotaverat, quam inserui Syntagmati Commentatt. philol. (Magazin für Philologen, Brem. 1796. Vol. I. p. 170. seq.)

17. *Gudianus primus*, No. 156. notatus, quadrato volumine maj., e bono et vetusto libro, in fine Sæc. XII. vel initio XIII., descriptus. In altera primi folii pagina, præter notam veteris possessoris—'Liber iste est fratris Reyneri de Capella. orate pro eo'—quædam prorsus aliena leguntur, in altera Juvenalis vita, cui subjuncta est inscriptio, rubra illa et a seriori manu: 'Decimi Junii Juvenalis liber Satyrarum incipit;' cui respondet subscriptio ad calcem voluminis: 'Decimi Junii Juvenalis liber explicuit. Satyrarum.' In ipso Codice servatur vulgaris divisio in quinque libros, quæ tamen bis tantum notata et pro argumentis brevibus, quæ reliquis Satiris præfixa sunt, substituta est, in principio Sat. VI. 'Dec. Junii Juvenalis Lib. I. explicit, incipit II.' et Sat.

x. 'D. J. Juv. Expl. Lib. III. Inc. IV.' Eadem manus et textum poëtæ scripsit, et scholia, eaque breviora inter lineas, uberiora ad marginem, quæ plerumque vulgaria sunt et parum utilia, vel scholasticorum acumen sapiunt, v. c. ad Sat. I. 11. '*Monicus* unus Centaurorum fuit, sic dictus quasi monos, unicus, unus unguis, quod unam tantum ungulam habuit.' ad I. 15. '*Ferulæ* usus ideo et in studiis attributus, quod ferula ignea est et fecunda, et Libero patri dicata, qui amator est literarum, cujus sucus tapsia dicitur; et quia plaga ejus plus adurit, quam dolet, et *ignea* dicimus acuta ingenia: ut ergo discipulos suos ad fervorem studii incitent, et percussos minus lædant, ferulis utuntur.' Qui tamen otio abundant, eos non plane pœnitebit, hæc scholia excussisse.

18. *Gudianus secundus*, (No. 119.) ejusdem formæ, sed recentissimus quatuor illorum codicum, et mutilus. Desunt Sat. I—VI. 168. XII. 125—130. XIII. 1—10. 23—40. 53—108. 226—249. XIV. 1—54. 66—83. 268—XVI. 60.

19. *Gudianus tertius*, (No. 304.) formæ octavæ, medio forte Sæc. XIV. scriptus. Inscriptio ejus, minio picta, est: 'Juvenalis Aquinatis liber primus incipit.' In fine legitur: 'τελως, τελως, τελως, τελως, Hic Juvenalis habet completos quinque libellos.'

20. *Gudianus quartus*, (No. 53.) formæ, quæ *in folio* vocatur, sed recentioris quoque ætatis, cum scholiis brevissimis, quæ versibus interscripta sunt. Ætas ejus una cum possessore et librario indicatur subscriptione, quæ ad calcem libri reperitur: 'Hoc opus Junii Juvenalis satyrici fuit Gregorii not' de Clericatis de Vinc quod scribi fecit per dominum Andream Rectorem ecclesiæ de marano. In millesimo trecentesimo octuagesimo quarto septimæ indictionis.' Scholiis quoque subjecta est hæc nota: 'Expliciunt Glosulæ Juvenalis excerptæ de cornuto parisiis regentibus scholas ibi M. petro I. et theodorico et guillelmo acensi; regnante ludovico rege francorum.' Quisnam vero ille *Cornutus* fuerit, dicere non habeo; nisi forte monachus vel librarius perperam harum glossarum auctorem censuit L. Annæum Cornutum, Stoicum philosophum et grammaticum, Persii et Lucani præceptorem, cui non modo commentarii in Virgilii Æneidem, sed a nonnullis quoque Scholia in Terentium Persiumque tribuuntur.

21. et 22. *Schönbornenses* s. *Gaybacenses* duo, membranacei, formæ oblongæ et quadratæ,
qui Gaybaci in tractu Franconiæ Steigerwaldensi, et quidem in bibliotheca Illustriss. Comitis de Schönborn, codicum Mss. copia et

possessoris humanitate celeberrima, servantur. Horum lectiones variantes acceptas refero insigni benevolentiae Cl. *Degen*, viri humanissimi et doctissimi, qui specimen earum ipsorumque codicum descriptionem jam dederat in prolusione scholast. quae inscripta est: Einladungsschrift zum gewöhnl. Herbstexamen—Beitrag zu Nachrichten von alten Handschriften; Onolzbach 1785. 4. unde excerpam, quae ad rem nostram spectant, quaeque pag. 4. 5. et 10. 11. traduntur.

21. *Schönbornensis s. Gaybacensis primus*, praeclarus, qui memorabiles ac singulares passim suggerit lectiones, et, quantum nos Jo. Mabillon (de re diplomatica, Lutet. Paris. 1709. fol.) et Chronicon Gottvicense docent, Saec. XII. scriptus est. Foliis LIV. constat, et marginem spatiumque inter lineas multae occupant glossae, quarum plurimae in prioribus duodecim foliis doctrinam Saec. XIII. redolent. Membrana magis flava est quam alba, sed bene levigata. Scriptura prodit manum, quae summa cura tam puritatem quam exactam convenientiam affectabat; admodum quoque perspicua est, etsi atramentum jam passim palluit. Literarum forma majuscula, et ovata magis quam rotunda.

22. *Schönbornensis s. Gaybacensis alter*, sine glossis, bene conservatus, et satis perspicue, medio forsan vel exeunte Saec. XIII. scriptus. Manipulos habet quinque, quorum tres priores octona, quartus X., et quintus XII. folia complectitur. Membrana est candida et mollis, scriptura autem plane congrua cum specimine illo, quod reperitur in Mabilloni tab. XIV. n. 2. sed paulo minor. Quatuor prioribus Satiris recentior manus brevia praemisit argumenta. Codex ipse non eandem, quam superior, recensionem sequitur, multasque lectiones exhibet tum egregias, tum sibi proprias. In utroque innumera deprehenduntur vocum compendia, et non modo crebrae emendationes secundae manus, sed aliquot etiam varr. Lectt. notationes.

23. et 24. *Gothani duo*, membranacei, qui in bibliotheca Ducali extant, et summa Virorum Cel. *Geisleri* et *Doeringii* humanitate usibus nostris oblati sunt. Criticus tamen eorum usus vel nullus vel exiguus est, cum indocte et recentiori aevo, (alter exeunte forsan Saec. XIV. alter principio Saec. XV.) neque ex optimo exemplari descripti sint. Varietas inde decerpta ad solennia fere pravae scripturae vitia redit; et, si qua tolerabilis memorabiliorve reperitur lectio, aut ex errore ea est profecta, aut ex aliis codd.

jam enotata. Ceterum alter Persium Juvenali junctum, et glossas habet, tum inter lineas, tum margini ascriptas, sed parum utiles.

25. *Lipsiensis*,

membranaceus, et recentioris quoque ætatis, neque tamen nullius momenti, quem cum aliquot editt. antt. (Lips. 1497. et 1507. Ven. 1498. Argent. 1518. Heidelb. 1590.) e biblioth. academ. mihi benevole commodavit Ill. *Beck*, meo nomine rogatus ab amiciss. *Kühnöl*, quo neque humaniorem Virum, neque candidiorem terra tulit, neque cui me sit devinctior alter. Eadem manus tum inter lineas, tum in utroque margine multas ascripsit glossas, e quibus tacite quasdam ab Ant. Mancinello transcriptas et pro suis venditatas animadverti. Cf. supr. Recens. Editt. ad Comment. Domitii Calderini ed. a. 1474.

26. *Hamburgensis*, formæ octavæ,

quem in ipsa bibliotheca senatoria cum edit. Henniniana perhumaniter compararunt S. V. *Lichtenstein* et Cl. *Freudentheil*, collega amicissimus, qui eum Sæc. XI. scriptum suspicantur. Sed neque studio librariorum, neque lectionum bonitate insignis est.

27. *Kulenkampianus*,

membranaceus et ejusdem formæ, eleganterque scriptus, sed recentior, neque magni pretii, etsi lectiones interdum exhibet in aliis membranis nondum repertas. Consentit plerumque cum Lipsiensi, et ex eodem forsan fonte fluxit. Fuit olim in præclara b. Kulenkampi bibliotheca; ex qua qui eum emerit ignoro. Paulo vero ante quam hæc Goettingæ vendebatur, illum benignissime ad me misit Ill. Heyne, unicus præceptor meus fautorque generosissimus.

CODEX ROB. STEPHANI.

28. *Codex vetustus Rob. Stephani*,

cujus variæ lectiones ad calcem edit. Stephani Lutet. 1544. 8. deprehenduntur, quæ bonæ quidem plerumque sunt et ab optimis editoribus receptæ. Sed Stephanus paucas tantum enotavit, (v. c. in Sat. IX. X. et XII. non nisi unam, in Sat. III. et XIII. binas, in Sat. II. et VII. trinas) neque ipsum codicem accuratius descripsit.

29. CODEX BASILEENSIS,

e quo varietatem lectionis excerptam dedit Wetstenius in edit. Amstel. 1684. 8. ubi tamen ulterior ejus descriptio frustra quæritur.

ALII CODICES AB ALIIS MEMORATI.

Præter hos, quos jam recensui, codices viri docti passim in com-

mentariis scriptisque suis laudarunt alios, et varias ex iis lectiones, sed paucas tantum, protulerunt, quas ego, quanto fieri potuit, studio congessi.

30. *Codex Domitii Calderini,*
qui eum in commentariis suis nonnunquam memorat, et certissimæ dicit fidei esse ac summæ vetustatis.

31 a. *Codex Vallæ*
antiquissimus, de quo vid. supr. ad ejus edit. Venet. 1486.

31 b. *Alii ejusdem Vallæ codices,*
qui in comment. ejus nonnunquam laudantur, sed tam parum distincte, ut nescias, utrum scripti fuerint an editi.

32. *Codex Mancinelli unus et alter,*
quorum is aliquoties mentionem facit in Comm.

33. *Codex vetustissimus Lubini,* et
34. *alter ejusdem,*
de quibus vid. supr. ad edit. Hanov. 1603.

35. *Codex vetustus Canteri,*
36. *C. alter ejusdem,*
37. *C. vetustus Carrionis,* et
38. *C. alter ejusdem,*
e quibus quatuor Codd. Lipsius Heinsiusque passim lectionis varietatem enotarunt.

39. *Codex antiquissimus Casp. Barthii,* et
40. *alter ejusdem,*
quorum in Adversariis ejus subinde mentio fit.

41. *Codex antiquissimus Plathneri,* et
42. *alter ejusdem,*
qui passim laudantur in ejus Lectionibus Juvenalibus, de quibus vid. supr. Recens. Editt. Juven. extr.

43. *Codex Divæi antiquus,*
unde aliquot lectiones protulit Lipsius in Operibus suis.

44. *Codex antiquissimus,* et
44 b. *alter Vossii,*
qui ab eo in Comment. ad Catullum et al. interdum excitantur.

83. *Codex Leidensis,* et
84. *C. Perizonii,*
e quibus aliquot lectiones attulere Nic. Heinsius et Jo. Schrader, ille in Comment. in Ovid., hic in Emendationum Libro, et in Obss. criticis, quas exemplo Juvenalis Henniniano alleverat, unde excrip-

tas ad me misit doctiss. et humaniss. *Herbellius*, qui nunc Franequeræ commoratur, et de Silio quoque meo bene meritus est.

85: *Fragmentum Erlangense*
vetustum, quod Sat. VI. 66–197. 264–661. continet, et mecum ab Ill. Harlesio est communicatum, qui etiam benevole adjunxit edit. Marshall. Lond. 1723. cujus margini ascriptæ sunt variæ lectiones codicis Ms. qui designatur litera *E.* quem tamen Ebnerianum vel Norimbergensem I. esse mox animadverti. Fragmentum plerumque consentit cum cod. Norimberg. tertio; sed non paucas quoque lectiones tum alias, tum sibi proprias exhibet, et nonnunquam non spernendas.

Aliis codicibus Mss. usi sunt Salamasius, Scaliger, Nic. Heinsius, Muretus, Schegkius, Mercer, Brodæus, Flavius, Pontanus, Rittershusius, Claverius, Scioppius, et alii: quamque hi in scriptis suis enotarunt ex illis varietatem lectionis, nos quoque passim laudavimus.

Aliorum codicum, qui nondum comparati sunt cum vulgata scriptura, ingens numerus in bibliothecis, non modo publicis, (inpr. Italicis, Gallicis, et Anglicis) sed etiam privatis latet: v. c. in Biblioth. Gersdorfia unus, (v. Ephemerid. liter. Lips. 1710.) in Rhedigeriana duo, (v. Fülleborn. vers. german. Persii p. V.) Senkenbergiana unus, Thom. Jos. Farsetti unus, (v. le Bret Magazin zum Gebrauch der Staaten-und Kirchen-Geschichte, T. IV. n. 1. Francof. 1774.) Comburgensi prope Halam Suevorum duo (v. Intelligenzblatt der Ien. Allg. Lit. Zeit. 1796. N. 153.). Permulti alii memorantur in bibliothecarum catalogis commentariisque virorum doctorum, præcipue in Montfauconii Biblioth. Mss. Præterea variantes viginti codicum lectiones a doctiss. *Schwabio* Corr. Gymn. Vinar., a quo consilium edendi Juvenalis abjectum est, accepit Cl. *Gurlitt*, Prof. et Director scholæ Bergensis, qui in literis ad me datis earum propediem in proluss. scholast. divulgandarum spem fecit. Codices illi sunt: duo Zwiccavienses, (quorum alter olim fuit Theod. Pulmanni) Noviomagensis, Miggrodii, Schurzfleischianus s. Vinariensis, duo Hamburgenses, Chemnicensis, quinque Leidenses, (Lugdunensis, Perizon., Philipp. et duo Vossiani, in Catal. Bibl. Leid. p. 325. b. 494. a. 374. a. 373. a. 378. a.) Rottendorfii s. Withofii, Laubnensis, (qui quondam fuit Christio Prof. Lips., tum Illustriss. de Zech, et deinde Laubnio, consiliario aulico Tennstadiensi in pago Thuringico) duo Gothani, et tres Argentora-

tentes. Octo priores a Gottl. Cortio, et quinque Leidenses a Jo. Schradero diligenter olim excussi sunt, quidam vero jam a nobis vel aliis collati, et Argentoratenses non nisi in duabus Satiris prioribus comparati.

Ex tot membranis nondum inspectis novam eamque ingentem variarum lectionum, vel potius vitiorum errorumque, molem congeri posse, non est quod dubitemus. Nec tamen crediderim, multum inde ad poëtam nostrum fructus rediturum esse. Nam codices Juvenalis longe maximam partem sunt recentiores neque digni, quibus comparandis quicquam temporis et operæ impendas: et in optimis quoque vix memorabilior aliqua lectio reperietur, quæ non ex aliis jam enotata sit.

OBSERVAT Rupertius, ingentem numerum codd. in bibliothecis non modo publicis (inpr. Ital. Gall. et Anglicis) sed privatis latere. De his nihil Rupertius: 'nec multum,' ait, 'inde ad Poëtam nostrum fructus rediturum esse.' At forsan hi codices non minoris saltem sint pretii quam qui ab ipso et doctis ejus Germanicis adjutoribus collati fuerint; et, ut quam paucissimi cum ulla editione Juvenalis comparati sunt, adhuc restat doctis, qui eos examinent, de pretio eorundem statuendum.—De codd. in publicis Britann. bibliothecis latentibus pauca quædam benevole accipiet Lector æquus.

Codices D. J. Juvenalis in Biblioth. Reg. Mus. Britann.

15. A. IV. Cod. chartac. inter alia nominis et ætatis recentioris brevem in Juvenalem commentarium continens, sæculi XII. characteribus sub initio et fine evanescentibus.

15. A. XV. Alius in Juv. Sat. comment. recentior et amplior, ad pag. 237. pergens. Chart. cent. XV.

15. B. XVII. D. J. Juv. Sat. cum Gloss. Cod. vet. cum notis interlinearibus et marginalibus. Membran. cent. XI.

15. B. XVIII. D. J. Juv. cum Gloss. Cod. vet. cum notis interlinearibus et marginalibus.

Biblioth. Harl. varios tenet Juv. codices, usque ad octodecim, quorum plurimi sunt nitide et clare scripti; illumin. quidam chartac. alii membran. sed non valde antiqui, vix supra sæc. XV. pergentes. Ex his unus continet comment. duos, nec breves, in Juv. Sat. et unum in Persium. Chartac. Primus, cum Juv. Sat. *Expositione, Vitam* etiam Poëtæ complectitur. Inter vero hos codd. recentiores unus et alter numerandus est, qui antiquitatem magis spirat, n. 3872. sæc. XIII. vel XIV. alia cum Juv. Sat. exhibens; 3754. qui Juv. Fragmentum tantum tenet, videlicet sat. primam ad vers. 151. in fol. majori.

Cottoniana nihil, quod ad Juv. spectat, offert: nec *Sloaniana*, ni forsan velles quasdam ejus satiras Anglice versas, et quæ nullius sunt pretii, vel saltem præsentis argumenti: de quibus vero, si quid velis, vid. Ayscough. Catal. num. 2117. 4457.

Lansdouniana. Hæc, inter quam paucissimos auctores classicos, aliis nonnullis ditissima, unum amplectitur cod. Horatii op. et Juv. et Pers. Sat. tenentem, qui est pulcherrimus, illumin. et membran. non antiqui valde nominis; inter pretiosos tamen et forsan utiles censendus est. Matthiæ Corvini, Hungariæ regis, olim fuit in peculio, ut inscriptio indicat; et post varias fortunas venit in possessionem medici docti et felicis codd. Gr. et Lat. collectoris, Antonii Askew, cujus verba, sub init. cod. conscripta, huc transferre placet: ‘ Lettres de Critique, de Gisbert Cuper, Amsterdam 1742. pag. 381.—J'ai l'Horace d'Amsterdam. M. Bentley est hardi dans ses conjectures. Je me suis entretenu sur quelques unes, avec un de mes amis, et j'ai un beau Ms. sorti de la bibliothèque d'un Roi Matthias Corvinus, où j'ai trouvé diverses leçons dont ce sçavant Anglois ne fait pas mention.’—Sine notis aut Comment. In hoc codice Persii primus sat. primæ versus sic currit:

Oh! curas hominum! oh! quantum ē mihi in rebus inane!

Continet etiam Virgilii Æneid. Bucol. et Georg. eadem manu scripta.

Codices Burneienses.

Codd. Burneienses numerantur octo, quorum plurimi pulchri quoad formam exteriorem, sed non valde antiqui nominis. Varii versus singulorum codd. collati sunt ad pag. H. C. Henninii cum notis Variorum, quæ Lugd. Bat. edita est 1695.

Sub fine unius (191.) scribitur perobscure: 'Die 26 Nov. hora tertia noctis 1464. pontificatus felicissimi domini nostri domini Pauli divina Providentia Papæ sancti anno primo;' et ut videtur a cl. Doct. Burney lucidius iis verbis hæc subscribuntur: 'Paulus II. Venetus prius Petrus Barbus vocatus, nepos Eugenii IV., successit Pio II. A. C. 1464. Hoffmanni Lexicon.'

Codices Oxon. Juvenalis et Persii.

Auctarium: Laud. Lat. 79. Juv. et Pers. illum. membran. Tituli breves Satiris præfiguntur.

Auctar. Laud. Lat. 80. Juv. Sat. chartac. sine notis.

Auctar. Rawlinson. 110. Juv. et Pers. membran. cum notis. Sub finem hæc verba: 'Cod. Ms. comparavi Veronæ, Antonio di Bradich med. Doct. 3 Maii 1698.'

Ludovicus Bourgulfius Nemansensis, exul propter SS. Religionem Domini nostri J. Christi Reformatam, Tiguri 1686.

Hic versus sub finem inseritur:

Explicit *ignotus* per totum Persius orbem:

de quo vid. Recensum nostrum Editionum Persii, p. 300.

Auctar. F. 5. 1. Membran. illum. pauca habet scholia.

Auctar. F. 5. 2. Juv. chartac. cod. multum abbreviatus, et cum multis scholiis. Sub fin. hæc verba: 'Explicit per me Petrum de Goude.' Extat ad eundem Erasmi Epistola, a Merula vulgata, et apud eam cod. hic memoratur.

Auctar. F. 5. 4. Juv. et Pers. membran. sine not. Sub init. hæc verba: 'Hoc opus est a me Petro Carmeliano emptum die XIII. Dec. 1491. in civit. Londin. pretio duorum nobilium.' In alio loco, 'ex libris Caroli Hatton;' in alio hi duo versus:

Qui Juvenalis opus, et carmina tacta notabit,
Romanos noscet mores et facta pudenda.

Cod. elegans.

Horum codd. plurimi sunt sæc. XIV. et XV. duo vel tres ætatis superioris; et probabile est, si conjicere fas sit, codd. nonnullos hic memoratos ut a Ric. Rawlinsono, LL.D. Biblioth. Bodl. donatos, inter eos numerandos esse qui olim proprii erant fratris ejus Thomæ Rawlinson, Arm. de quibus ita Maittaire: ‘ non citius de Juv. et Pers. edendis tecum communicavi consilium, quam ultro ex bibliotheca tua instructissima sex illius duosque hujus codd. ante a. 1500. excusos suppeditasti.’ Maittarii edit. 1716. Hi codd. scripti ex eodem cimelio forsan deriventur.

Codd. D'Orvilliani. x. 1. 2. 8. 9. Mss. ad Poëtas, sive Adversaria, manu, ut videtur, W. Vlamingii, II. Tom. inter alia tenet (in Tom. 2.) Novas Lectt. e Juv. membran. erutas, pp. 17.

x. 1. 5. 30. inter alia complectitur Juv. I. 84. 2. Persius 85-100. a. Cod. memb. ff. 100. in 4to. minori.

x. 1. 6. 13. inter alia continet (5.) collationem Juv. cum cod. D'Orvill. pp. 15. x. 2. 4. 22. ut videtur, notas W. Vlamingii in Juvenal. et Horat. Mss. spissas: in 4to.

x. 2. 5. 24. Juv. et Pers. edit. Variorum Amstel. 1684. 8vo. cum Ms. membran. sæc. XIV. Amstelodamensi collatam.

x. 2. 6. 23. tenet Juv. et Pers. cum comment. vet. Sanctandri 1690. 8vo. sat. duas priores cum Mss. collatas, et Gloss. J. et P. aliquantum e Ms. auctas.

Notitia præcedens de codd. D'Orvillianis ad Catal. codd. Mss. et Impress. cum nott. Mss. olim D'Orvill. a viro Græce et Latine callentissimo, Thoma Gaisford, Gr. Ling. Profess. apud Oxon. exaratum, referenda est. E Typogr. Clarend. 1806.

Codd. Canonici. Inter hos undecim, si recte legerimus, codd. Juv. vel Juv. et Pers. videndi sunt: sed non in ordinem adhuc redacti. Quædam nobis leviter inspecta prætermittimus, vix ultra Titulos hic progressuri.

Canonici Lat. 36. Hic solus, ni fallimur, inter omnes Canon. Juv. imperfectus: incipit, 'Doctus et ad calicem,' &c. Chartac. cum schol.—37. Membran. cum plurimis nott.—38. Juv. sine Pers. chartac. cum nott. interlin. et paucis marginal. Explicit cum sat. quindecima.—39. Cum Juv. habet pauca Ovidii. Explicit cum satira quindecima. —40. 41. 42. 43. 44. 45. 46.

Unus vel duo horum codd. dat annum (cent. xv.) in quo exarati sunt.

Inter *codices Ashmoleanos* Oxon. censetur, 'M. Magni Annotationes in Juv. sat. 10.' anni 1588. 4to. Ex num. 7012. in Catal. Mss. Angl. et Hib. p. 321.

Colleg. Baliol. inter codd. habet cod. chartac. Juv. Sat. continentem varias collationes ad pagg. edit. H. C. Henninii, cum notis Variorum, quæ Lugd. Bat. edita est 1695.

Corp. Christi Coll. bibliotheca codices antiquos et eximios quam plurimos retinet; quorum paucos, n. classicorum Latinorum, per duorum virorum doctorum hujusce Societatis benevolentiam, nuper inspeximus; at casu quodam, qui sæpe accidit, Juvenalem *tantum vidimus:* at videbatur cod. antiquior, et dignus qui magis otiose consuleretur. Habet Comment. ut etiam Persius, qui subjungitur. Fol. comitantibus aliis nonnullis.

Codd. Cantab.

In biblioth. pub. Juv. Satyræ. N. 2562.

In eadem biblioth. multi sunt libri impressi cum notis Mss.: illi præcipue qui notas manu viri docti, Johannis Taylor, LL.D., exaratas exhibent. Hi ab eodem legati Antonio Askew, M. D., cum aliis qui olim inter cimelia Doctorum Taylor et Askew erant positi, e biblioth. Askeuiana redemti,[16] in publ. Libr. Cantab. asservantur.

Trin. Coll. In biblioth. Thomæ Gale, viri ob varia

NOTÆ

16 Dyer's Hist. of the University and Colleges of Cambridge. Vol. 2d. pp. 382-3-4. et compares Biblioth. Askeuianam Rariss. Libr. impress. 1775. et Biblioth. Ask. Mss. 1785.

opera classica, historica, et antiquaria celeberrimi, erant olim quam plurimi codd. multum æstimati, et inter codd. Græcos et Latinos duo Juv. et Persii unus.[17] Hos omnes filio suo natu maximo, Rogero, moriens legavit Thomas, et Rogerus Collegio Trin. ubi pater et filius educati fuerant.

Ambo igitur hi codd. Juv. Trin. coll. numerandi sunt inter Galeanos; quorum unus, literis Saxon. minoribus scriptus, circa IX. vel X. cent. habet Persium conjunctim. Alter, sine Persio, est etiam antiquus. Ambo membranacei, cum notis copiosis, et pretiosi.

Aul. Pembrok. biblioth. possidet unum cod. Ms. Juv. et Persii Sat. circa sæc. XI. vel XII. Juvenali desunt multæ pagg. Incipit ad vs. 111. Sat. IV. Persius est perfectus. Ambo membran. cum notis plurimis.

Codices Ecclesiæ Cathedralis Vigorniensis.

Biblioth. Ecclesiæ *Cathedralis Vigorniensis* (in domo spatiosa quæ vocatur The Chapter House) multos libros impressos rariores et codd. antiquos habet; inter quos sunt Lat. classici ad numerum fortasse sex vel septem. Ibi nuper a librario, Rev. Domino Clarke, ut olim ab aliis, benevole excepti, cod. (in fol.) Juv. et Pers. cum aliis complectentem inspeximus, et paucula quædam denotavimus: cod. vero antiquitatem sapit.

Codex D. J. Juv. Scotus.

Apud biblioth. quæ vocatur *Advocatorum*, Edinburgi, est cod. Ms. Juv. membran. 4to. circa cent. XIV. qui olim erat Jacobi Balfour, Eq. Aur., in rebus antiquis multum exercitati, et ob *Annales Scotiæ*, ab eo elaboratos et promulgatos, Scotis plurimum colendi.

NOTÆ

17 Ibid. vol. II. p. 201. et Catal. Gale, tom. II. p. 185. Mss. Angl. et Hib. inter codd. T.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

IN

JUVENALEM.

(Multæ res ac voces non nisi in Var. Lectt. quærendæ sunt.)

B

C

D

E

F

G

H

Digitized by Google

I, J

N

O

P

Q

R

T

V

X

Z

FINIS JUVENALIS.

AULI PERSII FLACCI

OPERA OMNIA

EX EDITIONE G. L. KŒNIG

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

ET

VETERIS SCHOLIASTÆ

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITA.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1820.

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

A. PERSII FLACCI

OPERA OMNIA.

PROŒMIUM

DE

PERSII VITA,

MORIBUS,

ET SCRIBENDI GENERE.

DEBELLATIS tot tantisque nationibus a Romanis, omnique ratione expilatis, ingentes divitiæ, quæque ex his nasci solent, avaritia, luxuria, omniaque vitiorum genera, Romam confluxerant; quibus tandem corrupti victores et enervati omnem honestatis et libertatis sensum adeo amiserunt, ut gravissimum servitutis jugum, a turpissimis interdum hominibus sibi impositum, æquo animo paterentur. Prisca illa animi magnitudo et gravitas, qua Romani veteres reliquas nationes præstiterant, vili cessit adulationi puerilique levitati. Etenim ipsa frugalitas, mater pæne omnium virtutum, quibus nomen Romanum vel hostes infestissimos in sui admirationem rapuerat, opibus orbis terrarum in urbem congestis, expulsa adeo evanuit, ut in paucis admodum generosioris indolis, qui a communi vitiorum contagio intactum servaverant animum, vestigia ejus remanerent. Umbra libertatis, quam Augustus civibus, magis ut sui ipsius saluti, quam ut eorum commodis consuleret, reliquerat, a Tiberio

funditus sublata,[1] Romani, cura rerum publicarum omissa, convertebant animos ad res privatas, atque amor patriæ studiumque rerum communium sensim sensimque extirpabatur. Cum jam ab unius benevolentia aut invidia omnia vel expectanda vel timenda essent, id omnes agebant, ut, quibuscumque rebus possent, gratiam ejus aucuparentur, neque quidquam committerent, quod minus illi placeret. Delatorum porro greges, per Italiam omnesque provincias sparsi, non facta solum et dicta, sed ex iis etiam intima animi sensa rimabantur, et vel domesticorum fidem infestam reddebant. Quam ob rem nemo liberam vocem emittere audebat; vel taciti Imperatorum insaniam resque imperii ruentes aspiciebant, vel occulte et ambigue loquebantur, sortemque suam domi delitescentes lugebant. Inde quoque sermonis indoles et natura colorem traxit; quæ, cum antea simplex esset et aperta, quandoquidem nemini fraudi erat, ea proloqui, quæ cogitasset, nunc obscuritate quadam obvoluta erat et tecta, atque a naturali simplicitate in dies magis magisque deflexit.[2] Ipsa eloquentia foro relicto vel in scholarum umbraculis abscondita situ corrumpebatur, vel in senatu peregrino fuco oblita in laudandis Imperatoribus sententiisque illorum abjecte comprobandis erat occupata; cumque rerum argumentorumque magnitudo deficeret, inani verborum pompæ sententiarumque tumori studebat.[3] Sensu sublimitatis veræ, decoris, et ingenuitatis obtuso, studium collocabatur in rebus minutis, et novitatis cupidine et acuminis jejuni scriptores obscuri et inepti fiebant. Mutata rei publicæ forma moribusque pristinis exutis, sermo quidem novis subinde dicendi rationibus et verbis passim auctus est, præcipue a peregrinis, qui undique ex provinciis Romam confluxerant; at multa contraxit, quæ antiquam puritatem ejus candoremque conta-

NOTÆ

1 Tacit. Annal. I. 15; Dio Cass. LVIII. 20. ibi v. Reimar. Sueton. Tib. 37; Pompon. II. §. 9. D. de or. Jur.

2 Huc quoque imago pertinet, quam Tacitus (Hist. I. 2.) temporum, quæ Neronis mortem insecuta sunt, adumbravit.

3 Senec. Controv. præf. ad l. I. Quintil. Inst. IX. 3. Auctor de corrupt. eloq. c. 24, 28, 32.

minarent. Multa plebeia ei admista sunt, multa adulandi studium invexit; majòr tamen corruptelæ pars grammaticorum et rhetorum scholis debetur, communique fere furori, quo ad versus conscribendos vulgo compellebantur,[4] omnisque eloquentia et poësis, quam non in naturæ et ingenii dotibus, sed in observandis artium præceptis positam existimabant, in pueriles declamationes abiit, et in frigidum troporum et figurarum adhibendarum artificium. Judicio veri et pulchri semel corrupto, placendi quoque studium scriptores in fraudem illexit, ut non optima quæque sequerentur, exemplaque veterum scriptorum imitanda sibi proponerent, verum ut ea chartis illinerent, quæ multitudini probarentur, quæque in magna frequentia auditorum recitata maximas exclamationes plaususque excitarent. Neque vero ii, in quibus altior spiritus inerat, immunes erant omnino ab illis vitiis, quæ hujus ætatis essent; plerique vigore et vi destituti ali-

NOTÆ

4 Carmina scribendi studium sub Augusto potissimum apud Romanos ita increbuit, ut ad elegantiam pertineret, versus scribere, et recitare. Horat. Epist. II. 1. 108 seqq. et 2. 90 seqq. Illud studium, in quod tunc animi vel sponte inclinabant, ab Augusto ipso promotum est cum honoribus, quos poëtis concessit, tum bibliothecarum publicarum institutione. Hic morbus communis non imminutus sed potius auctus est subsequentibus Imperatoribus, cum unusquisque, nisi animi causa aut otii fallendi scriberet, facilius et commodius poëtices studio nomen se inventurum esse arbitraretur, quam alia quacumque re graviori. Petron. 118. Etiam Tiberius, crudelissimus turpissimusque Princeps, Græca et Latina poëmata fecit, Euphorionem, Rhianum, et Parthenium (de quibus v. Suidam et Voss. de hist. Græc.) in Græcis, in Latinis Messalam Corvinum imitatus. Sueton. in Tib. 70. cf. Tacit. Ann. I. 11; XIII. 3. Caligula quidem, qui cædibus, rapinis, et stupris omnia miscuit, Virgilii et Livii scripta abolere tentavit, (Sueton. Calig. 34.), ingenio illorum scriptorum et gloria offensus, verum illis favisse videtur, qui vel ipsius laudes canerent, vel libidini excitandæ versibus suis inservirent. Ne Claudius quidem a Musis erat aversus. Sueton. Claud. 3. 28. 40. Plin. Epist. I. 13; Tacit. Annal. XIII. 3. Nero omnes liberales disciplinas puer attigit, poësinque exercuit. Suet. Ner. 10, 52; Martial. IX. 27. Tres ejus versus non ultimæ notæ profert Schol. ad Lucan. III. 261. Verum cf. Tacit. Ann. XIV. 16. Satiram quoque aut carmen scripsit, quo Clodium Pollionem, et alterum, quo Afranium Quinctianum, mollitia corporis infamem, perstrinxit. Suet. Domit. 1. Tacit. Ann. XV. 49. Quamobrem Neronem ab Juvenali IV. 106. tactum putant interpretes.

orum vestigiis inhæserunt, et in sententiarum vario ornatu occupati inventionis et compositionis laudem neglexerunt.

Erant sane illa tempora nulli poëseos generi magis quam satirico accommodata; nam morum corruptela, luxuriæ et profusionis insania, vitiorumque omnis generis immanitas tanta erat, ut contemplanti hæc difficile esset, satiram non scribere. Atque his temporibus vivebat *Aulus Persius Flaccus,*[5] natus *Volaterris,* vetusto Hetruriæ oppido, sub Tiberio, A. U. C. 787. prid. non. Decbr. Fabio Persico, Lucio Vitellio Coss.,[6] equestri genere, sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus. Flaccum patrem amisit annos fere sex natus. Usque ad duodecimum ætatis annum Volaterris mansit. Tum Romam delatus ad Rhemnium Palæmonem grammaticum[7] et Virginium Flaccum rhetorem.[8] Annos sexdecim natus in disciplinam venit Annæi Cornuti, philosophi Stoici;[9] eoque patre magis et

NOTÆ

5 Persii gentis raro in Romanorum monimentis mentio fit. Tempore belli Punici secundi circa 544. florebat C. Persius militari laude conspicuus. Annis post hunc paullo minus centum alter C. Persius urbanitate et doctrina insignis. Cic. de Orat. II. 6. Verum dubitari potest, an illi ad nostri Persii genus pertinuerint. Mentio quoque fit Persii poëtæ Phocæensis apud Polluc. in onom. IX. 6.

6 Cassiodorus natum eum dicit anno sequenti, quod ab Eusebio forsan mutuatus est, quem vide in Chron. ad ann. 2050.

7 Rhemnius Fannus Palæmon erat nobilis grammaticus tempore Claudii. Verna natus literas didicit cum pædagogus esset, deinde manumissus Romæ docuit. Erat 'omnibus vitiis infamis, palamque et Tiberio et mox Claudio prædicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam. Capiebat homines cum memoria rerum, tum facilitate orationis; nec non etiam poëmata faciebat ex tempore.' Sueton. de clar. gramm. 23. Quadragena annua ex schola cepit, nec paullo minus ex re familiari, cujus erat diligentissimus. Ibid.

8 Virginius Flaccus rhetor sub Trajano mortuus est. Scripsit de arte dicendi. Quint. Inst. III. 1.: Tacit. Ann. XV. 71.

9 Annæus Cornutus Afer, Stoicæ sectæ æmulus, magnam humanitatis disciplinarum gloriam nactus est. Philosophiam Romæ professus juventuti ad sapientiam erudiendæ omne tempus impendebat. Cum Neronem, insignem eruditionem affectantem, libere dicto offendisset, in exilium est ejectus. Dio Cass. LXII. 29. cf. quæ ibi in notis laudantur. Suidas in Κορνοῦτος, Cornutum historicum, Livii æqualem, cum hoc philosopho confudit: adde not. ad Pers. Sat. V. 16.

amico, quam magistro usus est. Amicos habuit a prima adolescentia Cæsium Bassum,[10] et Annæum Lucanum, quem per Cornutum cognoverat, poëtas, quorum ille lyricum, hic epicum poëseos genus secutus est. Erat Persius, ut auctoris ejus vitæ verbis utar, 'morum lenissimorum, virginalis fere verecundiæ, formæ pulchræ, summæque pietatis in matrem, sororem, et amitam.' Accuratiorem naturæ ejus atque indolis imaginem in scriptis, quæ reliquit, expressam videmus, vividissimis quasi coloribus depictam, cujus pulchritudine accensi vel inviti cogimur in judicio de satiris ejus ferendo id potius spectare, quod perficere potuisset, si vel æquiori Musis tempore vixisset, vel longior ætas ei suppetivisset ad ea polienda, quæ satis pulchre inchoaverat, quam juveniles illos conatus ad severas critices regulas exigere. Est sane quod miremur, tantam gravitatem et constantiam in juvene præsertim locuplete fuisse, ut omnes voluptates, quibus, ex illius ætatis opinione, vel honeste frui potuisset, respuerit, tantum virtutis et honestatis ardorem, quo eum quavis pagina abreptum videmus, tantam severitatem in omni mollitie castiganda moribusque effœminatis acerbe notandis, ut barbatum aliquem ex priscis Romanis existimes audire. Quod autem maxime nos ei conciliat, est pietatis sensus, quem erga Cornutum præceptorem declarat, tam candidus et vehemens, ut quisque animadvertat, in rei magnitudine verbis assequenda eum magnopere elaborasse, nec tamen sibi satis fecisse. Quibus virtutibus instructus dignissimus sane fuit amicitia et consuetudine Pæti Thraseæ,[11] summi et clarissimi viri, quocum etiam

NOTÆ

10 De hoc vide quæ notata sunt ad Sat. VI.

11 Thraseas Pætus Patavinus. Tacit. Ann. XVI. 21. Gener Cæcinæ Pæti et Arriæ, de quibus v. Martial. I. 14.; Plin. Epist. III. 16.: Dio Cass. LX. 16. Erat Stoicus et admirator Catonis Uticensis, cujus vitam scripserat, atque vir antiquæ plane virtutis et inter tot abjectissimos Neronis adulatores solus erectus et constans, intrepidus et gravis, notaque humanitate et clementia. Plin. Epist. VIII. 22. 3. Is Neroni invisus ob multas res, præcipue ob sententiam de Antistio. Tacit. l. c. XIV. 48. Tamen virtutem

affinitate erat conjunctus. Decessit Persius vel septimo vel octavo anno imperii Neronis A. U. C. 815. Auctor vitæ ejus memoriæ proditum reliquit, eum in pueritia *Prætextam* et *Odoiporicon* librum unum et paucos versus in socrum Thraseæ Arriam matrem, quæ se ante virum occiderat, scripsisse, quæ omnia Cornuto auctore a matre Persii abolita sint. Porro, raro Persium et tarde scripsisse, librumque, quem nunc etiam habemus, ultimam manum ejus non esse expertum. In hujus ultima parte versus aliquot esse demtos, ut finitus videretur, Cornutumque ipsum nonnulla correxisse, Cæsioque petenti, ut ederetur liber, edendum tradidisse. Continet hic liber, a Quintiliano et Martiale laudatus,[12] præter prologum sex satiras, non pari omnes dignitate, quarum prima ex duarum laciniis composita videtur, etiam ex quarta non pauca intercidisse probabile est. Ut accuratius de illis satiris judicare possimus, age videamus paucis, quid et qualis sit satira aut satiricum genus, quod a Romanis inventum, excultum et perfectum est.

Carminis genus, quod satiræ nomine insignitum est, hoc habet propositum, ut mores emendet, eoque a libello seu carmine famoso differt, quo id agitur, ut aliquis indigno more infamia aspergatur. Verum ratio, qua satiricus utitur, non in eo posita est, ut præcepta tradantur virtutis, mores candidi laudentur, vitæque honestas commendetur, verum diversam viam ingreditur, ridet stultitiam, carpit improbos mores, scelera flagellat, atque, ut breviter dicam, τὸ ἐλεγκτικὸν satirico propositum est. Ad hanc rem non argumenta adhibet, ut morum præceptor in scholis, aut turpitudinem vitio-

NOTÆ

Thraseæ vel invitus agnovit. Plut. reipubl. ger. præc. c. 14. T. XII. ed. Hutt. Accusatus deinde, Tacit. l. c. XVI. 21.; mortis arbitrium accepit, venisque sectis occubuit. Tacit. l. c. 31.; Sueton. Ner. 37.; Schol. ad Juvenal. v. 36.; Dio Cass. LXII. 26. Laudavit eum postea Aurulenus Rusticus, quod ipsi sub Domitiano capitale fuit, liberque exustus est. Tacit. vit. Agric. 2. et 45.: Sueton. Domit. 10.

12 Quintil. X. 1. 'Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit.' Martial. IV. 29. 7. seq. 'Sæpius in libro memoratur Persius uno, Quam levis in tota Marsus Amazonide.'

rum communi ratione describit, sed omnes artes assumit, quibus poëta uti possit et debeat, omnia loca et regiones quasi ridiculi, invidiæ et indignationis perscrutatur, eaque inde depromit, quibus lectoris animum, quocumque velit, flectat, simulque teneat atque delectet. Neque vero de universo vitiorum genere agit poëta, sed ut cum personis juncta esse soleant, loco quoque et tempore definito. Personæ possunt esse vel fictæ, ad vivum tamen expressæ, vel veræ, turpitudine notæ atque insignes. Quo id assequitur poëta, ut paucis tantum lineis ductis vividissima vitiorum imago eorumque turpitudo et deformitas ante oculos obversetur, cum hominis, cui ea insunt, sentiendi, cogitandi et agendi rationem velut oculis contemplari videamur. Omnes imagines et similitudines, quibus utitur, e vita communi petitæ, aptæ atque insignes debent esse, omniaque, quæ proferuntur, ita temperanda sunt, ut agi videantur, non narrari. Ratio, qua res tractari possint, multiplex est, partimque a poëtæ indole et natura, partim ab argumenti ratione pendet. Semper autem impetu aliquo ductus satiricus videri debet vel ridendi vel carpendi, occasionemque oblatam arripuisse, non quæsivisse; optimum igitur dicendi genus, quod adhibere possit, hoc est, quod sponte et e re natum, non diu quæsitum videtur. In quo etiam nec acerbitas nocet nec acrimonia, si res ita postulat, dummodo salibus et urbanitate quadam temperata sit, ne in mera convicia res abeat. Si vero studium apparet, omnis satiræ vis quodammodo debilitatur et frangitur, præsertim id genus, quod risu et facetiis hominum stultitiam exagitat. Est quidam rerum ordo, qui primo aspectu solutus esse videtur ac liber, qualis esse solet, cum ipsi quieti imaginandi facultati permittimus in latissimum rerum campum, quacumque lubet, expatiari, quo tunc in animo res rebus, imagines imaginibus succedere soleant, prout vel simul junctæ fuerint, vel similitudine aliqua copulatæ sint. Hunc ordinem imitabitur satirarum scriptor, summamque artem in omni artis suspicione amovenda declarabit.

His lineis de universo genere satirico ductis, ad nostrum

Persium redeamus, pauloque accuratius de eo genere disseramus, quod ille secutus est. Videamus igitur primum de argumentis, quæ tractanda sibi proposuit, in quorum delectu magna cautio habenda est poëtæ. Debent enim esse ejusmodi, ut per se jam lectorem quodammodo alliciant, nota quidem atque insignia, ita tamen animo comprehensa, ut novitatis quoque gratiam habeant, quanquam vel negligentius circumspicienti ubique obvia videantur. In prima satira egit Noster de importuna scribendi et recitandi cupidine, ac de pravo et corrupto venustatis et pulchritudinis judicio. In secunda de precibus improbis et ineptis. Tertia desidiosam et mollem Romanam juventutem perstringit; quarta regnandi cupiditatem rerumque publicarum curam, eorum omnium ignaram, quibus niti debeat. In quinta de vera libertate agitur; in sexta de legitimo divitiarum aut rei familiaris usu. In prima, tertia, quarta et sexta non tam in delectu rerum peccasse Persium dixerim, quam in tractatione; tamen in tertia et sexta meo quidem sensu felicius versatus est. Secundæ satiræ argumentum minus aptum videtur satirico poëtæ, ei præsertim, qui pietatis sensu tam vehementer imbutus est, quam Persius; quanquam Juvenalis et hoc satis commode tractavit, verum declamatoria ratione magis quam satirica. Luciano risori melius res processit. Sed in quintæ satiræ argumento deligendo, non e vita communi, verum e Stoicæ disciplinæ penetralibus depromto, cujus sacris ne ipse quidem satis initiatus fuisse videtur, maxime forsan peccavit. Disputatio enim, quæ subtili rerum a communi usu remotarum finitione nititur, in qua animus vel maxime ab oculorum et aurium consuetudine avocandus est, per se jam omnem poëticam tractationem respuit; quique eam nihilominus tamen tentaverit, is neque apud disciplinæ rudes neque apud philosophos gratiam inibit. Ejusmodi enim quæstiones verbis scholæ omissis, ut poëtæ par est, commode tractari vix possunt; nec quivis lector subtilis orationis sensum capere valet, nisi Stoicam rationem quasi in numerato habeat. Videmus quidem Persium operam dare, ut scholasticis com

pedibus liber ita loquatur, ut rem vel rudibus aperiat; verum ipsa ejus contentio, cum felici successu destituatur, ingrata est lectori, officitque interdum voluptati, quam ex quibusdam locis satis feliciter tractatis alioquin capere potuisset. Atque tota hæc res, cum per se difficillima sit, si cuiquam unquam, ei tantum prospere cedere potest, qui id, quod tractare vult, penitius ipse inspexerit, ut ea seponat, quæ omnino vulgarem rationem non capiant, reliqua ad captum multitudinis accommodet, magisque sensibus lectorum quam intellectui consulat.

Secundæ, quintæ, et sextæ satiræ epistolarum forma induta est; sunt tamen proprie disputatiunculæ poëticæ, ad Macrinum, Cornutum, et Bassum missæ, ex cogitatione aliqua graviori, fortuito quasi scribenti oborta, quam statim arreptam longius prosequeretur, natæ. Iniquum videtur statuere, Persium in his Horatianam epistolam imitari voluisse, verum, quod sibi proposuerit, non fuisse assecutum. Horatianas satiras ab epistolis ejus et rebus, quæ utroque genere continentur, et expositionis ratione diversas esse, jam viderunt veteres,[13] nuperque *Morgenstern* doctam disputationem de discrimine earum instituit.[14] Non exigenda hæc Persii ratio est ad eam formam, quam lectis Horatii aut Juvenalis epistolis forsan animus complexus sit; cum rationes et viæ, quibus poëtæ res tractandas efferre possint,

NOTÆ

13 Statius Silv. I. 3. 103. seq.

14 De satiræ atque epistolæ Horatianæ discrimine. Lips. 1801. In hac disputatione (pag. 52. in notis) reprehendit Casaubonum, qui illas tres satiras epistolas vocaverit: 'nam tres Persii satiræ,' inquit, 'sunt illæ quidem quibusdam inscriptæ, sed nonnisi dedicationis causa, quæ tractandi modum nihil afficiat. Quosdam quidem versus secundæ et sextæ satiræ præmisit, in illa quatuor, in hac sex, quibus Plotium Macrinum et Cæsium Bassum amicos alloqueretur. Sed versus isti aut nihil faciunt aut parum ad argumenti tractationem, quo in altera superstitiosos, in altera sordide viventes locis communibus castigat. At in quintæ maxima parte Cornuti præceptoris encomium pius discipulus prosequitur. Quod qui affirmat Casaubonus, eum cave ne audias. Nam illa satira tribus et triginta versibus (21-51. 62-64.) habet Cornuti laudes. Cetera, quæ desunt ad ducentorum versuum summam conficiendam, ad alios quosvis, quam ad Cornutum, pertinerent, nisi forte dicere velis, 'puerum dictata magistri reddere.'

innumerabiles sint, nec ad certum numerum natura astrictæ, præceptaque et regulæ hujus vel illius formæ aut imitatoribus aut lectoribus tantum scribantur, ut habeant, quod sequantur, aut ad quod in legendo attendant, non poëtis, qui libero cursu, quo impetus et Musæ ducant, sequuntur. Illæ satiræ aut epistolæ ad amicos missæ eo consilio scriptæ sunt, ut ipsi quasi inscriptionis honore amicique pietate gauderent, lectores vero, quorum ratio præcipue habita est, lectionis fructum colligerent.

Neque eorum opinio mihi probatur, qui perhibent, Persium eum rerum ordinem in satiris servare, quem dialectices regulæ præscribant. Videtur potius in hac re philosophus non satis accuratus et subtilis, simulque poëta non satis solutus ac liber. Unusquisque statim, quacumque satira perlecta, animadverterit necesse est, Persium non uno tenore argumentum detexuisse, sed in singulis partibus elaborasse, prout quæque illi in mentem venerit, easque curiose interdum et diligenter ita expolivisse, ut ubique ornatum poëtæ vel in singulis verbis agnoscas, deinde eas, neglecta arte, quæ in commissura celanda cernitur, composuisse, ut primo aspectu totius operis partes appareant. Qua ex re colligas, inventionis ubertate rerumque copia magis illum destitutum fuisse, quam rerum singularum tractandi arte, qua probe instructus grammaticorum et rhetorum scholas reliquisse videtur. Poëtices porro ratio postulat, ut res, quas mente tantum et ratione videmus, ita tractentur et exponantur, ut omnia videantur in ea esse mutata, quæ sensibus percipi possint. In quo genere Persius ab Horatio longe a tergo relinquitur: ad quos enim scopulos ille temere naufragium sæpe fecit, eos prudenti consilio hic semper evitavit. Oblitus est Persius, eas philosophiæ partes, quæ in rebus contemplandis positæ sunt, eaque principia recondita, quibus morum disciplina nititur, non esse res vulgi, ineptumque esse, multitudinem harum rerum judicem constituere, coram quo philosophi causam suam agant. Etenim in hujusmodi judicio facilius esse, illas res in risum et jocum vertere, quam gravi disputatione causam obtinere, Horatius non uno in

loco comprobavit, neque quenquam fugit, quantos plausus scurræ passim et sanniones tulerint nostra memoria in philosophia critica deridenda, dum defensores ejus doctissimi atque acutissimi non intellecti illi quidem causa cecidisse videantur. Innumerabiles præterea sunt rationes, quibus Horatius usus est, ad rem aliquam haud raro vulgarem novitate aliqua et venustate commendandam, quæ ingeniosissimum, versatissimum rationisque humanæ peritissimum indicant, politissimorumque hominum commercio et consuetudine usum, quarum pauca tantum vestigia in Persio deprehenduntur. Neque sane est, quod miremur, ita se rem habere. Etenim satiricus in hominum frequentia debet versari, ut eorum ingenia, mores, vitæ consuetudinem cognoscat, non in umbra et solitudine, in qua majorem vitæ partem Persius exegisse videtur. Qui quidem in hominum moribus et vitiis describendis summa utitur diligentia coloribusque exquisitissimis: sed in lineamentis, quæ ducta sunt, non levem et quasi fugacem artificis manum, sed timentem et in minutis accuratam agnoscis, ut statim appareat, naturam sibi ipsam eum non proposuisse, sed regulas secutum esse et præcepta, eaque imitando expressisse, quæ jam ab aliis expressa viderit. Quæ causa quoque est, ut loca quædam non polita solum diligenter, sed cultu operoso undique collecto pæne rigida videantur, quædam oratorio fuco adeo obducta, ut, quæ subsint, nemo perspicere possit. Porro res, exempla, similitudines, quæ proponuntur, non domi nata aut sponte oborta, sed schola videntur allata, ideoque sæpe non movent animum lectoris, nec inopinato feriunt, sed frigidum relinquunt adhibitæ artis admiratorem. Quæ vitia omnia, a quibus ne optimi quidem Romanorum poëtæ omnino liberi sunt, ex præpostera rhetorum disciplina, quæ tum maxime vigere cœpit, repeti possunt, qua prius discerent juvenes, quemadmodum inventa essent tractanda, quam ipsi rerum cognitione satis instructi, quæ cuique argumento forent accommodata, invenire et excogitare valerent: fierique omnino necesse fuit, ut, dum memoriæ infinita illa præcepta inculcarentur, ipsique in legendis poëtis et oratoribus ad ea

semper animum attenderent, seque in illis adhibendis exercerent, ingenium neglectum exaresceret, omnisque generosior et altior spiritus aut extingueretur, aut saltem quasi compedibus vinciretur, quæ omnem liberum cursum retardarent et impedirent.

Dramatica ratio, qua sæpe felicissime Horatius utitur, quæque prudenter adhibita in satiris non ultima laus est, in Persio, qui eam quoque tentavit, multas creat difficultates. Etenim modo adversarium loquentem inducit, eoque dimisso statim alius in scenam prodit, non ille prior; nisi mavis statuere, parum cogitasse Persium, quas partes tuendas semel ei, quocum sibi rem esse finxerit, tribuerit, et inde modo hoc modo illud defendentem induxisse. Sæpe etiam imitatur tantum Noster aliorum sermonem, dictionemque naturæ illorum et indoli accommodat. Difficultas autem inde sæpe oboritur, quod in ipsis dialogis non accurate satis et ipsius et adversarii partes discretæ sunt, ut statim cum ex iis, quæ dicuntur, tum ex ratione dicendi ipsa intelligas, uter sit, qui loquatur, cum repente orationem excipiens ea dicere pergat, quæ adversarius exorsus fuerat, tanquam ejus vices sibi essent tutandæ. Pertinet quidem hæc ratio ad ironiam, sed magnam habet cautionem, ne perspicuitati officiatur, cui a poëtis etiam consulendum est, quæque ab iis tantum negligi solet, qui ingenio destituti aliorum inventis utuntur, novitatemque in ornatu solum quærunt.

Verum in ironia adhibenda Persius sæpe nequicquam laboravit. Non videtur enim illa elocutionis figura ardentis esse ingenii, nec ab eo facile posse tractari, cujus animus graviori aliqua commotionis genere conturbatur; est potius ludentis aut risui stultitiam salibus et facetiis propinantis. Quo etiam fit, ut Persius ab ironia, qua uti cœperit, statim deflectat, atque ad pristinam gravitatem et acrimoniam revertatur. Omnino quidem id vitio non verterim, si quis ironiam per totum opus non tueatur, quod ut fiat, a quibusdam pulchritudinis et venustatis doctrinæ magistris velut lege sancitum videmus; neque ad Socratem confugio, ut illius exemplo hoc defendam, qui sæpe serio dicta ironiæ im-

miscuerit: sed in ipsa ironiæ natura situm hoc esse existimo, ut ejus vis tum præcipua sit, cum quasi ambigi possit, utrum serio dictum sit, nec ne, id quod tum maxime accidat necesse est, cum iis, quæ ficta mente dicta sint, serio dictis distincta videamus. Verum hac exquisitiori ironiæ genere nunquam utitur Noster, semperque fere rem vel adeo deprimit vel exaggerat, ut vel stupidissimus mentem veram possit divinare. Raro igitur in hoc genere pungit, aut aculeum alte in animum demittit, sed id tantum efficit, ut res studio deformata et distorta risum moveat.

Jam de dicendi genere, quo Persius usus est, pauca dicamus. Non est illud hilarum, jocosum, facetum, et urbanitate salibusque temperatum, quo Horatius lectores tantopere detinet ac delectat, sed triste plerumque, severum mordax, acerbitate et acrimonia plenum. Non ridet stultitiam, sed flagello increpat vitia et turpitudinem. Ingenium nactus forsan natura tristius, modestiusque a parentibus in solitudine pæne educatus, Romam quidem sed ad grammaticos et rhetores delatus est, deinde in disciplinam Cornuti venit. Hic generosus ille animus juvenili ardore Stoicorum præcepta arripiens e præceptoris sermonibus, res humanas, non ut sint, sed ut esse debeant, cognovit; atque, ut solent, qui erectioris et ardentioris ingenii sunt, formam et imaginem illarum mente concepit, ad quam deinde omnia, quæ audisset vidissetve, exigebat. Quæ cum animadvertisset ab illa norma longius aberrare, eaque sæpe derideri, quæ sibi extra omnem dubitationis aleam posita esse viderentur, gravi indignatione accensus est. Hæc deinde cum premenda esset, vixque tuto inter familiarissimos posset effundi, non solum vehementer aucta est, verum etiam in acerbitatem et acrimoniam abiit. Quæ acerbitas præcipue se exeruit in sententiarum conformationibus, in tropis figurisque deligendis, in quibus extrema semper, quæ sermonis ratio suppeditet, sequitur, nec semel vel omnem usum et consuetudinem, ut nobis quidem videtur, migrat, ut ea, quæ proponat, indignationis vehementiæ respondeant.

Hinc magna ex parte aliud vitium ortum est, quo Persii

semper animum attenderent, seque in illis adhibendis exercerent, ingenium neglectum exaresceret, omnisque generosior et altior spiritus aut extingueretur, aut saltem quasi compedibus vinciretur, quæ omnem liberum cursum retardarent et impedirent.

Dramatica ratio, qua sæpe felicissime Horatius utitur, quæque prudenter adhibita in satiris non ultima laus est, in Persio, qui eam quoque tentavit, multas creat difficultates. Etenim modo adversarium loquentem inducit, eoque dimisso statim alius in scenam prodit, non ille prior; nisi mavis statuere, parum cogitasse Persium, quas partes tuendas semel ei, quocum sibi rem esse finxerit, tribuerit, et inde modo hoc modo illud defendentem induxisse. Sæpe etiam imitatur tantum Noster aliorum sermonem, dictionemque naturæ illorum et indoli accommodat. Difficultas autem inde sæpe oboritur, quod in ipsis dialogis non accurate satis et ipsius et adversarii partes discretæ sunt, ut statim cum ex iis, quæ dicuntur, tum ex ratione dicendi ipsa intelligas, uter sit, qui loquatur, cum repente orationem excipiens ea dicere pergat, quæ adversarius exorsus fuerat, tanquam ejus vices sibi essent tutandæ. Pertinet quidem hæc ratio ad ironiam, sed magnam habet cautionem, ne perspicuitati officiatur, cui a poëtis etiam consulendum est, quæque ab iis tantum negligi solet, qui ingenio destituti aliorum inventis utuntur, novitatemque in ornatu solum quærunt.

Verum in ironia adhibenda Persius sæpe nequicquam laboravit. Non videtur enim illa elocutionis figura ardentis esse ingenii, nec ab eo facile posse tractari, cujus animus graviori aliqua commotionis genere conturbatur; est potius ludentis aut risui stultitiam salibus et facetiis propinantis. Quo etiam fit, ut Persius ab ironia, qua uti cœperit, statim deflectat, atque ad pristinam gravitatem et acrimoniam revertatur. Omnino quidem id vitio non verterim, si quis ironiam per totum opus non tueatur, quod ut fiat, a quibusdam pulchritudinis et venustatis doctrinæ magistris velut lege sancitum videmus; neque ad Socratem confugio, ut illius exemplo hoc defendam, qui sæpe serio dicta ironiæ im-

miscuerit: sed in ipsa ironiæ natura situm hoc esse existimo, ut ejus vis tum præcipua sit, cum quasi ambigi possit, utrum serio dictum sit, nec ne, id quod tum maxime accidat necesse est, cum iis, quæ ficta mente dicta sint, serio dictis distincta videamus. Verum hac exquisitiori ironiæ genere nunquam utitur Noster, semperque fere rem vel adeo deprimit vel exaggerat, ut vel stupidissimus mentem veram possit divinare. Raro igitur in hoc genere pungit, aut aculeum alte in animum demittit, sed id tantum efficit, ut res studio deformata et distorta risum moveat.

Jam de dicendi genere, quo Persius usus est, pauca dicamus. Non est illud hilarum, jocosum, facetum, et urbanitate salibusque temperatum, quo Horatius lectores tantopere detinet ac delectat, sed triste plerumque, severum mordax, acerbitate et acrimonia plenum. Non ridet stultitiam, sed flagello increpat vitia et turpitudinem. Ingenium nactus forsan natura tristius, modestiusque a parentibus in solitudine pæne educatus, Romam quidem sed ad grammaticos et rhetores delatus est, deinde in disciplinam Cornuti venit. Hic generosus ille animus juvenili ardore Stoicorum præcepta arripiens e præceptoris sermonibus, res humanas, non ut sint, sed ut esse debeant, cognovit; atque, ut soleat, qui erectioris et ardentioris ingenii sunt, formam et imaginem illarum mente concepit, ad quam deinde omnia, quæ audisset vidissetve, exigebat. Quæ cum animadvertisset ab illa norma longius aberrare, eaque sæpe derideri, quæ sibi extra omnem dubitationis aleam posita esse viderentur, gravi indignatione accensus est. Hæc deinde cum premenda esset, vixque tuto inter familiarissimos posset effundi, non solum vehementer aucta est, verum etiam in acerbitatem et acrimoniam abiit. Quæ acerbitas præcipue se exeruit in sententiarum conformationibus, in tropis figurisque deligendis, in quibus extrema semper, quæ sermonis ratio suppeditet, sequitur, nec semel vel omnem usum et consuetudinem, ut nobis quidem videtur, migrat, ut ea, quæ proponat, indignationis vehementiæ respondeant.

Hinc magna ex parte aliud vitium ortum est, quo Persii

scribendi genus laborat, ambiguitas et obscuritas, quæ etiam aucta est brevitatis studio, cui ex Stoica forsan disciplina nimium assuevit, et sententiarum argutiis, quibus tunc homines delectabantur. Verum, ne gravius æquo de Persio conqueramur, hoc utique tenendum est, obscura nos dicere, quæ a nobis non perspiciantur, justoque breviora, quæ rem, nunc quidem ignotam, significent tantum, non exprimant, nostram rerum cognitionem, nostrum sermonis Latini usum respicientes. Quis autem non intelligit, quæ nunc obscura vocamus, perspicua æqualibus esse potuisse, quæ nunc dura videntur, ex parte tunc usu fuisse mollita? etiam brevitatis studium, quod nimium esse judicamus, aut nullum aut modicum iis videri potuit, quibus res ipsæ tam notæ essent, ut uno verbo abunde ad intellectum indicarentur. Quod si enim tam obscurus æqualibus visus fuisset, quam quibusdam ex recentioribus, qui potuisset censuram Quintiliani effugere, qui perspicuitatem non solum in oratore, verum etiam in poëta requirit? Atque, si volumus verum fateri, loca æque obscura in quibusvis auctoribus deprehenduntur, difficilioraque passim ænigmata nobis solvenda fuissent, nisi ea veterum grammaticorum diligentia occupasset, atque explicata nobis tradidisset. Verum enim vero prope dixerim, ridiculos eos esse, qui Persium obscuritati studuisse perhibeant, ut delatorum periculum effugeret, aut Neronis iram evitaret. Quasi istis temporibus vel levissima suspicio non vim ipsius delicti habuerit, aut Persius arbitratus sit, Neronem id non esse intellecturum, quod ab omnibus reliquis intelligi optaret. Mihi quidem verisimile videtur, Persium de edendis satiris tum, cum eas scriberet, ne cogitasse quidem, verum in animo habuisse, æquiora tempora expectare, ut Juvenalis, ut ipse Tacitus fecit, sed morte ejus præmatura illud opus imperfectum in amicorum manus venisse, ut ipse vitæ auctor, quisquis ille tandem sit, testatur. Quid hi resecuerint vel immutaverint vel castigaverint, aut quando satiras illas vulgaverint, ipsi vitæ auctori ignotum fuisse videtur. Quod enim dicit, Cornutum unum versum in prima satira mutasse, ne eum ad se traheret

Nero,[15] tam absurdum est, ut mirer fuisse, qui hujusmodi quid serio repeterent, nec intelligerent, ex varia codicum lectione grammaticum nescio quem illud somniasse.[16]

In morum turpitudine carpenda dum versatur Persius, res adeo ei indigna atque intoleranda videtur, ut, judicio ex nostro sensu lato, verbis et dictionibus utatur obscœnis, et in tropis figurisque deligendis omnem modum ita excedat, ut interdum, quid sibi velit, plane nesciamus. Atque, si rem accuratius consideramus, apparet, eum non illa abominanda attigisse, quibus homines tunc passim erant contaminati, sed leviora tantum, et jam dudum, præsertim a delicatulis, more recepta, ad immodicum corporis cultum effœminatamque mollitiem magis, quam ad morum infamiam voluptatumque turpitudinem spectantia. Quid? si ea castigasset, quæ Juvenalis quibusdam locis exagitat, quibus tandem verbis eum usurum fuisse existimemus? Verum illæ dictiones, quas adhibuit, rebus, quæ notantur, accommodatæ sunt; nec dici potest, eum indignatione abreptum virgineum illum pudorem, quem vulgo illi tribuerunt, exuisse, cum illa verba tunc vel a viris honestis usurparentur, nec Cicero erubuerit in Philippicis suis de rebus fœdioribus verbis etiam obscœnioribus uti.

NOTÆ

15 Verba, quæ leguntur Sat. I. vs. 121: 'Auriculas asini Mida rex habet,' narrat vitæ auctor Cornutum ita satis absurde mutasse: 'Auriculas asini quis non habet.'

16 Vitæ auctor præterea hæc habet: 'Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui demti sunt ultimo libri, ut quasi finitus esset. Leviter retractavit Cornutus,' &c. Sic hæc Reizius exhibuit, quæ aliter apud alios, semper tamen ita leguntur, ut nullus sensus idoneus inde elici possit. Ceterum hoc ita non esse accipiendum, quasi nunc satira sexta manca sit, quæ procul dubio integra est, jam Casaubonus monuit; idemque existimat, versus illos deletos ad novam satiram pertinuisse inchoatam tantum nec dum finitam. Addit præterea: 'Etsi vero certum est, recte Persii librum hodie in sex satiras distingui; in antiquissimis tamen membranis aliam distinctionem invenimus: in multis enim codicibus quinque solum satiræ numerantur, quarta ad tertiam adjuncta: in quibusdam continuus est unus liber, nulla satirarum facta distinctione. Sane Priscianus, atque alii grammatici antiqui, quoties Persium laudant, librum nominant, non satiras numerant.'

Ut ubique artem redolet Noster, sic etiam in versuum concinnitate numerorumque gravitate et canore. Qui versus, ab Horatiana levitate et negligentia longissime remoti, non tam ob id præstantiores existimandi sunt, quam coleri, quem Persius satiris suis induxit, aptiores. Non vacat varias doctorum virorum super hanc rem opiniones colligere, quas passim longius, quam a doctrina et elegantia illorum expectari potuisset, a vero aberrasse videntur. Hoc mihi quidem certissimum videtur esse, virtutes hexametri ab Horatio melius et accuratius esse perspectas, quam nunc ab acutissimis criticis possint intelligi; eundemque non tam inexercitatum in iis condendis fuisse, quam nunc ex negligentia, quæ tamen procul dubio quæsita est, colligere se posse quidam opinantur.[17]

Qui Græcis literis imbutus monumenta Romanorum poëtarum perlustravit, eum non fugit, præstantissimam ingenii partem, quæ cernitur in inveniendo, omnibus pæne, ex parte saltem, defuisse, eosque non tam inventores rerum esse vocandos, quam imitatores Græcorum et ab eorum exemplis pendentes. Est enim in populorum ætatibus et singularis hominis vita et institutione quædam similitudo. Omnium mentis facultatum memoria et imaginandi vis prima se exerit, perfectionemque aliquam attingit et maturitatem cum in pueris seu adolescentibus, tum in populis rudibus nondumque excultis. In hac ætate, multis simul aliis rebus in hoc conspirantibus, poëtæ solent nasci a natura sola docti atque instituti. In qua ætate cum populus Romanus esset, ingenium minus ei defuisse dici potest, quam otium rerumque ad vitam sustinendam affluentia quædam et certus animorum sermonisque cultus. Præterlapso illo tempore non Musarum sedes

NOTÆ

17 Recte Morgenstern l.c. pag. 30. seqq. hac de re judicat; at paulo severius p. 47. in notis addit: 'Persio quidem in tristi illo supercilio, in singulari illa orationis obscuritate, maxime opus erat concinnis versibus et canoris, ne omni dote, quæ præter sanctum pectus poëtæ posset lectorem tenere, carerent poëmata austera.'

ipsi frequentasse, sed commercia cum illis per Græcos quasi internuncios celebrasse existimandi sunt. Inde factum est, ut omnes Romani poëtæ a Græcis pendeant, a quibus omnia fere jam occupata invenerant, magisque semper imitationi, quam inventioni studuerint, ita ut recentiores antiquiorum vestigiis insistere soleant. Ut Horatius Lucilium, qui tamen novi generis carminum auctor est habendus, si formam spectes, non materiam, liberiori tamen incessu secutus est, ita Persius ex Venusino fonte hortulos suos rigavit. In explorando autem, quantum Noster Horatio debeat, Casaubonus curiosius, pæne dicam, iniquius, quam par est, versatur, cum non solum dictiones sed singula pæne verba rimetur, quæ utrique communia fuerint, et in quæ uterque sponte incidere potuerit. Verum Persii imitatio Horatiana non solum in dictionibus et verbis, sed etiam in sententiis, quas suo more tractavit, cernitur, ad quod imitationis genus Casaubonum minus attendisse jure mireris. Non dixerim tamen eum omnia satirarum argumenta ex Horatio sumsisse, multoque minus loca in illius satiris et epistolis definiverim, quibus lectis Persio in mentem venerit, hoc vel illud argumentum detexere.[18] Hæc sane lubrica est judicandi ratio, ex qua etiam ea cuique scriptori subtrahere liceat, quæ tamen propria ejus sint, neminique antiquiori debeantur. Isto modo quis prohibeat, quominus dicamus, et Juvenalem Persio multa sublegisse: nam is quoque eodem dicendi genere passim utitur, quo Persius usus est, et eadem argumenta tractat, quæ ab illo tractata sunt. In rebus hujusmodi dijudicandis semper ante oculos habere debemus, fieri potuisse, ut scriptores eodem sermone usi et neque temporum ne-

NOTÆ

18 Auctor disputationis Germanicæ de A. Persio (in Charactere der vornehmsten Dichter aller Nationen. Sechsten Bandes erstes Stück. p. 87.) existimat, ad primam satiram scribendam Persium adductum esse per Horat. Epist. I. 19.; II. 91. seqq.; ad secundam per Epist. I. 17. 57. et Sat. II. 3. 281—295.; ad quartam saltem ex parte per Epist. I. 16.; ad quintam per Sat. II. 7. Plura etiam ex sexta satira ad Epist. I. 2. 145—198. formata esse putat.

que locorum ratione a se longe diversi in eadem sæpe inciderint; parique modo iisdem rebus affecti, easdem imagines, dictiones et verba adhibuerint, præsertim si ea ejusmodi sint, ut non recens cusa sed consuetudine sermonis jam recepta et in medio posita fuisse videantur.

Verum, inquis, iste poëta tam longe ab eo, quem secutus fuerat, relictus, in quo tot tantaque desiderantur, num dignus est, qui legatur? Utique dignus est, et voluptatem ejus lectio suppeditabit et utilitatem. Sunt enim loca quædam in illis satiris satis bene tractata; incidet lector in imagines et similitudines novas et non ineptas; deprehendet mores et ingenia hominum accurate delineata; movebunt ejus animum sententiæ illustres et graves; ostenduntur hic et illic ingenii igniculi, qui desiderium adolescentis præmatura morte erepti excitabunt. Ipseque virtutis amor pietatisque sensus, qui ubique ostenditur, efficiet, ut auctor nobis probetur, etiamsi facultate poëtica minus fuerit instructus. Ac cum Virgilio lecto nec Lucanum nec Silium nec Statium fastidiamus, cur Persium negligamus Venusina Musa delectati; qui, meo quidem sensu, lectorem ab Horatii lectione recentem magis delectabit, quam Statius placere possit, cum Virgilio deposito statim ad eum accesseris. Ceterum antiquitatis studiosis Persii lectionem fructuosam esse, equidem vix monendum esse existimo.

Magno plausu etiam satiras editas confestim exceptas esse, memoriæ prodidit vitæ Persii auctor,[19] idemque Martialis testatur et Quintilianus, patribusque ecclesiæ probatum illum fuisse indicant loca, quæ passim ex Persio protulerunt.[20] Etenim vel ea ipsa, quæ nunc scriptoribus vitio vertere jure solemus, multis tum quodammodo probata erant, sententiarum argutiæ, dicendi genus concisum, translationes audaces et obscuritas quædam orationi inducta.[21]

NOTÆ

19 'Editum librum continuo mirari homines et diripere cœperunt.' Et paulo supra: 'Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se, illo recitante, a clamore.'

20 E. g. Lactant. III. 16. 15.; VI. 2. 11. Augustin. de Civ. D. II. 7.

21 Quintil. instit. VIII. 2. 'At pervasit quidem jam multos ista persuasio, ut id jam demum eleganter atque

Verum fieri non potuit, quin, cum et res, quarum mentio fit in satiris, cœpissent ex parte ignorari, et dicendi genus a vulgari ratione in dies magis magisque discrepare, inter obscuros scriptores Persius referretur, grammaticique ad eum explicandum se accingerent. Fuerunt, qui putarent, Persii satiras a Cornuto scholiis instructas in lucem prodiisse, atque ex iis scholiis decerpta quædam fragmenta iis adhuc inesse scholiis, quæ nunc circumferuntur. A quorum opinione equidem tam longe absum, ut putem, Persium antiquitus nullis scholiis fuisse instructum, cum iis nihil opus esset æqualibus ejus, quibus et cognitæ res et sermonis ratio notior erat. Quin probabile est, ne Hieronymum quidem codicem manu exaratum Persii scholiis ditatum aut ante oculos habuisse aut cognovisse, alioquin tam acerbum de obscuritate illius judicium non tulisset. Neque in scholiis, ut nunc sunt, ullum antiquitatis vestigium apparet; pleraque sunt ejusmodi, ut unusquisque non plane ineptus, lecto aliquo loco, eadem allinere posset, quia nihil iis inest, quod non ipsis auctoris verbis contineatur; pauca tantum ex aliquo grammatico non nimis vetusto temere decerpta videri possunt. Sed nescio quo fato id accidisse dicam, ut nullus locus difficultate aliqua insignis aliquid lucis nactus sit ex illis scholiis; nam vel omnino silent, vel ea explicant, in quibus nemo hæreat. Nihilominus tamen ea scholia *utilissima* in Persium passim etiam a doctissimis viris vocantur. Verum cum in antiquioribus editionibus scholia proferantur pleniora, quam ea, quæ Casaubonus editioni suæ adjecit, nonnullaque a viris doctis inedita laudentur et in bibliothecis adhuc latentia, tota ista de scholiis disputatio ei, qui melioribus præsidiis instructus est, relinquenda mihi videtur.

G. L. KŒNIG.

Gotting. 1803.

NOTÆ

exquisite dictum putent, quod interpretandum sit.' Et IX. 3. 'Verborum figuræ et mutatæ sunt semper, et, utcumque voluit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, pæne jam, quidquid loquimur, figura est.'

EDITIONES ET MSS. PERSII,

E QUIBUS VARIÆ LECTIONES EXCERPTÆ SUNT.



'PERSIUS (edit. Rob. Steph. Lut. 1544) collatus est a Richardo Bentleio, cum Codice Msto, ann. 800, in Bibliotheca Regia, Londini.' In variarum Lectionum enumeratione, hæc editio designatur *Edit. Steph.*, et Codex, *Ms. R.*

Codex Galeanus Mstus, cum libris editis collatus, designatur *Gal. Ms.*

Editio, Heidelbergis impressa, 1590, cum VV. LL. Mss. a Richardo Bentleio; e Musæo Britannico: quæ designantur *B.*

'Var. aliquot lectiones ex antiquo splendidissimæ Bibliothecæ Ebnerianæ Codice Membraneo collectæ;' ex Edit. Georg. Frid. Sebaldi. Norimberg. 1765; designantur C.

Editio Isaac. Casaubon. 4to, Lug. Bat. 1590, cum edd. vulgatis et Kœnig. collata est: quarum variæ lectiones passim annotantur.

A. PERSII FLACCI

SATIRÆ.

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

Forsan jam Persii ætate more erat receptum, peculiari aliquo carmine reliquis carminibus præludere, illudque diverso metri genere enuntiare. A poëtis Persio recentioribus hæc ratio magis etiam frequentata esse videtur; in primis eam adhibuit Claudianus. Fuerunt, qui statuerent, hunc prologum ad primam satiram pertinere, in quo quid secuti sint, equidem videre non possum. Ceterùm sententiam prologi ratione vulgari expressam hanc esse existimo: quanquam talia de me prædicare non possum, qualia nostri poëtæ de se prædicant, neque ullo Musarum commercio usus sum, quo illi usos se esse gloriantur, quos nostra ætas tantopere amplexatur et in pretio habet: tamen carmen meum illorum sacris (divinis illis carminibus) addere audeo. Potest enim fieri, quemadmodum usus docet, ut aliquis carmina scribat, longe alia re, quam a Musis instinctus; nam fames, ut hoc utar, quæ aves ipsas humanam vocem imitari docet, mirus est artifex, et auri spes non dici potest quam præclaros versus interdum extorqueat.

Nec fonte labra prolui caballino,

Neque immersi labia in *fonte equino, neque recordor* me *indormiisse in monte*

NOTÆ

1 *Nec fonte labra prolui, &c.*] Irridet Persius vanitatem eorum Poëtarum, qui sese jactant afflatos ab Apolline et Musis, imitari volentes Hesiodum, qui Theogoniæ initio ait se a Musis divina canendi facultate dona-

Neque in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poëta prodirem.
Heliconidasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum *Χαῖρε*,

Parnasso bivertice, ut subito fierem ita Vates. Et Musas et Pirenen pallidam relinquo illis quorum statuas ambiunt hederæ tenaces. Ego subrusticus defero meos versus ad sacra Poëtarum. Quis docuit psittacum suum illud *χαῖρε*; *et picas eniti*

4 *Heliconiadasque* Ms. R.—5 Meliores libri, et Puteani membranæ, *remitto:* alii Codices, *relinquo:* ut in affini sententia, satira quinta, *Mensasque relinque Mycœnis:* non aliter perantiquæ clarissimi viri Jacobi Bongarsii membranæ. *Casaubon.*—6 *ipse ego semipaganus* C.—8 *Kere* Ms. R.—9 Legitur in nonnullis

NOTÆ

tum. Hunc locum imitatus Sidonius Apollinar. Lib. VIII. Epistola ultima, ita scribit: 'Non hic ego commentitiam Terpsichoren more studii veteris adscivi: nec juxta scaturiginem fontis Aganippici per roscidas ripas, et pumices muscidos stylum traxi. Atque utinam nihil molle, nihil fluidum, nil de triviis compitalibus mutuatum reperiatur,' &c.

Prolui] Id est, leviter delibavi, non autem immersis labiis ad satietatem hausi.

Caballino fonte] Pegasus alatus equus ungula percutiens radicem montis Parnassi, elicuit fontem qui inde dictus est *Hippocrene:* e quo bibentes statim Poëtas fieri, fabulantur. Vide Ovid. Metam. l. v. fab. 4.

2 *Nec in bicipiti somniasse, &c.*] Neque, ut Ennius, somniavi, immigrasse in me animam Homeri, aut alterius eximii Poëtæ. Vide infra Sat. VI. ad hæc verba, 'Cor jubet hoc Enni,' &c.

Parnasso] Mons est Phocidis in Achaia, Apollini sacer ac Musis; sicut et Helicon mons alter in Bœotia.

4 *Pirenen*] Fons erat Musis dicatus in Acrocorintho monte, juxta urbem Corinthum in Peloponeso. *Pallidam* autem vocat Persius, eo quod qui plurimum student pallidi fiunt. Vide postea Sat. v. 62. Vel spectat Fabulam de Pirene muliere, cujus e lacrymis fons iste emanasse fertur.

6 *Hederæ*] Boni Poëtæ hedera coronabantur. Vide Horat. Od. I. 1. *Sequaces;* vel quod facile adhærescant: vel quod sequantur eximios Poëtas velut præmium: quemadmodum ante dixi.

Semipaganus] Prope rusticus et agrestis: fere tam imperitus ac rudis, quam paganus. Vide Juvenal. Sat. XIV. 154. Annotat. ad vocem, *Pago.* Item Sat. XVI. 33. ad vocem, *Paganum.*

7 *Ad sacra vatum, &c.*] Augustus in suo palatio sacraverat ædem Musis et Apollini; teste Suetonio, Octav. c. 29. Eo docti conveniebant scriptaque deferebant sua. Hinc Horat. Epist. I. 3. 'Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.' Vide infra, ad eas voces, 'Sede leges celsa.'

8 *Quis expedivit, &c.*] Sunt qui de

Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingenîque largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poëtas et poëtrias picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

humanas voces? Venter artium doctor, ingenii dator, peritus assequi verba inconcessa. Quod si appareat spes lucrandæ *pecuniæ fallacis,* tum *putaveris corvos Poëtas, et picas Poëtrias canere carmen Pegaseium.*

blandiri; quod omnes membranæ repudiant: nec minus illum barbarum et ridiculum versum, quia nonnullis inter hunc et præcedentem collocatur. *Idem.* —9 *Picamque* C.—12 Libri Puteani, et Ms. R. et C. *refulgeat.*—13 *Poëtidas* Edit. Steph. *poëtridas* Ms. R.—14 *Melos* Edit. Steph. at *Nectar* præbet Ms. R. et Ms. Pithœanus, et C.

NOTÆ

ipso Persio hæc intelligant; quasi vero tam misera fuerit ejus fortuna, ut paupertate adactus sit ad scribendos versus, quemadmodum alii quidam istius temporis. Verum in Sat. v. bulla se ornatum, adeoque nobilem indicat. Adde carminis quod sectatur genus, abalienandis certe hominum potentium animis potius idoneum, quam parandis amicis. Itaque dicendus est Persius in his seipsum quidem petere, at ferire alios, qui divinam Poëseos facultatem velut artem quæstuosam arripiebant, quamvis a natura negatam.

Psittaco] Sicut avis ista non concessas alioqui voces, fame tamen stimulante, conatur exprimere: sic et quidam, ut victum habeant, utcumque versus scribunt, quos divitibus offerant; invita quidem Minerva. Vide Plin. x. 42.

Suum Χαῖρε] Quasi propriam aviculis istis salutandi rationem.

9 *Verba nostra*] Nobis hominibus proprium sermonem. Interserunt hic aliqui spurium sane versiculum hunc: 'Corvos quis olim concavum salutare?' Id est, quis etiam docuit corvum rauca voce et concava salutare Cæsarem Augustum, post Actiacam victoriam? Vide Martial. Epig. xiv. 73. 74. 76. Item Macrob. Saturnal. ii. 4. ad finem.

11 *Venter, negatas artifex sequi voces*] Scilicet venter famelicus artem dat et facultatem quam natura negaverat. Proverb. *Multa docet fames:* et apud Græcos: Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.

12 *Dolosi*] Nummum dolosum, eo quod dolosos faciat homines, vocari putant nonnulli. Malim ego cum Casaubono ita dici, quod spes sit ejus comparandi per adulationes dolosas, et falsam præstantiæ opinionem.

13 *Corvos Poëtas, &c.*] Si modo spes lucri affulgeat, carmina conscribent garruli quilibet, insulsi, inepti, e trivio Poëtastri. Atque sibi videbuntur ipsis egregia promere, dum æquis rerum æstimatoribus erunt ludibrio.

14 *Cantare credas*] Subaudi, posse: adeo potens est lucelli cupido, durisque urgens in rebus egestas.

Pegaseium] Egregium carmen, quale composuerit is qui ex Hippocrene biberit.

Nectar] Alii *melos:* quidam scribunt, *mellos*, ut metrum constet. At vero quidni Persius produxerit primam istius vocis syllabam, auctoritate fretus Ennii ac Homeri? Ennii quidem ex Annalibus affertur iste versus 'Matronæ melos complent spectare faventes.' Homerus autem Hymno I. in Mercurium sic habet: *Θεὸς δ' ὑπὸ μέλος ἄεισε.* Quanquam in præcedenti versu et alibi sæpius corripit. Nimirum id permittunt liquidæ consonantes. Vetus Schol. *in aliis est, nectar*, inquit. Hinc forte Angelus Politianus lectionem istam adstruit; rejicitque vocem, *melos*, quippe cujus prima sit brevis. At profecto Marullus eum apposite simul ac festive redarguit, sic occinens: 'Posse negas dici melos, facunde Poëta, Atque adeo picas nectar ais canere. Sed neque divinus male *μέλος ἄεισεν* Homerus: Nec, nisi qui laudat nectar, inepte canit.'

SATIRA I.

ARGUMENTUM.

Ambitiosam nobilium in carminibus condendis vanitatem, qua omnia ad ostentationem, neglecto veri, honesti et simplicitatis studio, comparentur, severe reprehensurum poëtam amicus quidam superveniens a proposito dimovere conatur, et sermone super hanc rem instituto initium hujus satiræ continetur. Ordo sententiarum hic est: Operam ludis scribendo, scripta enim tua nemo leget.—Quid hoc ad me? quasi vero curem pravum meorum civium judicium, quorum mores omnino gravem censuram merentur.—Sed heus, quis te censorem creavit?—Gravitati et severitati ætatis meæ munus hoc convenit.—Non mandabitur tibi, inquam.—Nihilominus tamen vel invitis omnibus, natura vel invitum impellente, scribendum mihi est. vs. 12. Jam ipsius argumenti tractatio incipit, quæ est ex dramatico genere. Inducitur enim aliquis, qui præposteram et importunam illius ætatis scribendi pruriginem defendat.—Scribimus sublimia.—Scilicet, interpellat eum Noster, ut habeas, quod recites coram hominibus judicii corruptissimi, quibus probari vehementer cupis. vs. 23.—Quid alioquin juvat summo cum labore aliquid didicisse? vs. 26.—Quasi vero scientiæ fructus pendeat omnis ab hominum existimatione, nihilque in se pretii habeat. vs. 27.—Ain' tu? parvi pendis in ore hominum esse, in scholis tractari, inter pocula frequentari ac laudari, beatus post mortem eo futurus? Quid rides? an erit, qui immortalitati inservire recuset? vs. 43.—Sentio equidem, quid sit merito laudari; verum acclamationes istas: *Euge!* et *Belle!* cum futilissimorum et vilissimorum scriptorum, ut nunc est, præmia sint, nullus curo. vs. 53. Quid, quod auditores quoque, variis artibus corrupti, velificantur quidem recitantium auribus, a tergo autem rident. vs. 62. Age jam, videamus, quale sit populi judicium! molles et infractos requirit versus, rerumque tumorem. vs. 68. Cujus rei, si verum volumus fateri, insana ista puerorum in scholis institutione, stultaque antiquitatis verecundia auctores ipsi sumus. vs. 78. Hinc sermonis corruptela repetenda est, quæ adeo in deliciis habetur, ut vel capite fortunisque omnibus rei neglectis populi plausum patroni inde mereri studeant. vs. 91. —At soni tamen et concinnitatis ratio habenda est, quam priores poëtæ neglexerunt. vs. 92.—Hoc allatis exemplis ridetur vs. 106. Quo facto judicium suum de toto illo genere Noster brevi subjungit. Tandem adversarius, cum nihil prætèrea, quo causam suam sustentet, habeat; cur tibi ipse, inquit, nimio veri studio noces?—Quantum ad me, respondet Noster similanter, omnia hæc præclara sint, equidem ulcera hæc non tangam. Enimvero, quod

aliis concessum fuerat, cur non idem mihi concedatur?—Non fiet. vs. 119.—Quid, si animi sensa literis tantum mandem? Et hæ literæ, quas nemo fortasse leget, majori mihi in pretio erunt, quam reliqui omnes, qui mea ætate prodeunt, ingenii fœtus. Vos, qui animum habetis imbutum antiqua Græcorum comœdia, adeste recitaturo; vos vero, philosophiæ et bonarum artium irrisores, superbi et dissoluti, procul esse jubeo.

'O CURAS hominum! o quantum est in rebus inane!
Quis leget hæc?' Min' tu istud ais? 'Nemo hercule.' Nemo?
'Vel duo, vel nemo: turpe et miserabile.' Quare?
Ne mihi Pulydamas et Troiades Labeonem
Prætulerint? nugæ. Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa

O cupiditates hominum! Quanta est vanitas in rebus! Quis evolvet hæc carmina? *Mihine tu hoc dicis? Nullus certe* leget. *Nullus? Unus aut alter, vel ne unus quidem: res pudenda et indigna. Cur? Ne Polydamas et Trojani mihi anteponant Labeonem? Ineptiæ. Ne assentiaris, si Roma tumultuosa aliquid elevet;* neve

4 *Næ mihi Pulydamas* Edd. *nec mihi Polydamas* Ms. Gal.—6 *examenque*

NOTÆ

1 *O curas hominum*] In quibusdam libris reperies appositas literas *P.* et *M.* Re quidem ipsa Dialogismus est inter Poëtam Satiras scribere aventem, et Monitorem qui conatur eum deterrere a scribendo. Neque vero conveniunt omnes quæ sint assignanda Poëtæ, quæ Monitori: sed suum quisque ad arbitrium versus et personas illis distribuit.

2 *Quis leget hæc*] Monitor statim, quis eas reprehensiones tuas libens accipiet? Desine igitur inutilia monita dare.

Nemo hercule] Agellius XI. 6. ait Romæ viros jurare solitos per Herculem; fœminas per Castorem, non contra: quamobrem vero, obscurum esse dicit. Illud porro apud Apuleium reperies non observatum, apud quem et fœminæ per Herculem jurant. Vide Juvenal. Sat. II. 98. Annot.

4 *Ne mihi Pulydamas*] Scilicet verebor quod olim Hector veritus est; ne, &c. Legunt nonnulli, *næ*, id est, certe. Allusit hic Persius ad Homeri Iliad. X. non longe ab initio. Quod idem fecerat Tullius ad Attic. Epist. II. 5. et VII. 1.

Pulydamas] Princeps Trojanus, per quem optime notatur Nero Historiæ Trojanæ plus æquo studiosus.

Labeonem] Actius Labeo ineptus Poëta, Neroni nihilominus carus, ee quod Homeri Iliados libros aliquot in Latinos versus quamvis male transtulisset. De eo nihil habemus præter versum hunc quem citat vetus Scholiastes, 'Crudum manduces Priamum Priamique Pisinnos.'

6 *Elevet*] *Elevare* significat duo

Castiges trutina: nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non? ah, si fas dicere! sed fas
Tunc, cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Aspexi, et nucibus facimus quæcumque relictis;
Cum sapimus patruos: tunc, tunc, ignoscite. 'Nolo.'
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.

expendas judicium injustum in illa libra: neque petas extra teipsum. Enimvero quis Romæ non id facit? *Ah si liceat loqui! Sed licet, tunc quando video canos capillos; et nostram illam vitam severam; et quæ agimus depositis nucibus: quando imitamur patruos* severitate, *tum*, inquam, *tum condonate. Nolo. Quid agam?*

Ms. Gal.—8 *Romæ est quis* Ms. Gal. et C. *ac si fas* Ms. R. et C.—9 *Tum* pro *Tunc* C.—8-12 Locus difficilis est: et ut equidem puto, minime sanus. Levi fortasse literarum mutatione interpretatio loci fit facilior: *Nam Romæ quis*

NOTÆ

contraria; nempe augere, et minuere: neque constat quo sensu hic a Persio intelligatur. Metaphora a ponderibus, in quibus ut lanx gravior attollatur, et par alteri fiat, ex ea aliquid detrahitur.

Accedas] Id est, ne te adjungas ad iniquos Judices Romanos, sive bonos versus contemnant, sive malos æstiment.

Examen] Est bilancis hasta, filum, lingula, qua stante, in neutram vergente partem, et sub ansa latente, æquilibrium cognoscitur. Metaphorice ponitur pro judicio.

7 *Trutina*] Proprie est illud foramen, intra quod libratur bilancis lingua, de qua mox. Hic sumitur pro tota bilance.

Nec te quæsiveris extra] Ne extra te Judicem quære aut judicium. Tu ipse res dijudica.

8 *Nam Romæ quis non*] Aposiopesis est: id est, quis Romæ errore communi lapsus, et extra se judicium quærens, non male judicat? Vel, quis Romæ non affectat laudem Poëseos? Quo quidem perstringitur ipse Nero.

Sed fas tunc, &c.] Totum hunc locum alii aliter interpretantur. Quidam volunt Persium loqui in propria persona, ita ut dicat sibi tandem licere invehi in hominum vitia, cum ipse jam, si minus ætate, at moribus senex sibi esse videatur: fas, inquit, mihi est pravos mores reprehendere, cum considero meæ mentis canitiem, et meum vivendi genus severum, maturamque relictis nugis sapientiam. Alii tamen videntur melius Persii sensum assecuti, qui aiunt illum homines suæ ætatis carpere, qui ætate licet provecti et moribus vultuque graves, adhuc tamen scribendis versiculis, qui juvenum lusus sunt, laudem captabant.

10 *Nucibus*] Id est, puerilibus ludis ac nugis quibuslibet. Sueton. August. cap. 83. refert illum cum pueris minutis interdum nucibus lusitasse.

11 *Cum sapimus patruos*] Qui sunt nepotum duri sæpe castigatores.

Ignoscite] Sinite me corrupta hominum judicia notare.

Nolo] Non sinam, inquit monitor: ab his abstineas jubeo.

12 *Quid faciam*] Respondet Persius; at mihi temperare non possum:

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche, albus
Sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur

Atqui sum irrisor ob *lienem procacem. Componimus clausi, alius carmina, alius solutus metro, operosum quiddam, quod pulmo peramplus spiritus proferat. Nempe et comptus, et veste nova, et candidus denique, cum gemma natalis diei, ista plebi recitabis e sublimi cathedra, postquam laveris fauces flexibiles potione fluida, disso-*

---

non?—at qui fas dicere? Qui fas? Tunc cum ad canitiem et nostrum id vivere triste Aspexi, et nucibus facimus quæcumque relictis? Cum sapimus patruos? Et hinc ignoscere nolo. Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno. Kœnigius.—14 *Quo* pro *quod*. C.—16 *Sardonice* C.—17 *Sede legens*, Ms. R. et C. Scribendum *leges;* etsi aliter antiquæ membranæ, in quibus est *legens:* simili

NOTÆ

splen grandior irrisorem me, et Satyricum facit. In liene Medici affectum risus collocant.

Petulanti] Petulans dicitur qui hunc et illum absque pudore petit.

Cachinno] Cachinno, onis, est homo risus intemperantior, sicut cachinnus risum effusum significat.

13 *Scribimus inclusi*] Prosopopœia est Poëtarum ineptorum illius temporis, quos inducit Persius suam causam defendentes. Quid mali facimus, inquiunt, siquidem musæo nostro clausi, alius stricta, alius soluta oratione scribimus egregium quoddam opus?

14 *Quod pulmo animæ*] Quod cum anhelitu, et non sine labore et vexatione pulmonis aëre et vento distenti recitemus. Videtur autem Persius notare grandiloquentiam affectatam, periodorum longitudinem, et ampullatam turgidamque orationem.

15 *Scilicet hæc populo*] Excipit satirice Persius: nempe auram popularem captas scriptitando et recitando, et vanam eruditionis opinionem affectas.

16 *Natalitia*] Vel gestari solita die natali, vel dono data.

Sardonyche] Ornatus annulo, cujus gemma sit sardonyx, lapillus subrubei simul et subcandidi coloris. Vox facta e sardio lapide rubri coloris, et onyche subalbi.

Albus] Veste nova et pretiosa splendidus: fortasse etiam, pallidus, sive ob studium pertinax, sive ob ingentem curam, qua se illi comparabant ad recitandum, sive denique ob anxium de eventu animum.

17 *Sede leges celsa*] Privatæ quædam fiebant recitationes Romæ satis frequentes, inter amicos et convivas. Hor. l. I. Sat. 4. 'Non recito cuiquam nisi amicis,' &c. Persius paulo post, 'Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.' Vide Plin. l. VIII. Epistola 21. Tull. ad Attic. l. XII. Epist. 4. et l. XV. Epist. 3. Aliæ porro recitationes erant publicæ: modo in Athenæo, modo in Apollinis æde, de qua in Prologo: modo etiam in sedibus ceu mercede conductis, sive accommodatis ab aliquo viro divite, cui id honorificum ducebatur; et cujus eo clientes applausus et celebritatis

Mobile collueris, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.

latus oculis lascivis. Illic nec bono ritu, nec applausu recto, aspicias subsilire nobiles Romanos, quando versus penetrant renes, et quando præcordia titillantur carmine trementi. O *senex, tune quæris illecebras auribus aliorum? Auribus,* inquam,

---

errore ut cum *quotiens*, *totiens*, et alia scripserunt pro *quoties*, *toties*, *&c.* Casaubon.—18 *colluerit* Edit. Steph. At *collueris* meliores membranæ, non *colluerit*, quod in aliis libris legitur: inepte, nisi legas *Sede leget celsa.* Casaubon.—19 *Tunc* pro *hic* C. *nec voce* Ms. R. *voce sonora* Ms. Gal.—21 *sculpuntur* Ms. R. sed

NOTÆ

causa convocabantur. Vide Mart. Epig. IV. 6. et X. 70. Plin. in Epistolis passim, ut l. II. Epist. 19. l. IX. Epist. 27. luculentissime vero l. VII. Epist. 17. et l. VIII. Epist. 12. Juvenalis autem Sat. VII. docet quanto id fiebat apparatu: 'At si dulcedine famæ Succensus recites, Maculonus commodat ædes.' Et paulo post: 'Scit dare libertos extrema in parte sedentes Ordinis, et magnas comitum disponere voces. Nemo dabit Regum quanti subsellia constent, Et quæ conducto pendent anabathra tigillo, Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.' Ex his patet consuevisse recitaturos suis impensis ornare auditorium, subsellia auditoribus, sibi vero pulpitum et sedem sublimem disponere. Idem habetur ex Dialogo de Oratoribus: 'Et domum mutuatur, et auditorium exstruit, et subsellia conducit, et libellos dispergit,' quibus nempe invitentur audituri. Vide Plin. Epist. I. 13. et II. 14. Atque ut frequentiores adessent auditores, pretio etiam munusculis cogebantur. Horat. in Arte, 'Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas, Assentatores jubet ad lucrum ire Poëta.' Et Persius paulo post, tritam lacernam dari, sumen apponi, ait. Adhibebant præterea ornamenta corporis varia, ut inde recitationi splendor accederet. Quod innuunt Persius hic: Plutarch. in Pompeio: Seneca Ep. 114. Martial. Ep. IV. 41. et VI. 41. Vide et Agell. XI. 9. ubi reperies, digitum annulo, caput palliolo, aures ligamentis, fauces vellere ceu lana exornari: pexos etiam capillos, togas recentes et splendidas.

Plasmate] Ad leniendam vocem, suavioremque faciendam.

18 *Patranti*] Patrare proprie est παιδοποιεῖν. Unde hic pro libidinoso aspectu a Persio usurpatur.

19 *Hic*] Id est, in illis recitationibus.

Neque voce serena] Acclamatione confusa.

20 *Trepidare*] Exhibendæ lætitiæ et approbationis causa. Horat. in arte. 'Saliet, tundet pede terram.'

Titos] Dicti sunt Titi nobiles Romani a Tito Tatio, vel a tuendo Imperio.

Lumbum intrant] Excitando libidinem, cujus sedes est in lumbis: quod faciunt obscœni versus.

21 *Tremulo*] Tremula voce pronuntiando, ut mollior sit sonus.

Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe?
'Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quæ semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus?'
En pallor seniumque! O mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

quibus pelle deformis etiam dicas ohe! Quorsum vero *doctum esse, nisi hoc fermentum* appareat; *et aperto hepate prodeat silvestris ficus, quæ aliquando orta est intra? Ecce* vultus *pallidus, et senectus, O indolem* pravam! *Itane vero scientia tua nihil est, nisi alii noverint te esse scientia præditum? At præclarum est digito*

a suprascr.—24 *Quid* Ms. R. et C.—28 *Et pulchrum* Ms. R.—35 *ac tenero* Ms. R.

NOTÆ

22 *Tun', vetule*] Insurgit Persius acriter adversus eam mollitiem. Ergone qua es ætate senex in id unum incumbis, ut tam infames juvenum auribus illecebras suppedites?

Vetule] Vox pertinens ad contemptum.

23 *Cute perditus*] Senio et rugis deformis.

Ohe] Contendunt aliqui legendum *evoë*, ut sensus sit: O Nero bacchantium vocem in tua Tragœdia gaudes recitare! Sed placet, cum melioris notæ Interpretibus et Exemplaribus, *Ohe*. Quæ Interjectio vel satietatem, vel juvenilem lætitiam significat. Sensus igitur erit: senex cum sis, juveniles etiam voces affectas. Vel potius: laboras ut placeas ineptis landatoribus; quorum adulationes ipse adeo expertus es, ut non sine pudore nimium te laudari sentiens cogereris dicere, *ohe:* satis est laudum et plusquam satis. Horat. Sat. II. 5. 'Importunus amat laudari? Donec, ohe jam, Ad cœlum manibus sublatis, dixerit, urge, et Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.'

24 *Quo didicisse, &c.*] Id est, quid prodest multa didicisse ni doctus esse cognoscar, inquit homo scribendi cupidus.

Fermentum] Dicitur a fervendo, id est, sicut frustra injicias fermentum in massam nisi ut eam infiet, et majorem faciat: sic, quid mea mihi eruditio proderit, nisi erumpat et clariorem me faciat?

Intus] In animo meo.

25 *Jecore*] Poni videtur pro corde, in quo affectuum sedem vulgus collocat.

Caprificus] Metaphorice designat gloriæ cupiditatem, et bene; nam arbor illa erumpit e muris quantumlibet duris, nullos parit fructus, sed tantum calyces.

26 *En pallor seniumque*] En signa studii nostri pertinacis, nostræque adeo profundæ eruditionis. Quæ verba attribuunt aliqui Persio Poëtastros irridenti: melius tamen videntur jungenda cum præcedentibus, ut postea Satyricus exclamet: *o mores!*

Usque adeone scire tuum, &c.] Ergone vanam gloriam velut ultimum finem studiorum tuorum constituis? D. August. Epist. 56. Dioscorum vulgi laudes sectantem perstringit Persiano hoc loco: 'Tune, o Dioscore, nec Persium tuum respicis contorto versiculo tibi insultantem,' &c. Ubi Persianam sententiam affert et

'At pulchrum est digito monstrari, et dicier, Hic est!
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?' Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,

ostendi, et dici, Ille est. An parvi æstimes fuisse tradita centum puerorum *cincinnatorum? En inter calices inquirunt Romani* epulis *satiati, quid divina carmina contineant. Illic quidam, cui circa scapulas est tegmen* coloris *hyacinthini, recitans aliquid fastidulum de naso balbutienti; si* veluti *guttatim fundit* amores *Phil-*

NOTÆ

graviter explicat. Porro Persius hic imitatus est Lucilium, cujus corruptum passim locum optime videtur restituisse Marcilius, sic: 'Id me Nolo scire mihi cujus sum conscin' solus, Ne damnum faciam. Scire est nescire nisi id me Scire alius scierit.'

28 *At pulchrum est, &c.*] Prolepsis est ironica. Demosthenes noscitari se a mulierculis et digito monstrari lætabatur. Tull. Tusc. quæst. 5.

29 *Ten' cirratorum, &c.*] Id est, parvine æstimes carmina alicujus Poëtæ esse dictata a ludimagistris in scholis, ut ea discipuli memoriter discant. Nero suos versus per scholas dictari imperasse aiunt: quod et alii velut decorum sibi affectarunt. Eusebius l. IX. narrat Maximum Imperatorem libellos quosdam in Christi derisionem confictos nomine Pilati per ludos circumferri legique præcepisse. D. Hieron. hunc Persii locum, ut et alios sæpe, bis aut ter usurpat, adversus Ruffinum bis, et in Apologet. ad Domnionem.

Cirratorum] Id est, nobilium juvenum, quorum cirrati solent esse capilli, id est, cincinnati, torti.

30 *Ecce inter pocula*] Respondet Persius, et docet flocci faciendas esse eas laudes, quæ dantur inter pocula. Quod antea Horatius fecerat Sat. II. 2. 'Discite non inter lances mensasque nitentes, Cum stupet insanis acies fulgoribus, et cum Acclivis falsis animus meliora recusat.' Mos erat scilicet apud veteres in conviviis aliquid ex illustribus Poëtis atque Auctoribus afferre, unde fabulandi inter doctos occasio præberetur. Vide Athenæum passim.

31 *Romulidæ saturi*] Romulidas vocat ironice, quasi Romulo valde absimiles. Gell. XI. 14. refert Romulum ad epulas vocatum non multum bibisse, quia postridie mane negotium haberet. Vide Juvenal. Sat. VI. 433. et seq. ubi et mulieres in convivio judicium ferentes de Virgilio aliisque Poëtis coarguit.

32 *Hyacinthina*] Vestis pretiosa notat quempiam nobilem ac delicatum. De cruore hyacinthi in florem purpureum verso Ovid. Metam. lib. X. fab. 5. Legunt alii, *Ianthina:* vestisque erit violacei coloris, nec minus splendida. Græcum est nomen ab ἴον *viola*, et ἄνθος *flos*. Perinde est.

Læna] In Tuscul. tegmen vocatur a Tullio: estque vestis accubitoria, cujus in conviviis usus erat, et supra vestem albam induebatur.

33 *Rancidulum*] Metaph. a carnibus ad corruptionem vergentibus: hic denotat aliquid insulsum.

Balba de nare] Durior paulo hæc

Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat, et tenero supplantat verba palato.
Assensere viri: nunc non cinis ille poëtæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivæ: nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violæ? Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset

lidis et Hypsipilæ, et triste aliquid Poëtarum; si vocabula etiam dejicit palato molli: statim *homines acclamant.* A*nnon manes hujus Vatis nunc beati sunt?* A*nnon cæspes mollius nunc premit* ejus *ossa? Comessatores celebrant:* a*nnon e cineribus istis, annon ex* isto *sepulcro et beato pulvere flores deinceps enascentur? Irrides (inquit) et nimis servis rugato naso. An* aliquis *erit, qui renuat captare laudes vulgi: et postquam*

—36 *nunc num cinis* Ms. Gal. *nunc, nunc cinis* Ms. R.—37 *num levior* Ms.

NOTÆ

metaphora pronuntiationem effœminatam et eductam e naribus vocem exprimit reprehenditque.

34 *Phyllidas, Hypsipilas*] Hæ mulieres amorem suum contemtum ægre ferentes morti occubuerunt. Vide Ovid. Epist. 2. et 6.

Vatum et plorabile] Elegiacum Carmen, cujus utplurimum materia tristis. Horat. in Arte. 'Versibus impariter junctis querimonia primum, Post etiam inclusa est voti sententia compos.'

35 *Eliquat*] Liquide veluti et guttatim fundit, voce lenta, molli, et affectata pronuntiat.

Supplantat] Verba nondum plane efformata quasi strangulat ac dejicit mollitiei causa. Supplantare proprie est supposito pede in terram dejicere.

36 *Assensere viri*] Applaudunt statim omnes, et probant indignas hasce recitandi rationes.

Nunc non cinis] Post tantas assentationes an non bene est illi Poëtæ? An non quiescunt ejus ossa molliter?

37 *Cippus*] Est sepulcri lapis; vel, ut alii volunt, terra in tumulum aggregata.

38 *Manibus*] Manes sunt animæ defunctorum: sunt etiam Dii Superi et Inferi. Ponitur hic ea vox pro terra ipsa sepulcri. Vide Sat. v. 152. ad vocem *Manes*.

39 *Favilla*] Quasi fovilla, ab igne fovendo. Spectat Persius antiquorum morem cremandi cadavera.

40 *Rides, ait*] Inquit nempe ad Satyricum monitor.

Nimis uncis naribus indulges] Satiricæ mordacitati nimium servis. Naso suspendere adunco dicitur qui salse deridet et subsannat: et quidem ridendo nasus in rugas contrahitur.

42 *Cedro digna*] Id est, immortalitate, quia succus e cedro corruptionem arcet. Vide Plin. XIII. 5.

43 *Scombros metuentia, &c.*] Scripta inepta, quæ nec vult quisquam emere, nec potest Bibliopola vendere, deputantur in volvendis variis mercibus, garo, piperi, thuri, &c.

Scombros] Pisces, e quibus optimum fiebat garum sive salsamentum.

Os populi meruisse? et, cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus?
Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemque extremumque esse recuso
'EUGE' tuum et 'BELLE.' Nam BELLE hoc excute totum:
Quid non intus habet? non hic est Ilias Acci
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi

dixit digna cedro, recuset *relinquere* posteritati *versus non timentes scombros et thus? Quicumque es, o homo, quem mox induxi loquentem contra me*, audi: *quando compono, si fortasse concinnum aliquid editur* a me, *quandoquidem est infrequens hæc volucris, uttamen si aliquid concinnum editur* a me, *non ego timebo celebrari: Nam cor non habeo* durum *ut cornu. At nego tuum* illud *euge et belle, esse ultimum scopum bene facti. Enimvero evolve integrum hoc belle: quidnam intra non continet? Non istic est carmen Actii redundans helleboro: non* est *Elegia aliqua,*

Gal. *nunc levior cippus non* Edit. Steph.—46 *hoc* pro *hæc* C. 46 præcedit

NOTÆ

Vide Plin. IX. 15. et Athenæum, l. VII. ubi naturam hujus piscis describit, variasque proprietates.

44 *Quisquis es*] Verba sunt Persii, quibus eleganter distinguit finem recte facti, et ejus consectaria quædam. Dicitque se non respuere laudem virtuti nunquam non adjunctam, non tamen eam spectare velut ultimum finem.

46 *Rara avis*] Proverbium est de Phœnice. Vide Plin. X. 2. Ovid. Metam. XV. c. 37. et alios.

47 *Cornea fibra*] Cor mihi durum non est et hebes, quod laudis amor non tangat.

Fibra] Synecdochicos pro corde, cujus extremitates, sicut et aliarum quarundam rerum, fibræ appellantur.

49 BELLE *hoc excute*] Scrutare mentem applaudentium, et approbandi rationes.

50 *Quid non intus*] Meras adulationes esse videbis.

Non est hic Ilias Acci] Hic, inquit Persius, in meis Satiris non idem reperies quod in versiculis Accii Labeonis. Vide supra vs. 4.

51 *Ebria veratro*] Composita ab homine qui quanquam acuendi ingenii causa hellebori plurimum sumserat, non melius proinde scripsit, quippe reluctabatur Minerva: neque ars dare potuit, quod natura negaverat.

Veratro] Album est helleborum, quod utile ad purgandum cerebrum, et excitandos spiritus; adhibitumque identidem a studiosis, auctor est Plin. XXV. 5. Item Gell. XVII. 15.

Elegidia] Diminutivum ab Elegia.

Crudi] Vel pleni cibo nondum bene cocto: vel metaphorice, scioli, qui quod didicerunt qualitercumque, nondum plane concoxerunt, nec perfecte callent.

Dictarunt proceres? non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen:
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, Verum, inquis, amo: verum mihi dicite de me.
Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi, calve,

quam composuerint Primates saturi; tandem non est id omne quod exaratur recumbendo in thoris e citro. Tu *nosti apponere sumen fervidum. Nosti dare vetus pallium asseclæ pauperculo: et* postea *dicis; Diligo veritatem; veritatem mihi aperi. De me (quomodo id fiat? Visne* ego *aperiam* tibi veritatem? *Ineptis,*

47 in Ms. R.—50 *Attii* Ms. R. *Atti* C.—52 *quid quod denique* Ms. Gal.—

NOTÆ

52 *Proceres*] Proprie sunt capita trabium, seu mutuli in ædificiis prominentes. Metaphorice sunt Primates et Principes civitatis.

Lectis scribitur] Interpretantur aliqui tabellas inceratas in quibus scribebant si quos mens parturiret versiculos, ne perirent. At quidni accipiantur ipsi lecti, seu lucubratorii in quibus studebant scribebantque veteres, ut unus vult Casaubonus contra ceteros Interpretes? seu triclinares et accubitorii, in quibus etiam inter cœnam versus dictabant, ut volunt alii. Lege Sueton. in Augusto c. 78. Agell. XIX. 10. Plin. Epist. IV. 14.

53 *Citreis*] E citro pretiosa arbore. Quo Persius Nobiles Romanos perpetuo notat Poëseos studio perperam affectos.

Scis ponere] Laute excipis homines, quorum emas hoc pacto suffragia et applausus.

Sumen] Ferculum erat delicatissimum e mammis porcæ post recentem partum sectis et sale conditis. Plin. VIII. 51. Quod autem, *calidum*, addit Persius, ne putes redundare epithetum, inquit Casaubonus: ferventissimos enim cibos inferre moris erat.

54 *Scis comitem horridulum*] Horat. Epist. I. 19. 'Non ego ventosæ plebis suffragia venor Impensis cœnarum et tritæ munere vestis.'

55 *Et, Verum, inquis, amo*] Quasi vero bene sentire, et dicere verum queant, quos muneribus corrupisti. Et quasi de versibus tuis recte judicare, et, quamvis bene judicaverint, quod sentiunt, tibi sincere aperire liceat convivis. Illi certe ita muneribus tuis devincti non nisi cumulare te laudibus audebunt coram, etsi postea forte te derisuri sint clam. Horat. in Arte. 'Si vero est, unctum qui recte ponere possit:—Mirabor si sciet inter-Noscere mendacem verumque beatus amicum. Tu seu donaris, seu quid donare voles cui, Nolito ad versus tibi factos ducere plenum Lætitiæ, clamabit enim, pulchre, bene, recte,' &c.

Verum mihi dicite] Plaut. Mostell. act. I. sc. 3. 'Ego verum amo, verum volo mihi dici: mendacem odi.'

56 *Qui pote*] Quomodo id fieri possit ut veritatem tibi dicant isti? Horat. Sat. I. 2. 'Male verum examinat omnis Corruptus Judex.'

Pote] *Pote* significat quasi possibile. Catullus Carm. 77. quod est ad seipsum: 'Hoc facies, sive id non pote, sive pote.'

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Jane! a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis altas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum!

quandoquidem, o *Calve*, *tibi prominet venter obesus*, *uno pede et dimidio protensus*. *O* felix *Jane*, *quem a tergo nulla tundit ciconia*, *neque manus inflexa expressit aures* asini *albas; neque* irridet exertæ *linguæ tantum*, *quantum* exerit *canis*

---

56 *Quid pote* Ms. R.—58 Antiquissimi quidam Critici legerunt *pisat*, vel *pisit*. Casaubon. *pinxit* Ms. Gal.—59 Omnes fere editiones et membranæ habent *albas*.—60 *tantæ* Ms. R. *tantæ* habent membranæ. Puto tamen Persium

NOTÆ

Vis dicam] Visne ut ego verum ingenue tibi dicam, quod frustra quæris ab adulatoribus?

Nugaris, *cum tibi*, *&c.*] Nugæ sunt tua carmina et ineptiæ: operam perdis in cudendis versibus, quos nunquam bonos facies. Nam pinguis et obesus venter subtilem sensum non parturit, juxta Græcum illud, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νοόν.

57 *Aqualiculus*] Diminutivum ab aquali et aqualico, quod proprie vas est, in quo bibunt porci: quanquam significat etiam ventris imam partem.

58 *O Jane*] Janus Deus, cui binam frontem affinxere veteres: unde a tergo derideri non posse affirmat Persius, hincque felicem esse ait. Quod si Poëtastri bina pariter fronte essent, derisiones a tergo plurimas evitarent, aut saltem videntes, quam sint ridiculi nossent. De Jano lege si vis Macrob. Saturn. I. 9.

Nulla ciconia pinsit] Id est, nullus digitus ad modum rostri ciconiæ extensus; quod primum est derisionis genus. D. Hieronym. Præfat. in Sophoniam: 'Si scirent Holdam viris tacentibus prophetasse, nunquam post tergum meum manum incurvarent in ciconiam.' Alii tamen volunt derisionem illam fieri solitam, non manus sed colli extensione post aliquem, instar ciconiarum collum extendentium. Quod verisimilius, et juvat D. Hieronym. loco mox citando, ad Rustic. Monach.

59 *Nec manus auriculas*] Alterum est derisionis genus, appositis ad tempora pollicibus, alios digitos et reliquam manum movere eo modo, quo asinus movet aures.

Altas] Vulg. *albas*, quia intus albæ sunt aures asininæ.

60 *Nec linguæ*, *quantum*] Nec irridet te protracta tantum lingua, quantum protrahere solent canes sitibundi in regione calida. 'Tria sunt sannarum genera: aut manu significare ciconiam; aut apposito temporibus pollice, auriculas asininas, aut linguam sitientis canis.' Hæc vetus Schol. D. autem Hieronym. in Epistola ad Rusticum Monachum: 'Ne credas,' inquit, 'laudatoribus, imo irrisoribus, qui cum te adulationibus suis foverint, si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.'

Canis Appula] Apulia Italiæ regio versus ostium sinus Adriatici. Ponitur pro qualibet regione calida.

Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.
Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat junctura ungues. Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum,

Apuliæ sitibunda. O vos sanguis nobilis, queis datum est vivere sine oculis in occipitio, evitate derisionem posteriorem.) Quid populus dicit? Quid enimvero diceret, *nisi versus jam tandem currere metro facili, adeo ut connexio sinat ire ungues asperos per politum.* Ille homo, inquit, *novit scribere versus non aliter quam si uno oculo regat lapillum rubeum. Seu juvat scribere in mores, seu contra*

scripsisse *tantum;* quæ lectio et elegantior longe est, et planior; sic et qui-

NOTÆ

61 *Patricius sanguis*] Patricii sunt Senatorum filii: designantur hic quilibet Nobiles Romani. Horat. ad Pisones: 'Vos o Pompilius sanguis.'

62 *Occipiti*] Occiput pars capitis posterior, sicut anterior sinciput.

Occurrite] Subeant licet ludibrium et derisionem plebeii; at vos, o Nobiles Romani, ne existimate fortunas et famam vestram pendere a versiculis: ab illis faciendis tantisper abstinete, aut saltem bonos facite. At mementote vos carere Jani oculis adeoque derisionem secretam timete eorum ipsorum, qui coram vobis applaudunt.

Posticæ sannæ] *Sanna* est derisio facta distorto vultu; *postica*, quæ fit post et a tergo hominis derisi.

63 *Quis populi sermo est*] Supra habes, *de me*, ante parenthesim: id est, quid de meis versiculis sentit populus, quid dicit? inquit Poëta vanæ gloriæ cupiditate excæcatus.

Quis enim? &c.] Quis alius esset sermo, id est, quid aliud dicere posset, nisi elegantes et sublimes esse tuos versus? Respondet adulator.

64 *Ut per leve severos*] Tam molles et politi sunt tui versus, ut similes sint levigato marmori, supra quod sine remora ducuntur et fluunt ungues.

66 *Rubricam*] Genus est terræ fossilis, coloris rubri, quæ primum reperta ad urbem Sinopem, ad littus Euxini maris in Paphlagonia, unde vocatur etiam Sinopis. Plin. xxxv. 6. hæc utilis ad notandas lineas, Architectis, &c.

Oculo dirigat uno] Metaphora a Fabris, qui lineam ducturi rectam, et hanc seu creta seu rubrica notaturi, alterum claudunt oculum, ne radii visuales distrahantur, et aberrent.

67 *Sive opus in mores*] Sive scribenda Comœdia. Ita vetus Interpres; et alii quidam ejus auctoritatem secuti. Repugnat Casaubonus, et jungit hæc, in mores, in luxum; explicatque de Satira, quæ tunc usitatissima erat, cum alioqui Comœdiæ scriptio jampridem frigere incœpisset.

In luxum] Hæc verba Satiræ materiam procul dubio exhibent: sicut, mores, Comœdiæ, quæ morum est expressio et vitæ communis adumbratio. Siquidem ea, ut mox dixi, separanda sunt.

In prandia Regum] Sive scribenda

Dicere, res grandes nostro dat Musa poëtæ.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Græce, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia fœno;

delicias, seu in prandia Regum, Musa inspirat sublimia nostro Vati. Ecce nunc cernimus nonnullos scribere heroum facta, qui solebant tractare nugas Græce, et non peritos describere nemus; nec celebrare agrum abundantem, in quo cophini, et caminus, et sues, et festa Palis Deæ *fœno* ardente *fumantia: ex quo* rure prodiit

dam Editi præferunt. *Casaubon.*—69 Hanc scripturam, *videmus*, etiam vetustissimi quidam Libri servant: firmat quod sequitur, *cum videas:* et ita superius, *Hic neque more probo videas:* placet tamen *docemus*, cum Bongarsii Codice, et nonnullis aliis. Refero enim ad doctores juventutis, qui eorum inanes animos rerum cognitione ad magna prius aspirare præcipiebant, quam in planis

NOTÆ

Tragœdia quæ Principum facta continet. Alludit hic Persius ad Thyestæ cœnam, in qua ille coctos filios ab Atreo fratre, inscius rei, et imprudens devoravit. Vide Senecam Tragicum.

68 *Res grandes, &c.*] Ironica sunt ista.

69 *Ecce modo heroas, &c.*] Heroicum carmen scribendum nonnullos cernimus suscipere, etiam imperitos.

70 *Nugari solitos Græce*] An qui carmina Græcorum inepte in Latinos versus transferunt, ut fecit Actius Labeo? An qui Linguam Græcam vix dum delibarunt, neque adeo satis eruditi videntur ad tale tantumque opus, quale est Epicum Carmen, quod summos per omnia Poëtas requirit? Legunt aliqui: *Ecce modo heroas sensus afferre docemus, nugari solitos Græce:* aiuntque reprehendi ipsos Magistros ac Præceptores, qui discipulos suos instituendo ad grandiloquentiam, non tam ad sublimem, quam ad turgidum ineptumque stylum eos deducebant: quod videntur confirmare sequentia: ubi, *nec ponere lucum artifices, &c.* rudes tirunculi intelligi possunt, sicut et nugari Græce soliti, cum Romæ juvenes Linguam primum Græcam doceri consuevissent. Verum his omnibus omissis, placet interpretari; in scribendo lascivire, more Græcorum, quibus id familiare in descriptionibus, et in aliis passim.

Nec ponere lucum artifices, &c.] Vix peritos tractare ut decet faciliora argumenta, in quibus solent tirones exerceri: qualia sunt descriptio nemoris, laudatio rei rusticæ. Vide Horat. initio Artis Poëticæ. Suspicatur hic Casaubonus Persium habuisse in animo ineptum aliquem sui temporis Poëtam, qui de re rustica carmen aliquod inconditum composuisset, quo forte congesserat inepte plurima, ut festa Palis, urbis Romæ Originem, Cincinnati Dictatoris Historiam: et leviuscula multa studiose complexus fuerat, ut corbes, focum, porcos, &c. At suspicionem ille suam nullo fulcit argumento.

71 *Rus saturum*] Agrum abundantem rebus omnibus.

72 *Palilia*] Pales Dea Pastorum, ab iis colebatur XI. Kal. Mai. id est,

Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti,
Cum trepida ante boves dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit: euge poëta!
Est nunc, Briseis quem venosus liber Accî,

Remus, et tu quoque, o *Quinti, atterens aratrum sulcata* humo, *quem ante boves conjux attonita vestivit Dictatoris veste, et viator reportavit aratrum tuum in ædes* tuas. *Macte, o Vates; reperitur jam* aliquis, *quem* delectent *scripta tur-*

et humilibus stylum exercuissent. *Casaubon.*—72 *Parilia* Edit. Steph. et multæ Edd.—74 *Quem dictatura.* Ms. Gal.—76 *Attii* Ms. R. *Brisei* vetus lectio est; et *Acci;* non *Brisæi,* neque *Acti* vel *Atti.* Sed pro *Brisei* lego *Briseis:* notissimum fœminæ nomen ex Homero, et aliis Poëtis: ejus casus Tragœdiæ nemo

NOTÆ

vigesima prima die Aprilis. Festum agebant ad arcendos lupos et morbos a pecore: vel ut felix esset et fœcundus pecoris partus: unde legunt quidam, *Parilia.* Vide Athen. l. VIII. sub finem. Ovid. IV. Fastorum.

Fumosa] Quia congestis fœno et stipula ignem accendebant Rustici, in Paliliis, transilientesque expiari se credebant. Ovid. Fast. IV. 'Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede.' Et post: 'Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli Excoquit; idcirco cum duce purgat oves.'

73 *Unde Remus*] Quo ex agro prodiit Remus cum fratre scilicet Romulo; et Romam condiderunt circa Paliliorum diem. Ovid. Fast. IV.

Dentalia] Dentale pars aratri lignea cui præfigitur vomer.

Quinti] Unde tu quoque prodiisti, o Quinti Cincinnate, qui ex aratro ad Dictaturam es evocatus, Tit. Liv. l. III.

74 *Dictatorem induit*] Dictatura, summus Romanorum Magistratus sex mensibus durabat: licebat tamen ante tempus abdicare: quod fecit Lucius ille Quintius, post dies sexdecim, rediitque ad opus rusticum, postquam rem Romanam in tuto collocasset, liberato Consule L. Minutio, quem obsessum in Algido monte jam dies aliquot tenebant Æqui hostes. Tit. Liv. III. 27. et sequentibus.

Uxor] Racilia: *trepida,* sive præ gaudio, sive præ stupore ob inexpectatum honorem, et discrimen rerum Romanarum.

75 *Euge Poëta*] Bono esto animo: en alii tecum amant etiam antiqua, obsoleta, turgida. Ironice, et satirice.

76 *Briseis*] Sic magis placet cum aliis legere, *Briseis,* (quod nomen puellæ est, de qua Homerus passim in Iliade, et Ovid. Epist. 3.) ut sit titulus Tragœdiæ ab Accio scriptæ; quemadmodum ponitur mox Antiopa Pacuvii Tragœdia. Alii legunt, *Brisei;* quod Bacchi cognomen tribuitur Accio, vel quod in Bacchi clientela sunt Poëtæ Tragici, vel quod Bacchas Tragœdiam scripserat.

Venosus liber] Quasi venis prominentibus tumens. Porro quid Turnebum moverit ut legendum esse, *nævosus,* suspicaretur, nec ego suspicari possum.

Acci] Cave legas, *Actii.* Nec enim loquitur hic Persius de Labeone Actio, de quo jam satis, sed de Lucio

Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, *ærumnis cor luctificabile fulta.*
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quærisne, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano

gida Accii Brisei. Modo reperiuntur homines, *quos detineat Pacuvius, et Antiopa salebrosa animum tristem* habens *doloribus obsessum. Quandoquidem cernis parentes lippientes suggerere hæc præcepta juvenibus, rogasne unde ista dicendi patella ad os pervenerit* ; et *unde hoc probrum veniat, ad quod tibi subsilit Eques Romanus politus, per sedes inferiores. Nullone pudore afficeris* quod *nequeas arcere*

potest negare. *Casaubon.*—82 *exultet* Ms. Gal.—84 Quid vocat *tepidum de-*

NOTÆ

Accio vetere Poëta et Pacuvii coætaneo, paulo tamen juniore, quem laudant Tull. pro Archia Poëta. Macrob. Saturnal. I. 7. Item VI. 1. 2. et 5. Valerius Max. III. 7. art. 11. Vide et Lylium Giraldum.

77 *Pacuvius*] Brundusinus, antiquus Tragœdiographus, imo Tragœdorum Princeps, aliquanto junior Plauto, Ennii ex sorore nepos fuisse dicitur. M. Pacuvii et L. Accii colloquium ex occasione factum Tarenti, lege apud Agellium XIII. 2. item utriusque elogia apud Quintil. X. 1. Duorum horumce Poëtarum stylus quidem asper et durus, attamen interlucet sententiis.

Verrucosa] Quasi verrucis et tumoribus aspera.

78 *Antiopa*] Lyci Thebarum Regis uxor ob Jovis concubitum a viro repudiata. Titulus est Tragœdiæ Pacuvianæ, cujus meminit Tullius initio l. I. de Finibus.

Ærumnis fulta] Id est, suis se miseriis sustentans, indurans: vel circumcincta calamitatibus. Metaphora satis dura, quam ex ipso Pacuvio depromtam hic reprehendi nonnulli autumant: sicut et vocem, *luctificabile.*

79 *Hos pueris monitus*] Nempe, ut veteres Poëtas sectentur.

80 *Sartago*] Vas patulum in quo cibi friguntur. Metaphora pro strepitu ferventis sartaginis, cui similem edit sonum oratio confusa, et vocibus novis simul et obsoletis conferta.

81 *Dedecus*] Infame dicendi scribendique genus.

82 *Trossulus*] A Trossulo Tuscorum oppido sine peditum ope capto, Equites Romani cognominati sunt Trossuli. Accipiunt alii pro, Torosulus diminut. a Torosus; ut notentur homines delicatuli.

Subsellia] Vel quibus spectabant Ludos Equites Romani, vel quibus recitationes audiebant, ut supra fuse explicui, ad eum locum: *Sede leges celsa.*

83 *Nilne pudet*] Jam eos insectatur Persius qui lenocinia verborum tam studiose imo tam stulte adhibent, ut in eo vim orationis constituant, ipsisque in causis capitalibus valere putent: adeo sua illos excœcat vana ostentationis et gloriæ inanis cupido.

Pellere, quin tepidum hoc optes audire, DECENTER?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis: doctas posuisse figuras
Laudatur: bellum hoc: hoc bellum? an, Romule, ceves?

periculum a capite albo, imo cupias auscultare frigidum illud verbum, *convenienter? Prædo es, inquit Pedio* accusator. *Ecquid Pedius* respondet? *Criminationem expendit in antithesibus politis. Erudita adhibuisse schemata, laudi vertitur. Pulchrum illud. Illud,* ais, *pulchrum* est? *Numquid turpiter adularis,* o *Romane?*

center? placebat legere *trepidum,* quod verbum est Horatii et Persii: prorsus ita dictum superius. *ingentes trepidare Titos:* qui locus valde confirmat nostram emendationem. Atque hanc lectionem invenimus annotatam in uno eorum veterum codicum, quos a clarissimo Bongarsio accepi: verum tamen et liber ille, et ceteræ omnes membranæ, quibus usi sumus, consentiunt cum vulgatis: videtur etiam Sidonius Apollinaris hunc locum imitatus, ut sæpe alios, cum scribit in Epistola ad Faustum l. IX. 'Quænam est cuiquam peritiæ cervix tanta, quive hydrops, ut etiam *tepida* vestra non ferventissimis laudibus persequatur?' Vocantur autem *tepida* Sidonio dicta mediocria, nec primæ notæ; ita hic capi ea vox potest: ut sit *audire tepidum decenter* velle laudari vel modica laudatione. *Tepere, fervere, frigere,* frigefacere sic sæpe usurpantur. *Casaubon.* Equidem malim *trepidum* legere; ita ut *trepidum decenter* significet acclamationes hominum trepidantium, patronique orationem, ad suas aures compositam, parum continenter cum lætitiæ significatione excipientium. *Kœnigius.*—85 Malim *doctus.* Juvenalis, 'doctus spectare lacunar.' *Casaubon.* — 87 *bellum hoc, hoc bellum?* Edit.

NOTÆ

84 *Quin tepidum*] Etiam cum reus capitis periculo liberandus orationeque solida defendendus, captas laudem e futili verborum aucupio, quam potius vera eloquentia quærere deberes.

85 *Pedio*] Pedius Blesus sub Nerone a Cyrenensibus accusatus est expilasse templum Æsculapii. Cornel. Tacit. Annal. l. XIV. damnatusque et Senatu motus est. Ponitur hic pro quolibet Romani fori oratore et patrono.

Pedius quid] Id est, quid respondet, qua ratione removet illatum sibi sacrilegii crimen?

Rasis] Id est, politis et elaboratis. Quintil. IX. 3. in ipso fine. 'Ubi vero atrocitate, invidia, miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis, et pariter cadentibus, et consimilibus, irascentem, flentem, rogantem? Cum in his cura verborum deroget affectibus fidem; et ubicumque ars ostentatur, veritas abesse videatur.'

86 *Librat*] Velut in contraria lance opponit criminationibus non valida, ut oporteret, argumenta, sed meras verborum exornationes et figuras; periodorum affectatos numeros et quasi appensos, homœotelenta, homœoptota, Isocola, &c. fortasse quia scit hos flosculos ac rhythmos apud Neronem valere, his se tuetur. D. Hieronym. Epist. ad Pammachium. 'Non pudet Christianos et Sacerdotes Dei, quasi de rebus ludicris agatur, verbis dubiis hærere, et ambiguas librare sententias, quibus loquens magis quam audiens decipitur.'

Antithetis] Latine, *Contrapositum,* Figura est per quam contraria contrariis respondentia in oratione ponuntur.

Doctas] Legunt alii, *Doctus,* id est, peritus et gnarus adhibendi tales figuras a Gorgia Rhetore inventas.

87 *Bellum hoc*] Inquiunt vani illi scriptores, vel adulatores.

Men' moveat? quippe et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
  Sed numeris decor est et junctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit, *Berecynthius Attin ;*

Enimvero si canat is qui fecit naufragium, an me tangat, et ei *nummum erogaverim?* Itane *canis* (dicam) *quando te e scapula gestas adumbratum in tabula abrupta.* Certe *sincerum et non noctu comparatum edet dolorem, qui cupiet me flectere querimonia* sua. *At metris gratia inest, et connexio juncta immaturis. Edoctus est ita finire carmen: Berecynthius Attin, et Delphin qui secabat mare Glaucum. Ita subtraximus latus Apennino*

Steph. *bellum hoc, bellum est* Ms. R. *hoc bellum? bellum est* Ms. Gal.—88 *Men' moveat quippe?* Edit. Steph.—92 *abdita* Edit. Steph. Quidam codices habent *abdita:* inepte. *Casaubon.*—93 Sic legendum est: quod pridem

NOTÆ

Hoc bellum] Repetit cum indignatione Persius: scilicet pulchrum hoc ducitis, o Romani?

Romule] Ponitur pro quolibet Romanorum.

Ceves] An ita turpiter adularis, ut canes solent agitando clunes domino suo abblandiri?

88 *Men' moveat*] Mene ad misericordiam provocet?

Assem] Ponitur pro quolibet nummo: proprie vero *as* est libralis nummus: idem quoque significat quod libra et pondo. Varro l. I. de Ling. Latina.

89 *Cantas, cum, &c.*] O Pedi, florido in sermone ludis et exultas, cum tamen mox ob crimina damnandus sis et movendus Senatu, tam stultus es nimirum, quam qui portans sui naufragii notas cantat hilariter: et tu, o Poëta, qui omnem Carminis laudem reponis in levibus ornamentis figurarum, neutro illorum es sanior.

In trabe] *Trabs* pro tabella accipitur.

Pictum] Apud veteres, qui fecerant naufragium, hoc in tabella pictum circumferebant, ut stipem corrogarent. Tabellam vero postea in Neptuni alteriusve Dei opitulatoris templo suspendebant. Horat. Od. I. 5. 'Me tabula sacer Votiva paries indicat, uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris Deo.'

90 *Verum, &c.*] Supple, ploratum plorabit; sicut dicimus, vitam vivere.

Nocte paratum] Meditatum et arte confictum.

91 *Qui me volet, &c.*] Poëta qui voluerit lectores movere, ne falsos tantum colores et vana Carmini ornamenta, de quibus ante, sed verum succum ac robur indat. Horatius in Arte: 'Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi.'

92 *Sed numeris decor est*] Retorquet malus Poëta: attamen in iis ipsis versibus quos reprehendis, inest concinnitas, inest aliquid ornatus et artificii, quanquam tu crudos vocas.

Addita] Legunt quidam, *abdita*, id est, abstrusa, occulta, arte et ingenio conquisita.

Crudis] Versibus non sat matura meditatione perfectis, vel, factis extempore, et magno numero, sine ullo labore, nullaque diligentia et industria profusis.

93 *Claudere sic versum, &c.*] Repo-

Et, *Qui cœruleum dirimebat Nerea delphin:*
Sic, *Costam longo subduximus Apennino.*
Arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui?
Ut ramale vetus prægrandi subere coctum.

longe patenti. Numquid non etiam illud carmen, *Arma virum, spuma plenum est, et crasso induvio? Sicut ramus annosus decoctus ingenti subere.*

monuit Josephus Scaliger. *Casaubon.* *Atys* Edit. Steph. *Attis* Ms. R.—95 *Si* pro *Sic.* C. Invenimus scriptum *a Panino:* contra fidem antiquarum membranarum, et auctoritatem Quintiliani iv. 5. *Casaubon.*—97 *vegrandi*

NOTÆ

nit Persius: ita nempe consuevit Nero rhythmos sectari, et vanas figuras duntaxat: ita suum de Aty Carmen rhythmicis implet, quasi una sint hæc vera carminis ornamenta.

Attin] Nempe, ut rhythmus insit versibus, *Attin*, legendum, non *Atys:* ut monet Jo. Scaliger, et alii doctissimi. Dio de Nerone, ἐκιθαρῴδησεν Ἀττῖνα ἢ Βάκχας. Idem suggerunt veteres Glossæ.

Berecynthius Attin] *Attin*, sive *Atys*, Phrygius puer admodum formosus adamatus Cybelæ, quæ a Berecyntho monte Asiæ minoris, ubi colebatur, cognomen adepta est: unde et ipse pariter Berecynthius dictus. De eo Carmen est Catulli sexagesimum quartum. Vide et Ovid. Fast. iv. 'Phryx puer in sylvis,' &c.

94 *Dirimebat Nerea*] Nando secabat mare. Persius arguit versum hunc tanquam audacioribus metaphoris inflatum. Nereus Deus marinus, metonymicῶs pro mari ponitur.

Delphin] Hoc aliud esse aiunt Neronis Carmen de Arione, quem dorso excepit Delphin, et ad portum vexit. Lege Herodotum l. i. Agell. xvi. cap. ultimo. Ovid. Fast. ii. Plin. ix. 8. ubi agit de Delphinis, ipsoque Arione.

95 *Sic*] Id est, per similem vanitatem, affectationem, errorem.

Costam subduximus] Unam syllabam versui heroico tanquam longiori subtrahere amavit Nero, substituto in tertia sede frequenter spondeo. Porro per costam Apennino subductam intelligit latus et certam partem Alpium, alludens ad Annibalem, qui igne et aceto eam perrupit, sibique suoque exercitui viam aperuit. Plutarch. in Vita Annibalis. Tit. Liv. l. xxi.

Longo Apennino] Longe mons ille protensus per Italiam mediam excurrit ad fretum usque Siculum.

96 *Arma virum*] Virgilii Æneidem intelligit. Nimirum reponit Persio monitor, vel quivis alius turgidorum versuum artifex et patronus: si tu nostra carmina non probas, quid, quæso, censes de Virgiliana Æneide? An non et illi versus videbuntur spumosi et inflati?

Spumosum] Vano tumore velut spuma turgescens extrinsecus, sine ulla intus medulla et succo.

Cortice pingui] Crasso, inflato, qualem habet suber. Vide Plin. xvi. 8.

97 *Ut ramale vetus*] Jungunt hæc aliqui cum præcedentibus, et tribuunt monitori, ut sit expolitio prioris sententiæ. At doctiores sejungunt, ut sit Persii ad monitorem responsio: grandes quidem et sublimes sunt Virgilii versus, sed non inflati, imo dissipata spuma et tumore discusso velut cocti sunt et maturo judicio perfecti: similes ramo veteri, magno quidem,

Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis:
Et, *Raptum vitulo caput ablatura superbo*
Bassaris: et, *Lyncem Mænas flexura corymbis,*

Ecquod ergo carmen *molle, et pronuntiandum capite deflexo?* Nempe hæc: *inflarunt tubas terribiles sonis Bacchantium, et* mox *Agave ereptura caput ablatum*

Edd. multæ.—99 *Mimalionis* C.—102 *Eubion* C.—104 Olim levi mutatione

NOTÆ

sed calore Solis et ætate paululum imminuto et siccato. Vide Quintil. l. x.

Prægrandi] Alii legunt, *vægrandi.*

Subere] *Suber*, arbor crassæ corticis, Plin. xvi. 8.

Coctum] Maturum, durum, solidum. Et metaphorice, igne quasi judicii excoctum, et elaboratum ad amussim.

98 *Quidnam igitur tenerum, &c.*] Excandescit monitor, et in Persium insurgit: ecquod ergo carmen tibi tandem probabitur? Quod carmen legendum sine ulla affectatione, quia per sese commendationem habebit? An vero ullum est, quod legi possit *laxa cervice*, ac perinde magnum sonet et grande, quamvis haud erecta et superba legatur cervice? quod quidem solenne est et solitum Poëtis inflatis turgidos suos versus legentibus, qui magnum quid de se ipsi suisque carminibus sentiunt, et aliis persuadere nituntur superbo illo suo gestu.

99 *Torva Mimalloneis*] Respondet ironice Persius: hæc nempe Neroniana, e Bacchis ejus, concinna sunt. Porro in istis versibus mollis est rhythmus et affectatus, ceterum quam tenuis sensus, et verborum tumori quam minimum respondet! Sunt qui negent versus hos Neronis esse, sed a Persio ad similitudinem Neronianorum confictos ut dicemus infra vs. 121. ad hæc verba: 'Auriculas asini quis non habet?'

Torva] Vel a terrendo quasi *terva;* vel *torta* a torquendo, id est, inflexa.

Mimalloneis] Mimas, antis, Ioniæ mons, in quo Orgia Baccho celebrabantur. Hinc Bacchantes dictæ Mimallones.

Implerunt cornua] Vento inflarunt, et cecinerunt. Id est, statim atque signum datum est Bacchantibus per tubas.

Bombis] Vox ad imitationem soni facta. Proprie *bombus* est ille sonus quem edunt apes.

100 *Vitulo*] Pentheo, quem vitulum esse crediderunt furentes illæ mulieres, ipsaque Agave ejus mater. Horat. Sat. ii. 3. At Ovid. Metam. iii. aprum illis visum, ait, remque totam eleganter describit.

Caput ablatura] Agave Bacchi Sacerdos ceteris Bacchantibus adjuta mortem intulit proprio filio Pentheo, eo quo non licebat, accedenti; eique prima omnium caput ademit Bacchico furore percita.

Superbo] Contemtori Orgiorum et Sacrorum Bacchi. Metamorphos. xiii. Bacchanalium Romæ originem, et abrogationem lege, si vis, apud Tit. Liv. xxxix. 8. et sequentibus.

101 *Bassaris*] Agave ita cognominata sicut et aliæ Bacchi sacrificulæ, a Bassara Libyæ loco, ubi colebatur Bacchus, ut vult Acron; vel a *Bas-*

Euion ingeminat: reparabilis assonat Echo.
Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, et in udo est Mænas et Attin:
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

buculo petulanti, et Mænas lyncem incurvatura hederarum uvis, sæpius clamat, evoë: resonat Echo repetens voces. An *talia* carmina *conderentur, si in nobis vigeret pars aliqua virtutis majorum? Illud* nihilominus carmen *enerve fluit in labellis extrema saliva; et Mænas et Attin in humido est: neque percutit pulpitum,*

locum sic legi: *Summa delumbe saliva Hoc natat in labris jejuno; et Mænas et*

NOTÆ

sari veste talari, qua ille induebatur. Non placet etymologia ἀπὸ τῶν βήσσων a vallibus et saltibus in quibus bacchabantur; nec ἀπὸ τοῦ βάζειν, quod est loqui seu vociferari.

Lyncem] *Lynces* currum Bacchi trahunt, sicut et tigres, maculosa animalia, et varios vini effectus apprime significantia. De istis vide Plin. lib. VIII. de tigride, cap. 18. de lynce, cap. 38.

Mænas] Ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, quod est furere, Mænades appellatæ sunt Bacchantes.

Corymbis] *Corymbus* est hederæ fructus. Hic intellige vel virgam è thyrso, vel frænum hederis intortis ornatum. Hederæ vero Baccho sacræ, quia revertens ab India victor his sese coronavit.

102 *Euion*] *Euios* dicitur Bacchus vel a voce Bacchantium εὐοῖ: vel quod ob res adversus Gigantes fortiter gestas, laudatus est a Jove his verbis; εὖ υἱὲ, *euge, fili.* Horat. Od. II. 19.

Reparabilis] Quæ voces perennes reparat repetendo.

Echo] Dicta ἀπὸ τοῦ ἠχεῖν, *sonare.* Fuisse puellam ob garrulitatem in vocem a Junone mutatam fabulantur. Quid revera sit *Echo,* explicat diserte Plin. II. 46. et XXXVI. 15. Lege et Ovid. Metam. III. 5. et Ausonii Epigramma undecimum.

103 *Testiculi*] Metaph. paulo audacior et obscœnior. Id est, si virilitatis antiquæ et virtutis ac diligentiæ majorum nostrorum vestigium aliquod in nobis superesset. Horat. Epod. 15. 'Si quid in Flacco viri est.'

104 *Delumbe*] Id est, sine lumbis, et sine viribus. Nam in illis corporis maxime robur apparet.

Summa saliva natat] Ejusmodi carmen enerve pronuntiatur primoribus labris, ubi plurimum salivæ esse solet; non autem virili quadam voce et ex imo pectore educta. Et cum blæse, molliter, tenere pronuntiarunt illi Poëtastri, tum se egregios Poëtas arbitrantur, quia forte adulatorum acclamationes ineptas audierunt.

105 *Et in udo est Mænas, &c.*] In udo esse, et summa saliva natare, idem esse videtur. Potest etiam intelligi Persius conqueri quod Neroniana carmina perpetuo habeantur in ore adulatorum et ineptorum Romanorum; adeoque semper in udo sint et in saliva natent. Quod simplicius est et magis placet. De Atty, et Mænade seu Bacchis, Neronianis Carminibus, mox dictum est.

106 *Pluteum*] *Pluteus* significat hic

'Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne majorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hic de nare canina
Litera.' Per me equidem sint omnia protinus alba;

neque redolet ungues arrosos. At quorsum juvat perstringere aures delicatas veritate irritante? Cave, si vis, ne fortasse januæ potentium fiant tibi frigidæ: nam *illic litera de naso canum* nimis *crepat. Per me profecto* licet, *cuncta sunto dein-*

Attin Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues. Kœnigius.—107 *rodere vero*

NOTÆ

armarium, in quo libri reponuntur. Præterea plutei militares vocantur crates quædam corio opertæ, quibus ante se locatis hostium tela arcent milites dum faciunt opus. Lips. Poliorcet. lib. I. dialog. 7.

Nec pluteum cædit] Tale Carmen non ostendit percussum a Scriptore pluteum, et pulsatum præ indignatione, quod animus ad votum non suggereret. Quin ille parum solicitus fuit quam bonos, sed quam multos et faciles funderet versus, unde nec mirum si exsuccum, enerve, et elumbe carmen est, quod sine delectu, sine labore, sine anxietate animi fuit compositum. Quintil. X. 3. citat hunc Persii locum.

Nec demorsos sapit ungues] Præ anxietate animi in profunda meditatione defixi, diligenter et accurate scribere volentis; non probantis omnino quæ scripsit, ac meliora quærentis. Quod boni Poëtæ solent. Horat. Sat. I. 10. 'Et in versu faciendo Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues.'

107 *Sed quid opus, &c.*] Rationes suas elusas a Persio animadvertens monitor adhibet minas, ut a satirica dicacitate eum deterreat.

Teneras auriculas] Aures Neronis et nobilium Romanorum reprehensionis impatientes.

Mordaci vero] Tuis Satiris nimium veracibus, quibus sine ulla cujusquam reverentia suos cuique etiam nolenti errores ostendis et exprobras acriter, salse, satyrice.

Radere] Metaph. a Chirurgis, qui vulnera putrida cultro radunt ac purgant, et, si opus, secant.

109 *Limina frigescant*] Time potentiores ita offensos habere, ut frigide te excipiant, ab amicitia excludant; vel etiam mortem inferant, quæ frigidos facit. Horat. Sat. II. 1. 'O puer, ut sis Vitalis metuo, majorum ne quis amicus Frigore te feriat.'

Sonat hic] In tuis Satiris nimium est acerbitatis: vel in domo Neronis ac nobilium ira et ultio frequens est. Hæc monitor.

De nare canina litera] Litera canina est R. hanc enim canes videntur exprimere, dum restrictis labiis irritatos se significant, atque hirriunt.

110 *Per me equidem*] Respondet Persius per concessionem ironicam, si quidem ita vis, probentur omnia velut concinna, etiam quæ minime sunt.

Alba] Sicut nigrum pro malo, ita pro bono album ponitur. Pythagoras apud Laërtium: τὸ μὲν λευκὸν τῆς ἀγαθοῦ φύσεως, τὸ δὲ μέλαν κακοῦ.

Nil moror. Euge! omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat? Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra

ceps pulchra. Non impedio quidquam: bene est. Omnia, omnia, inquam, *eritis valde admirabilia. Istud placet: illic, ais, prohibeo, ne ullus faciat stercus. Appinge binos serpentes.* O *juvenes, sancta est terra* hæc: *foras lotium mittite.*

Ms. R. *versu* Ms. Gal.—111 *omnes, et enim bene* Ms. R. *omn. etenim bene* C. *omnes, res omnes* Ms. Gal. *vidi hic vidi* Ms. R.

NOTÆ

111 *Omnes, omnes*] Volo deinceps omnia, omnia, inquam, cum aliis admirari, ut tu facis, et jubes me tecum facere, o monitor.

Bene miræ eritis res] Ridicula versus clausula ridiculum adulatoribus consentiendi consilium egregie exprimit. Juxta illud Horatii præceptum Sat. 10. lib. I. 'Et sermone opus est modo tristi, sæpe jocoso: Defendente vicem modo Rhetoris, atque Poëtæ, Interdum urbani parcentis viribus, atque Extenuantis eas consulto.'

112 *Hoc juvat*] Placet tibi meum hoc propositum, o monitor, bene est.

Hic, inquis, &c.] Hæc vel tua vel Neronis carmina satirica libertate violari prohibes; ab his abstinendum inquis, ut a sacro loco conspurcando: ergo ut sanctitatis eorum admonear, ne ea carpere mihi forte contingat, appone notas aliquas, quemadmodum in locis sacris appingi solent dracones et serpentes, sive ut Genios sacros ac Deos Tutelares exhibeant, sive ut terribilis illa species arceat profanos.

113 *Pinge duos angues*] Quod antiqui sub specie draconum et serpentum coluerint Deos et locorum Genios constat ex Herodoto l. VIII. ubi de angue Arcis Athenarum custode, Deoque Tutelari verba facit. Item lib. II. ait circa Thebas sacros esse serpentes, qui mortui in Jovis æde sepeliantur. Nota etiam est historia de serpente Epidaurio devecto Romam, et exstructa æde culto illic pro Æsculapio, de quo lege Tit. Liv. lib. X. Florum, lib. XI. Pausaniam in Corinthiacis: et alios. Virgilius autem Æneid. v. 82. postquam ex Anchisæ tumulo anguem exiisse retulit, subjungit de Ænea, 'Incertus Geniumne loci famulumne parentis Esse putet.' Propertius Eleg. IV. 8. 'Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis.' Hinc ergo est quod sacris locis Draconum figuræ appingerentur, ut auctor est Turnebus XIII. 12. et XIV. 4. ubi et locum hunc Persii affert. Cur denique sub specie serpentum atque draconum, locorum Genios, ac Deos, Heroasque colerent, pingerentque, Macrob. Saturn. I. 20. rationem videtur attingere, cum ait, ideo Salutis et Æsculapii simulacris appingi draconum figuras, quia præstant ut humana corpora, velut infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant vigorem, sicut revirescunt dracones per annos singulos, pelle senectutis exuta. Unde concludere licet; serpentes, eo quod veluti quotannis juvenescunt, immortalitatem bene significare, Deos et Heroas optime designare, ac propterea locis sacris appingi. Plutarchus aliam affert causam, sed meo judicio valde futilem, in Vita Cleomenis ad finem, ubi narrat fixi in cruce Cleo-

Meiite: discedo. Secuit Lucilius Urbem,
Te, Lupe, te, Muci; et genuinum fregit in illis.

Abeo. At *Lucilius proscidit civitatem; te,* o *Lupe; et te,* o *Muti; et in istis*

NOTÆ

menis corpus anguem fuisse circumplexum, hincque Divinitatis opinionem Regi accessisse, et Heroëm habitum Cleomenem Deorumque filium. Addit porro hujus rei et opinionis causam a sapientibus viris proditam esse, quod sicut e bobus apes, ex equis fuci, ex asinis crabrones generentur, sic ex humanis corporibus serpentes enascantur. Denique concludit: non ergo abs re veteres Heroibus dracones consecrasse. Dracones divino cultu honoratos affirmant porro Ælianus de animal. II. 2. 16. 17. et Plutarch. lib. de Iside et Osiride.

Pueri, sacer est locus] Adde etiam hoc interdictum, quo pueri deterreantur a polluendo sordibus loco; neve illic meiant: quod grande erat nefas. Horat. in Arte: 'Minxerit in patrios cineres.' Vide quæ Sueton. de Nerone lotio contaminante Deæ simulacrum. Sed et, urinam facere ad statuas Principum, capitale fuisse, docet Ælius Spartianus in Antonino Caracallo; ubi sic refert: 'Damnati sunt eo tempore qui urinam eo loco fecerant, in quo erant imagines Principis,' &c.

Extra meiite] Metaphorice significat: o Poëtæ Satirici, censuram vestram alio transferre quolibet, modo ab his abstineatis.

114 *Discedo*] Siquidem his parcendum, quæ sunt maxime reprehensione digna, inquit Persius, hinc mihi demigrandum. Abeo itaque; vix enim mihi temperarem (ut initio monui petulantem mihi lienem esse) quin satirica libertate uterer in his perinde ac in ceteris.

Secuit Lucilius] Seipsum redarguit Persius: Eccur vero discedam? Quid verebor facere, quod ante me alii impune fecerunt?

Lucilius] C. Lucilius primus apud Romanos Satiras scripsit. Ac sicut Lucilium Horatius, Horatium Persius, alios omnes Juvenalis imitatus est; sic Lucilius secutus fuerat Ennium et Accium. Horat. Sat. I. 10. 'Nil comis Tragici mutat Lucilius Acci? Non ridet versus Enni gravitate minores?' Coævum fuisse Scipioni Africano testatur idem Horat. Sat. II. 1. ubi et alibi passim in Sermonibus Lucilium carpit mordicus, quanquam magno aliis in pretio fuisse refertur; nec suam ipsi laudem detrahit Quintil. lib. X. Natus nobili loco ex Arunca Ausoniæ urbe, anno uno antequam veniret Carthago in Romanorum potestatem. Scripsisse dicitur Satirarum libros plusquam triginta: at pervenerunt ad nos fragmenta tantum aliquot. Crinitus.

Urbem] Romam et potentissimos Romanorum acerrime insectatus. Horat. Sat. I. 10. 'Sale multo Urbem defricuit.' Et lib. II. Sat. 1. 'Primores populi arripuit populumque tributim.' Juvenal. Sat. I. 'Ense velut stricto quoties Lucilius ardens Infremuit?'

115 *Te, Lupe; te, Muci*] Nominatim etiam carpere ausus est inter alios nobiles viros, Pub. Rutilium Lupum Consulem, et Titum Mucium Albutium valde potentem virum, his quidem versibus, quos etiam Cicero affert Lib. I. de Finibus. 'Græcum te, Albuti, quam Romanum atque Sa-

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? 'Nusquam.'

rupit dentem intimum. Horatius solers pariter *carpit quemlibet errorem* apud *familiarem deridentem; et exceptus circa cor, colludit, peritus subsannare populum naribus succussis. An mihi non licebit hiscere, ne quidem secreto, nequidem cum*

NOTÆ

binum Municipem Ponti, tutamen Centurionum, Præclarorum hominum ac primorum, Signiferumque Maluisti dici: Græce ergo Prætor Athenis Id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto. Χαῖρε, inquam, Tite: Lictores, turma omnis, cohorsque, Χαίρετε: hinc hostis mi Albutius, hinc inimicus.' Et paulo post: 'Tubulus, si Lucius inquam, Si Lupus, aut Carbo aut Neptuni filius.'

Genuinum] Genuini vocantur dentium postremi, iidemque validissimi. Plin. II. 37. Festus, l. VII. vult ita dictos, quod a genis dependeant.

Fregit] Suam omnem dicacitatem consumsit carpendis eorum vitiis.

116 *Ridenti*] Non indignanti, vel etiam libenter audienti, quia callide et festive mordebat Horatius.

Amico] Vel cuicumque suo familiari, vel ipsi Mæcenati, cui nec pepercisse fertur. Certe illum videtur perstrinxisse Sat. I. 3. ubi ait: 'Simplicior si quis, qualem me sæpe libenter Obtulerim tibi, Mæcenas, ut forte legentem Aut tacitum impellat quovis sermone, molestus; Communi sensu plane caret, inquimus; eheu Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam! Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est Qui minimis urgetur.' Attamen cum Persius dicat omne vitium tangi ab Horatio, et paulo post, populum excusso naso suspendi: malim interpretari sic: omne cujuscumque vitium Horatius vafer tangit et solerter coarguit apud amicum ridentem, cum Satiras suas tam festivas ei recitat.

117 *Et admissus circum præcordia, &c.*] Ab amicis bene exceptus pergit eo libentius scribere et recitare Satiras. Hic nonnulli subtiliores sensus rimantur, et Persio attribuunt quod nunquam cogitavit: nimirum illi, leviora primum vitia carpit Mæcenatis Horatius, inquiunt, et cum se placuisse ob solertes jocos et festivam dicacitatem animadvertit, tum plusculum audet, et occultiora interioraque facinora non veretur arguere. Hoc scilicet est ludere circa præcordia? Verum uno ictu jugulat illos Interpretes quod statim dicit Persius, omne vitium reprehendi. Non igitur minora primo, deinde graviora.

Ludit] Nemini parcit, vitiosis sua ostendit vitia et culpat ille, nec tamen culpando offendit, adeo vafer est et callidus, ut ludendo jocandoque animi vulnera premat et curet.

118 *Excusso populum, &c.*] Explicant quidam, porrecto et hilari, ut minus acerbus videatur etiam cum mordet; sed malim simplicius interpretari; succusso, quod et vox, suspendere, postulat. Certe cum ridemus aliquem, caput excutimus: et cum alicui insultamus acriter, arreptum etiam nasum succutimus. Erit igitur facilis et prona interpretatio, sive referas ad eum qui deridet, sive ad eum qui deridetur.

Hic tamen infodiam. Vidi, vidi ipse, libelle;
Auriculas asini Mida rex habet. Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo

fovea? Nullatenus licet. *Attamen istic* veluti *scrobem faciam:* et insusurrabo; *o liber, aspexi, egomet aspexi. Eccui non sunt aures asininæ? Ego istud occultum, meam istam derisionem, adeo parvi pretii* licet est, *non venundo tibi ullo carmine de*

121 Apud Joannem Saresberiensem. lib. III. scribitur, *Auriculas asini Midas habet;* sed aliter in antiquissima Persii Vita, idque melius: nam priorem ejus vocis Græci Latinique corripiunt. *Casaubon.*

NOTÆ

119 *Men' mutire nefas*] Mihine soli nefas loqui et carpere pravos hominum mores?

Nec clam] Quandoquidem etiam palam id facere licuit aliis, Lucilio, Horatio: annon saltem inter familiares fas mihi erit in vitia et errores stylum stringere?

Nec cum scrobe] Alludit ad fabulam de Mida, cui cum asininas esse aures tonsor vidisset, nec palam evulgare auderet, prurienti linguæ ut satisfaceret aliquatenus, terram effodit, et scrobi factæ insusurravit id quod viderat. Lege Ovid. Metamorph. lib. XI. cap. 4. et 5.

Nusquam] Nequaquam licet, ait monitor.

120 *Hic tamen infodiam*] Mihi vero temperare non possum, inquit Persius; quoquo modo sedandus est styli pruritus. Ergo, ut Midæ tonsor effossæ terræ, sic ego libello huic meo loquar, inscribam, et animi sensa committam: non temere quidem protrudam in lucem quod scripsero, sed scribam saltem, et scriptum velut infodiam et celabo apud me et apud paucos amicos, ut aliquando etiam posteri legant.

Vidi, vidi ipse] Erumpit indignatio mea: jam dico id quod vidi non ferendum: o libelle, ego ipse vidi, nec semel vidi fatuum Neronis de carminibus judicium, stultamque nobilium Romanorum vel ignorantiam vel adulationem.

121 *Auriculas asini, &c.*] Dicitur Persius scripsisse: *Auriculas asini Mida rex habet:* correxisse autem Annæus Cornutus, Persii præceptor: *quis non habet?* ne se notatum Nero nimis aperte intelligeret. Casaubonus, Lubinus, et alii. Contra nonnulli pugnant: non minus aperte videri notatum fuisse Neronem afferendo vulgata ab eo scripta, *Torva Mimalloneis*, et, *Berecynthius Attin:* unde contendunt hæc non fuisse ipsius Neronis, ut suo loco diximus. Ceterum sensus est: tam inepte judicat de Carminibus, quam Midas decantu, cui propterea in ludibrium asininas aures affixit Apollo.

Hoc ego opertum] Meam hanc derisionem licet occultam tam parvi, imo nihili a te, o monitor, et ab aliis forte æstimandam, ego tamen tanti facio, ut pluris æstimem quam Homeri Iliadem, vel potius quam Accii Labeonis Latinam Iliada, quamvis Neroni plurimum probatam. Supra, vs. 4.

122 *Nulla tibi vendo Iliade*] Id est, non commutarem pro Iliade, ut mox dixi.

Iliade. Audaci, quicumque, afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Aspice et hæc, si forte aliquid decoctius audis.

Ilio. Quisquis imbutus es Cratino petulanti, quisquis *iracundum Eupolidem cum vetulo grandævo* legens, *pallidus fis,* tu *ista etiam vide, si fortasse auscultas quid-*

124 *Eupoliden* Ms. Gal.—125 *Aspice ad hæc* Ms. Gal.

NOTÆ

123 *Quicumque afflate*] Quæsiverat initio monitor, Quis leget hæc? En respondet hic tandem Persius quales velit habere lectores Satirarum suarum. Nempe quisquis assuetus erit legendis carminibus Cratini, Eupolidis, Aristophanis, qui Græcorum vitia mordicus carpsere, is etiam libenter leget hæc mea carmina, inquit.

Afflate] Metaphora est vel a floribus odoriferis: vel a Pythia, quæ velut Numine Apollinis insessa, afflata, illustrata vaticinabatur.

Audaci Cratino] Proprium est valde hominis illius epithetum, quippe qui cum omni libertate Græcos exagitaret, nec quenquam vitiosum Athenis latere sinebat, quin statim eum in Scenam omni populo deridendum produceret, scilicet in veteri Comœdia.

Cratino] *Cratinus* Eupolide et Aristophane antiquior, natus Athenis dicitur, et floruisse paulo ante bellum Peloponesiacum: vixisse ad annum centesimum ætatis, et fuisse omnium Poëtarum maledicentissimus.

124 *Eupolidem*] Is cum versibus lacerasset Alcibiadem, in mare ab eo præcipitatus est. Tull. Epistola 1. Lib. VI. ad Attic. 'Quis non dixit Eupolim ab Alcibiade navigante in Siciliam, dejectum esse in mare?'

Iratum] Infensum perpetuo Atheniensium vitiis.

Prægrandi cum sene] Aristophanes vulgo intelligitur, qui seu ob ætatem, seu ob styli gravitatem prægrandis vocatur. Certe hunc cum duobus prædictis pariter conjungit Horatius initio Satir. 4. lib. I. 'Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque Poëtæ,' &c. Tresque hos veteris Comœdiæ scribendæ Principes imitatum fuisse Lucilium, ait eo loci. Porro non constat fueritne Aristophanes Atheniensis, an Rhodius, an Ægyptius, an aliunde oriundus. Vixit tempore Euripidis, et flagrante maxime bello Peloponesiaco; Cratino posterior extitit: Atheniensium nobilissimum quemque acriter insectatus, mire tamen ab ipsis Atheniensibus acceptus laudatusque est. De illo Plato ait, Gratias templum ubique quærentes, hoc tandem sibi statuisse in corde Aristophanis. Scripsisse fertur Comœdias plus quinquaginta, e quibus supersunt nobis integræ duntaxat undecim. De Cratino, Eupolide, et Aristophane, vide Athenæum, lib. I. et alibi: Eusebium in Chronico; et Quintil. lib. X. ubi de legendis formando oratori Poëtis sic habet: 'Post Homerum, Aristophanes, Eupolis, Cratinusque præcipui.'

Palles] Vel, usque ad pallorem formidas, ob styli acerbitatem: vel, quem legendo pallorem contraxisti.

125 *Si forte aliquid*] Vel refer ad Persium de se suisque versibus modeste sentientem et loquentem: vel

Inde vaporata lector mihi ferveat aure;
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui poscit dicere, Lusce,

piam perfectius. Hinc calefacta auricula erga me inardescat lector: non autem *ille qui impurus gaudet irridere calceos Græcorum, et qui cocliti optat dicere,* o

—126 *Unde vap.* Edit. Steph. et Ms. Gal.—128 *possit dicere* Ms. R. Scripsimus *poscit*, non *possit:* utrumque est invenire in veteribus: sed illud melius. *Lusce* habent membranæ, non ut alii Codices *luscus:* quod si cui placeat, sensus erit optimus: scilicet, Qui Græcos homines Gregaricis vitiis laborantes ridere amat, *luscus* ipse, et iisdem vitiis obnoxius. *Casaubon.*—128 *Scordalus* B.

NOTÆ

refer ad Lectorem, ut sensus sit: si quidem tu melius quidpiam reperis in meis Satiris, si quid perfectius audis et audire cupis, quam sint ea seu Neronis, seu aliorum carmina, quæ velut cruda, affectata, et inconcinna reprehendi.

Decoctius] Maturiori judicio, et longiori arte ac studio elaboratum. Metaph. vel a vino, quod ad dulcedinem coquitur; vel a liquoribus, qui reducti bulliendo ad tertiam et quartam partem multo plus habent virium. Sic Virgilius fertur mane solitus condere versus quinquagenos, pluresve, quos vesperi ad denos aut circiter redigebat. Quintil. xi. 4. 'Materiam volo primum,' inquit, 'esse vel abundantiorem, vel ultra quam oporteat fusam: multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid vel ipso usu deteretur.'

126 *Inde vaporata*] Ex lectione supradictorum Poëtarum mens lectoris excitata et inflammata ad meas deinde legendas Satiras proclivis et fervida fiat. Virgil. Æneid. xi. 'et templum thure vaporant.'

127 *Non hic*] Ne is mihi lector contingat, qui cum animi vitia in Philosophis et doctis nulla deprehendat arguenda, externum eorum habitum saltem irridere amat et delectatur.

Crepidas] Gellius, xiii. 20. ait crepidas a Romanis soleas dici, et soleatum incedere, velut turpe crimen objici solitum. Et Horat. lib. i. Satir. 3. 'sapiens crepidas sibi nunquam, Nec soleas fecit.' Proprie crepida est calceamentum Tuscum ad pedes corrigiis subligatum, quod Philosophorum etiam proprium fuisse, testis idem Gellius.

Qui in crepidas Graiorum ludere gestit] Per eos qui Græcorum crepidas irrident, intelligunt vulgo eos homines, qui Philosophorum studia atque instituta negligunt, et qui Græcorum elegantiam contemnunt: quod confirmare videtur vox sequens, *sordidus.* Malim ego cum quibusdam interpretari de Nerone, quem (ut ait Sueton. in Nerone cap. 52.) mater a Philosophia avertit, monens imperaturo contrariam esse. Tullius autem 2. de Orat. et alibi, satis innuit Romanis odiosos fuisse Philosophos, fortasse vel ob hoc quod opum suadebant contemtum, quas avide sectabantur illi. Vide Sat. v. vs. ultimo.

128 *Sordidus*] Vel per sordes avaritiam Romanorum notat Persius, vel neglectum cultus exterioris, quem

Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas;
Nec qui abaco numeros, et secto in pulvere metas,

cocles, seipsum æstimans aliquem; quia Ædilitatem gerens Aretii, superbiens ob Magistratum in Italia, ruperit dimidios sextarios non justæ magnitudinis. Ne etiam legat me, *qui astutus novit deridere notas numerales* Arithmeticorum su-

pro *sordidus.*—129 *Seque* C.—131 *Secto pulvere* C.

NOTÆ

nonnulli Romæ affectabant, ut inde præferrent militare robur: quod iterum Persius noster damnat Satir. III. ubi vocat eos hirtosam gentem Centurionum. Vel, si mavis, intellige plebis ignorantiam, quam hic opponat Philosophorum doctrinæ et eruditioni, quæ imperitis ludibrio habetur.

Et lusco qui possit, &c.] Apage etiam cachinnones illos fatuos, qui naturalia vitia exprobrant, quæ tamen nemini probro esse debent. Luscus porro significat eum cui imbecilla est oculorum acies: ponitur et pro coclite, eo nempe qui altero est oculo captus. Alii legunt, *possit.*

129 *Sese aliquem credens*] Aliquo semet honore dignum æstimans. Legunt alii, *sese aliquid credens:* quod perinde elegans est, et idem sonat.

Italo quod honore] Eo quod functus fuerit aliquo Magistratu infimo, nimirum Ædilatu, in quodam e municipiis Italiæ.

Supinus] Superbia elatus et sui factus immemor ob honorem illum. *Supinus* proprie is dicitur, qui dorso incumbens cœlum aspicit. Unde nonnulli interpretantur, otiose, molliter, et delicate vivens: sed minus arridet.

130 *Fregerit heminas*] Ædiles mensuris præerant, et iniquas frangebant. Tull. II. de Legibus. Juvenal. Sat. x. 102. Turneb. XXIX. 20.

Heminas] *Hemina* est mensuræ genus dimidium sextarii continens. Ponitur hic pro qualibet mensura. Plin. l. XXI. cap. ultimo, heminæ mentionem facit.

Areti] *Aretium*, nunc *Arezzo*, Etruriæ oppidum vasis fictilibus quondam celebre. Martial. Epig. XIV. 98. 'Aretina nimis ne spernas vasa monemus, Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.' Sunt qui legant, *Eretis*, quod oppidum est Sabinorum.

131 *Nec qui abaco*] Nec denique eum volo lectorem, qui doctas artes aspernatur, v. g. descriptos in abaco numeros ab Arithmeticis: figuras Mathematicas, et alias liberales eruditasque disciplinas. Vide Cœl. Rhodig. VII. 30.

Et secto in pulvere metas] Mathematici pulverem humi spargebant, et in eo pulvere figuras describebant radio. In ea occupatione intentus Archimedes captis Syracusis misere occisus est a Romano milite. Tit. Liv. l. XXV. Plutarchus refert Dionysii Regiam pulverulentam fuisse, ob eorum multitudinem, qui Geometricas in pulvere figuras delineabant.

Metas] Lineas, quæ sunt veluti metæ et fines, quibus componitur quælibet figura, ac terminatur. Exarantur autem illæ figuræ ac lineæ in pulvere, ut si quid rectum non est, facile corrigatur.

Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoën do.

per *tabella* exaratas, *et lineas* Geometrarum descriptas *in arena sulcata:* ceterum *proclivis est ad lætandum valde, si* quando *meretrix lasciva barbam vellicet Cynico. Istis matutino tempore decretum, post prandium* vero *Callirhoën concedo.*

NOTÆ

132 *Multum gaudere paratus*] In eo tantum navus et vafer, ut derideat eruditorum serias occupationes: quique gaudet, Philosophos ludibrio haberi.

133 *Cynico*] Pro quibuslibet Philosophis nominat Cynicos Persius. Porro secta illa valde erat odiosa ob mordacitatem, ob quam Cynici dicti sunt illi. Laërtius de Diogene refert, quod interrogatus quare canis appellaretur, respondit: *quia in eos qui dant, blandior sum; in eos qui non dant, oblatro; malos autem mordeo.* Alii ab obscœnitate Cynicos volunt nomen habuisse. Vide Laërt. l. vi.

Barbam] Atrox erat injuria et ludibrium barbam vellere alicui tanquam fatuo nimirum et stolido. Hor. Sat. i. 3. sub finem. Porro Philosophi barbam promissam alere affectabant: hincque sapientem barbam vocat Horatius. Vide infra Sat. iv. 1.

Vellat] Ut Lais Diogeni, qui meretricem hanc amavit, ut testatur Athen. l. xiii.

Nonaria] Meretrix juvenibus perniciosa, ut quidam volunt, sic dicta a Nonis, quæ inter infaustos dies censebantur: Macrob. l. i. vel potius, quæ prostat ab hora nona, et a prandio, cum jam negotiis homines sunt minus occupati.

134 *His*] Talibus hominibus imperitis et ineptis, artium liberalium ac scientiarum incapacibus, mando et indulgeo occupationes dignas se, nempe quæstum et voluptates.

Mane edictum] Forum mane petant, ubi Prætoris edicta excipiant, vacent avaritiæ et fœnori exigendo.

Post prandia] Post forum prandeant: ac deinde per diem reliquum indulgeant voluptati. Ea est plebi imperitæ accommodata vivendi ratio.

Callirhoën] Vel scortum aliquod famosum: vel scenicos ludos, et fabulam de Callirhoë tunc temporis exhiberi solitam; vel natationem et deambulationem ad fontem istius nominis in Attica. Contendit Marcilius referendum esse ad Neronem, qui popellum edicto vocaret, et cantaturum se Callirhoën promitteret: ut sit Persii sensus: tales ego auditores hinc a meis Satiris ablego ad audienda Neronis inepta carmina: suamque Interpres ille fulcit opinionem ex eo quod Neronem in hac Satira Persius præcipue spectet.

SATIRA II.

AD PLOTIUM MACRINUM

DE BONA MENTE.

ARGUMENTUM.

Hæc satira est epistola gratulatoria ad Macrinum die ejus natali missa, in cujus principio amicum suum nil nisi recta a Diis petere dicit, ideoque ei magno sacrificiorum apparatu non opus esse. 4. Hinc occasionem petit ad reliquorum hominum stultitiam severe notandam, quorum vota plerumque ejusmodi sint, ut clara voce ea nuncupare erubescant. 16. Operæ pretium esse scire, quid tandem de Jove sentiant. Etenim si in Jovis locum nequissimum quemque mortalium substituissent, eique vota sua commisissent, non posse fieri, quin is plenus indignationis Jovem ipse inclamaret. 25. Verum Deos propterea ab hominibus contemni, quod vindictam illorum non continuo experirentur, sacrificiisque propitios reddi posse, existimari. 30. Jam quasdam species hujus stultitiæ profert, inepta vota aviæ aut materteræ. 40. Ostendit deinde, ea sæpe Deos rogari, quæ, quo minus consequi possint homines, eos ipsos in culpa esse. 44. Hoc illustratur exemplo ejus, qui multarum pecudum sacrificiis, Mercurio oblatis, greges suos augere velit, eoque ipso autem eos minuat. 51. Pergit porro: ex suis ipsorum ingeniis homines Deos metiri, pretiosasque res, quoniam sibi gratæ et acceptæ sint, etiam Diis placere, arbitrari. 68. Homines quidem in parandis sibi divitiis peccare, tamen utilitatem quandam ex suo errore capere; aurum vero in templis ne minimum quidem usum habere. 70. Colligit tandem, gratissimum munus, quod Diis offerre possimus, animum esse ad omnem virtutem probitatemque compositum, quo Superis oblato faustissima quævis ab illis nos esse impetraturos.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,

O Macrine, recense optimo calculo diem istum, qui faustus addit tibi annos fuga-

NOTÆ

1 *Macrine*] Intelligunt nonnulli Minutium Macrinum Brixianum, de quo mentionem facit Plinius perhonorificam Epist. I. 14. Verum doc-

Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poscis emaci,

ces. Effunde vinum Genio. Tu voto pactitio non petis res, quas non possis cre-

NOTÆ

tissimo cuique videtur fuisse potius Plotius quidam Macrinus, quem Persii condiscipulum existimat etiam fuisse Casaubonus. Favet certe vetus Scholiastes, qui sic habet in hunccce locum: alloquitur Plotium Macrinum hominem sane eruditum et paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat, indulto sibi pretio aliquanto.

Hunc diem numera] Inter faustos dies computa diem hunc, qui tibi natalis est, et quo propterea libellum hunc seu Satiram dono tibi mitto. Scilicet mos erat apud veteres natali amicorum die munusculo eos aliquo afficere: et Poëtæ quidem doctique opuscula sua deferebant. Quod hic facit Persius erga Macrinum.

Meliore lapillo] Candido nempe, quo res lætæ notabantur; sicut atro res mœstæ et infelices. Mart. Epig. IX. 53. 'Felix utraque lux, diesque nobis Signandi melioribus lapillis.' Pers. Sat. V. 'Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.' Secutus Horatium Sat. II. 3. 'Creta an carbone notandi?' Ceterum mos ille fortunatos dies albis calculis, infelices nigris numerandi, viguisse apud Thracas primum, auctor est Plinius VII. 40. At quod aliqui addunt hinc transisse ad Cretenses, non ita compertum: imo jugulat eos ille ipse, quo uno freti id affirmant, Horatii locus lib. I. ode 36. 'Cressa ne careat pulchra dies nota.' Ubi certe album lapillum e Creta venientem expresse designat: alioquin parum distingueret lætam notam a tristi, si Cretenses perinde ac alii candidis faustos dies, infaustos nigris lapillis notare consuevissent. Unde etiam patet, quam longe aberrent, qui citato Horatii loco legunt *Thressa*, pro *Cressa*.

2 *Qui tibi labentes, &c.*] Qui ævum quod quotidie elabitur, tibi producit, novum annum tibi dando et auspicando.

Candidus] Bonus, propitius: ut explicui Sat. I.

3 *Funde merum Genio*] Hor. Ep. II. 1. 'Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant; Floribus et vino Genium memorem brevis ævi.' Tibull. Eleg. II. 4. de Genio ait: 'Atque satur libo sit, madeatque mero.' Ubi observandum est, ceteris quidem diebus Genio litatum olim fuisse cæsa victima, ut patet ex Horat. Od. III. 17. 'cras Genium mero Curabis et porco bimestri, Cum famulis operum solutis.' Illud autem nunquam fiebat die natali, eo quod nollent vitam adimere eo die quo lucem acceperant: sed litabant vino, floribus, &c. ut citati mox loci innuunt: sive quia vinum hilaritatis symbolum et causa est; sive quia per flores vitæ quidem amœnitas simul et brevitas significabatur, juxta illud Horatii citatum, 'memorem brevis ævi.' Vide Censorinum.

Genio] Id est, in honorem Genii, qui Deus erat, sub cujus tutela nasci quemlibet et vivere antiqui credebant, quem propterea quotannis colebant die natali.

Non tu prece, &c.] O Macrine optime, non perinde ac avari injusta vota Diis nuncupas.

Emaci] Impudenter et impie cum Diis ita paciscendo: siquidem hoc vel illud mihi largimini, hæc et illa dona rependam ego vobis. Plato in

Quæ nisi seductis nequeas committere Divis.
At bona pars procerum tacita libavit acerra.
Haud cuivis promtum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clare, et ut audiat hospes :

dere Diis nisi semotis. Sed potentium magna pars sacrificabit thuribulo secreto. Cuilibet facile non est ex ædibus sacris amandare et verba secreta, et voces submissas; et vitam agere precationibus manifestis. Sint *animus sanus, bona existimatio,*

2 *apponet* C.—5 Perperam alii libri *libabit*: non enim sic Latini loquuntur,

NOTÆ

Eutyphrone ait quorundam petentium religionem videri mutuam Deos inter et homines nundinationem. Petronius de illis: 'Statim,' inquit, 'antequam limen Capitolii tangant, alius donum promittit, si propinquum divitem extulerit; alius si thesaurum effoderit,' &c.

4 *Seductis*] Quasi seorsum ductis et clam, quia pudet ejusmodi vota palam facere et coram hominibus, quorum illos non pudet coram Diis. Alii explicant corruptis per munera: sed non placet.

Nequeas] Id est, non audeas, vel non possis sine pudore, et impune.

5 *Acerra*] Vas est in quo thus adolendum ponitur. Tacitam vocat per metonymiam: id est, illi taciti libant acerra. Porro acerram improprie Proceribus tribuit hic Persius: nam divites de lance copiosa libant, ut est in fine hujus Satiræ: pauperes autem acerra, id est, pauca thuris grana, et tribus, ut aiunt, digitis prehensa. Ovid. l. iv. de Ponto Eleg. 8. 'Nec quæ de parva pauper Diis libat acerra; Thura minus grandi quam data lance valent.'

6 *Murmurque humilesque susurros*] Interpretantur fere omnes de tacitis votis et precibus: pauci, de immurmuratione qua, dum quisque Deos rogat quod optat, voce subalta, templum confusis vocibus impleretur turbareturque: quod etiam illi ad ostentationem faciebant: unde Persius mox: *mens bona*, &c. *hæc clare.* His ego astipulor, ne videatur Persius eadem sæpius inculcare.

7 *Tollere de templis*] Vix queas irreligiosos et impios hos precatores arcere e templis, adeo cupiditas excæcat, ut suum nefas non videant; sic urget, ut abstinere non possint. Sic apud Ovid. Fast. v. Mercator orat Mercurium: 'Da modo lucra mihi... et emtori verba dedisse.' Et apud Horat. Epist. I. 16. improbus sic improbe precatur: 'Labra movet metuens audiri: pulchra Laverna, Da mihi fallere, da justum sanctumque videri; Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.'

Et aperto vivere] Nec ita facile est cuivis, non nisi bona optare, adeo ut non pudeat optata palam proferre; et sic loqui cum hominibus tanquam Dii audiant, et sic cum Diis, quasi audiant homines: quod Philosophiæ præceptum laudat Macrobius Saturnal. I. 7.

8 *Mens bona*] Juvenal. Sat. x. 'Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.' Seneca Epist. 94. 'Roga bonam mentem, bonam valetu-

Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat: O si
Ebullit patruus, præclarum funus! et, O si

fidelitas, ista aperte postulantur, *atque* ita *ut externus percipiat*. At avarus *hæc secum, intus, et sub lingua mussitat: utinam prodeat pompa funebris sumtuosa*

sed Græci, *Casaubon*.—9 *murmurat* C.—10 *ebullet* Edit. Steph.—11 *crepidet*

NOTÆ

dinem animi, deinde corporis.'

Hæc clare] Honesta illa vota aperte nuncupantur, et ut audiri ab hospite non pudor sit: vel, hæc clare petuntur ad ostentandam probitatem: unde et audiri ab aliis affectat ille qui precatur. Vide supra.

Hospes] Ponitur pro quolibet externo: proprie vero dicitur qui tecto excipit peregrinum et externum, pariter et qui excipitur. Tull. pro Dejotaro; 'Per dextram istam, quam hospes hospiti porrexisti.' Ovid. Metamor. I. 'Non hospes ab hospite tutus.'

9 *Illa sibi introrsum*] Quædam vero non nisi clam, intra dentes, et intus petere audent, scilicet quæcumque improba sunt et inhonesta. Duplex igitur culpat voti genus: alterum quod introrsum, et seductis Diis, quale est illud apud Horat. loco cit. lib. I. epist. 16. et apud Ovid. loco etiam mox allato Fast. 5. qualia etiam sunt quæ hic noster Persius affert: alterum est quod fit ad ostentationem, ut dixi, et clare, et aperte; quod et audiri petitur; vocatque Persius murmur et humilem susurrum.

10 *Ebullit*] Pro *ebullierit*; sicut *dedim*, pro *dederim*; *vixet*, pro *vixisset*; Æneid. XI. vs. 118. metaph. ab aqua ebulliente, quæ intumescit et effluit. Ita legi affirmat Casaubonus in antiquissimis codicibus. Vide Proverb. cap. 15. vs. 2. vulg. edit. Cic. Tusc. III. cap. 42. &c. Nonnulli refragantur tamen, et malunt *ebullet*, ab *ebullo, as*: ut sit sensus, utinam velut bulla appareat et statim postea evanescat: alludendo ad illud Terentii Varronis, *homo bulla*. Hujus quidem sententiæ auctores priorem velut ineptam suggillant, sed quo jure non video.

Patruus] *Patrui* dixit potius quam avi optari mortem, forte quia *patrui* utplurimum censura molesti, ut dixi Sat. I. Et Horat. lib. III. ode 12. 'Metuentes patruæ verbera linguæ.'

Præclarum funus] Vel funalibus splendidum, et apparatu et exequiarum pompa magnificum. Virgil. Æneid. XI. vs. 143. 'Funereas rapuere faces, lucet via longo Ordine flammarum, et late discriminat agros.' Vel, quod hæredi avido expetendum et quæstuosum erit. Quidam per funus intelligunt sepulcrum: ut sensus sit: utinam aperiatur et ruat per se patrui mei sepulcrum, ut cum violare et rumpere illud non audeam, certe sic adipiscar aurum in eo conditum: nempe veteres secum jubebant suos thesauros sepeliri. Et Josephus refert e Davidis sepulcro eruta talentorum auri tria millia ab Hircano, qui sic ab obsidente se Antiocho redemerit datis trecentis. Hæc tamen opinio minus arridet. Alii explicant vocem *præclarum*, quasi qui funus optat videre patrui, ejus tantum gloriam et honorem intueri videatur, non suam cupiditatem ostendere.

Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam: namque est scabiosus, et acri

patrui mei! Atque utinam, amico Hercule, vas fictile argento refertum *mihi resonet sub ligone! O si vel deleam pupillum, quem insequor hæres* ego *maxime propinquus! Enimvero laborat impetigine, et vehementi bile intumescit. Nerius*

argenti seria Ms. Gal.—13 *nam* C. *expungas* Ms. R.—14 *conditur* Ms. Gal.

NOTÆ

11 *Sub rastro*] Ne mirere, quod viro diviti ac nobili rastrum attribuat Persius, cum etiam ab aratro Dictatorem evocatum viderimus, Sat. I. scilicet agricultura magno erat in honore apud Romanos: nec homini probro erat, suum per se agrum colere.

Crepet] Id est, jucundum mihi edat sonitum reperta fodiendo et terram vertendo.

Seria] Vas testaceum oblongum, quod occultatum sit seu hostium seu furum metu; testa porro terræ infossa non putrescit, hinc in seriis et ollis thesauros infodiebant veteres. Inde est Plauti Aulularia. Et Horat. Sat. II. 6. 'O si urnam argenti fors qua mihi monstret.'

Dextro Hercule] Propitio, favente. Horat. loco mox cit. *amico Hercule.* Hic enim recludendis thesauris præsidere credebatur; sicut Mercurius aperto lucro et negotiationi: uterque porro repentino et inexpectato lucro; unde et Lucrii Dii appellantur. Arnob. lib. IV. Plaut. Mostell. 'Is vel Herculi conterere quæstum possiet.' Et Diodor. Sicul. V. 2. refert Herculem ad honorem sibi a Palatinis impensum, dixisse; eos qui sibi postquam ad Deos translatus esset, decimam bonorum dicarent, vitam felicem victuros: quod et evenisse experientia docuerit: et factitatum a Lucullo Romanorum ditissimo aliisque fuerit.

12 *Pupillum*] Puer est sub tutoris potestate constitutus, donec per ætatem sui juris fiat, et suorum ipse bonorum administrationem capessat.

Quem proximus hæres impello] Quem subsequor proxime in ordine hæredum secundorum: vel cui sum pupillariter substitutus.

13 *Impello*] Metaph. ab iis qui sese in turba comprimunt, ut citius progrediantur.

Expungam] Metaph. vel a Jure Civili, in quo is dispungere dicitur qui mutat quidpiam in tabulis testamenti, et expungere, qui delet: vel a re militari. Milites enim expungi dicuntur; quorum, data missione, nomen ex albo deletur, quod punctis inscriptum fuerat. In bello vero (ut ait vetus Interpres hic) 'cadente qui primus est, succenturiatur alius.' Sensus porro est: utinam illum mors rapiat, cujus hæreditas mihi continget: vel, deleatur e testamento nomen ejus cui secundus hæres succedo.

Namque est scabiosus] Impiis votis excusationem prætendit nequam ille vitæ alienæ insidiator: nempe: contagioso laborans puer morbo cur vivat? Vel, apud se meditatus, qua via impune expungat pupillum, et veneno tollere forte apud se statuens, sperat suum scelus occultum fore, quod ille sit male affecta valetudine; plenus nempe scabie et atra bili, quæ multorum morborum causa est. In quo etiam se tuetur exem

Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor!
Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.

tres jam habuit conjuges. Atque ut talia rite petas, matutino tempore iterum et tertio caput lavas in flumine Tiberi; et nocturna insomnia aqua fluviali expias.

Jam olim διττογραφεῖσθαι cœpit hic locus: nam membranæ quibus usi sumus vetustissimis *conditur* exhibebant; sed antiquior illis Servius in illum versum, 'Exportant tectis, et tristia funera ducunt,' legit *ducitur*. Accipit autem Servius τὸ *ducitur*, pro effertur; quam interpretationem etiam ille grammaticus erat secutus, qui glossæ loco apposuerat *conditur*; unde hæc diversa lectio. *Casaubon.*—16 *gurgite* Ms. Gal.—17 Quidam legunt *nimium est*.—

NOTÆ

plo Nerii, qui tres uxores veneno impune sustulit, et sic locuples factus est.

Et acri bile tumet] Contendunt aliqui mordicus legendum, *atra bile tumet*, contra Casaubonum. At quid vetat ipsam melancholiam bilem acrem appellari?

14 *Nerio*] Is fuit insignis fœnerator, lucri adeo perdite cupidus, ut etiam tres uxores veneno sustulerit, ut earum dote potiretur. Scilicet apud veteres dos adventitia et non data patrio nomine, si repudium non intervenisset, moriente conjuge, marito cedebat: imo et dos quoque profectitia, seu a patre de bonis propriis constituta, si modo pater superstes non foret. Ulpian. tit. 6. de Dot. Sensus est: ecce, inquit avarus, mea uxor etiamnum vivit, cum Nerius e tribus uxoribus mortuis tres dotes nactus dives evaserit. Horat. Sat. II. 3. 'Scribe decem Nerio.'

Ducitur] Alii legunt, *conditur*, id est, sepelitur.

15 *Hæc sancte ut poscas*] Atque hæc licet impia tibi videris rite petiturus, si modo, ut facis, ritus omnes exteriores et solennes diligentius observes.

Tiberino in gurgite] Tiberis fluvius Romam interfluens, prius *Albula* dictus. Ovid. Fast. II. 'Albula quem Tiberim mersus Tiberinus in undis Reddidit.'

Mergis] Vota facturi et sacra, vivo se flumine prius abluebant. Virgil. Æneid. II. 'Attrectare nefas donec me flumine vivo Abluero.' Præterea observa verbum, *mergis*, proprie hic adhiberi. Nam qui Diis Inferis litabant, aqua se respergebant tantum: qui vero Diis Superis sacra faciebant, mergebant se, et totos abluebant. Macrob. Saturnal. III. 11.

16 *Mane*] Solis ortu fiebant sacra Diis Superis ac Cœlitibus: Manibus autem et Diis Inferis, vesperi, et occidente Sole: ut observant veteres Interpretes Apollonii in Argonautis, et Pindari in Isthmiis, ad Od. IV.

Bis terque] Solennes hi numeri in Sacris. De binario Ovid. Fast. IV. 'Bis caput intonsum fontana spargitur unda: Bis sua faginea tempora fronde tegit.' De ternario vero idem ibid. 'Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.' Et Virgil. Eclog. VIII. 'Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo, terque hæc altaria circum Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.'

Et noctem flumine purgas] Antiqui nocte ipsa sicut et nocturnis insomniis pollui se credebant, ut notat Servius; unde post illa se expiabant frequenti ablutione; quod etiamnum

Heus age, responde: (minimum est, quod scire laboro:)
De Jove quid sentis? estne ut præponere cures
Hunc—'cuinam?' cuinam? vis Staio? an scilicet hæres,
Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: proh Jupiter! o bone, clamet,
Jupiter! at sese non clamet Jupiter ipse?
Ignovisse putas, quia, cum tonat, ocyus ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque?

Heus dic, responsum da: non est magnum id *quod* a te *discere cupio. Quid existimas de Jove? Estne* talis, *ut illum præferre velis alicui? Eccui? Visne* præponere *Staio? Numquid nimirum dubitas, uter melior judex, vel uter* sit *magis idoneus pueris orbis? Illud ergo, quo tu conaris Jovis auriculam commovere, heus* idipsum *loquere apud Staium.* Is certe *exclamaret* statim, *O Jupiter! o benigne Jupiter! Atqui* an *seipse Jupiter non inclamabit?* An *credis* Jovem *veniam indulsisse, quoniam quando fulminat, ilex potius concutitur sancto sulphure,*

18 τὸ *ne* omisit C.—19 *Hunc Cuiquam?* Edit. Steph. Legimus diu sic hunc locum: *Estne ut præponere cures Hunc cuiquam? cuinam? vis Staio?* quæ lectio perspicua est; sed omnes veteres in utroque loco agnoscunt *cuinam*: quare ea scriptura admissa, distinguendum post vocem *Hunc.* Casaubon.—21 *quod* pro *quo* C.—23 Non displiceat scribi cum Pithœi libris *ad* pro *at.* In antiquis tamen membranis paulo aliter conceptus est locus: *prô Jupiter, o bone, clamet Jupiter: at sese non clamet Jupiter ipse?* Casaubon.—25 *Sulpure*

NOTÆ

retinent et observant Turcæ. Propert. Eleg. III. 9. 'Ac primum pura somnum tibi discute lympha.' Tibull. Eleg. III. 4. 'omina noctis Farre pio placant, et saliente sale.'

17 *Heus age, responde*] Instituit hic Persius dialogismum, quo impietatis convincit illos homines vota improba facientes, argumento a minori ad majus. Vide infra.

19 *Staio*] *Staius Albius* Oppianicus conjugem suam primo, tum fratrem fratrisque uxorem gravidam veneno sustulit, aliisque sceleribus bene multis sese contaminavit. Unde ponitur hic pro homine corruptissimo. Vide Cic. pro Cluentio.

21 *Hoc igitur, &c.*] O impie, non audes apud hominem perditissimum id loqui, et ea vota nuncupare, quæ apud Jovem confidenter loqueris: Jovem igitur pejorem existimas et corruptiorem homine quolibet improbissimo: quod nisi sentires, tam scelerata vota Jovi facere sane erubesceres.

Jovis aurem impellere] Jovem ad libitum flectere et exorare.

23 *At sese non clamet, &c.*] An Jupiter non seipse ad vindictam excitabit? Non indignatus fulmen arripiet?

24 *Ignovisse putas, &c.*] Hæc simpliciter et narrative, non interrogative, legenda vult Casaubonus, ut vulgi errorem referat Persius, quem mox confutat dicendo, *An quia, &c.*

25 *Sulfure*] Id est, fulmine, quod sulphureum odorem exhalat. Plin. xxxv. 15.

An quia non fibris ovium Ergennaque jubente
Triste jaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam est, qua tu mercede Deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?

quam tu, et ædes tuæ? *Et quoniam non prostratus es* in *sylvis, mæstum et non tangendum bidental, expiandum extis ovicularum, et Ergenna præcipiente, an ideo Jupiter fatuam barbam porrigit tibi vellicandam? An* vero *est aliquid, quo tu pretio mercatus sis aures Deorum?* An *pulmone, et pinguibus intestinis?* Aliunde

NOTÆ

26 *An quia non fibris, &c.*] An quod non es fulmine ictus, necdum jaces in sylvis, non contingendus sine piaculo, expectans sepulturam ibidem ex mandato Ergennæ haruspicis, qui bidentibus cæsis locum expiabit; an propterea quod hucusque tibi pepercit Jupiter, idcirco putas non metuendam amplius ejus vindictam, imo licere tibi impune Jovi deinceps illudere?

Fibris] Extis. Sat. I.

Ergennaque jubente] *Ergenna* Etruscus haruspex, fulminum procurator et expiator; cujus ex præcepto omnia fiebant. Vide Juvenal. Sat. XIII. vs. 62. Annot.

27 *Evitandumque bidental*] *Bidental*, locus est fulmine ictus. Nomen a bidentibus ovibus, de quibus vide Gell. XVI. 6. Cum enim fulmen ceciderat, aderant illico fulgurum procuratores, locum claustris sepiebant, araque exstructa, et cæsis oviculis consecrabant: unde calcare illum nefas. Porro *bidental* ponitur pro homine fulgurito, sicut carcer apud Lucilium pro homine carcere digno. Observandum ex lege Numæ, non licere justa persolvere homini fulminato; ibidemque sepeliri cautum fuisse non crematum; nec fas fuisse eum in genua tollere, et efferre: unde bene Persius post Horatium in Arte, dixit; *triste* et *jaces*. Aliquando etiam intra septum, super terram relinquebantur qui fulminati erant; amiciebanturque veste candida, velut a Jove honorati, ut mortui illi non putrescentes spectaculo forent. Festus, Servius, Artemidorus II. 8. Vide et Plin. II. 54. Plutarch. in Quæst. Convival. IV. 2.

28 *Stolidam præbet, &c.*] Velut fatuo et stolido. Nam barbam vellicare alicui grave ludibrium. Sat. I. Et Hor. Sat. I. 3. 'Vellant tibi barbam Lascivi pueri.'

Vellere barbam] Allusio ad factum Dionysii Syracusani qui Epidauri barbam Æsculapio auream ademit, ludibrium addens, non decere patrem esse imberbem, nempe Apollinem, filium vero scilicet Æsculapium, barbatum esse.

29 *Aut quidnam est, &c.*] Id est: aut verum est quod dico, aut aliquid est quo tu addictos tibi Deos spondes.

30 *Emeris auriculas*] Pronas et faciles ad arbitrium, mercede pacta, et velut ex convento tibi addixeris.

Pulmone] Metonymia pro quibuslibet partibus intestinis lautioribus.

Lactibus] *Lactes* dicuntur partes intestinæ graciliores, quasi lacte candidiores et molliores.

Unctis] Id est, lautis et pinguibus. Horat. 'Ut canis a corio non exter-

Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice voto
Nunc Licinî in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

en avia vel matris soror Deos timens, infantem tollit ex *incunabulis, ejusque frontem et labia humida antea lustrat turpi digito, et salivis expiantibus, docta prohibere oculos fascinantes; deinde manibus* eum *motitat, et humili precatione spem exiguam inducit modo in agros Licinii, modo in domum Crassi. Modo* orat ut *Rex et Re-*

Ms. R. *Fulmine* Ms. Gal.—31 *haud metuens* Ms. Gal.—36 *Nunc Licini* edit.

NOTÆ

rebitur uncto.'

31 *Ecce avia, &c.*] Vota avarorum hactenus carpsit: jam superstitiosas mulierum preces reprehendit, quas solebant illæ pro infantibus concipere die lustrico et nominali, nempe octavo ab ortu, pro puellis; nono, pro pueris: solitasque adhiberi cæremonias perstringit hic Persius. Vide Cœl. Rhodig. XXII. 12.

Matertera] Dicitur quasi *mater altera*. Nempe munus lustrandi puerum pertinebat ad anus religiosas e cognatione præcipuas, quæ hujus rei causa conveniebant.

33 *Infami digito*] Id est, medio, qui infamis dicebatur, eo quod ille contractis aliis extensus speciem quandam pudendam repræsentet. Unde probrosum erat, alicui ostendere medium digitum, reliqua manu contracta, porrectum; hoc enim modo notabantur cinædi et molles. Petron. Dio Chrysost. orat. XXXIII. Martial. l. II. Epig. 28. Juvenal. Sat. X. Alex. ab Alexandro l. IV. cap. ultimo. Porro eo potissimum digito utebantur piatrices illæ mulieres, quia quælibet obscœna contra fascinum valere credebant. Aliam nec improbabilem afferunt rationem nonnulli, quod dicta manus figura designet et exhibeat Priapum fascinationum averruncum.

Lustralibus salivis] In expiationibus adhibitam ab Antiquis salivam testantur Petron. et Plutarch. Hanc autem salutarem esse ait Plin. XXVIII. 4. Observa interim eosdem prope ritus a veteribus usurpatos in die lustrico et nominali, qui adhibentur in Baptismo Christianorum.

34 *Urentes oculos*] Id est, enecantes, mortem afferentes. Vide Plin. VII. 2. Item fascinantes; nam fascinum maxime pueris timebant; et ad illud inhibendum salivam etiam valere arbitrabantur.

35 *Quatit*] Puerum lustratum motitat et veluti præsentibus Diis offert: deinde post expiationem preces pro eo et vota concipit.

Spem macram] Id est, infantem, de quo tenuis adhuc spes esse potest. Virgil. 'Nec spes jam restat Iuli.'

36 *Licinî*] De quo Licinio sermo fit non plane constat. Vetus ipse Persii Interpres dubitat sitne idem vir Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus, et inde Dives cognominatus; an Licinius tonsor et libertus Augusti, qui valde opulentus erat. Alii contendunt intelligendum potius C. Licinium Stolonem, qui, ut habet Livius l. VII. num. 16. ob possessa cum filio

Hunc optent generum rex et regina! puellæ
Hunc rapiant! quicquid calcaverit hic, rosa fiat!
Ast ego nutrici non mando vota: negato,
Jupiter, hæc illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis corpusque fidele senectæ.
Esto, age: sed grandes patinæ tucetaque crassa
Annuere his Superos vetuere, Jovemque morantur.
Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: Da fortunare penates!

gina in generum asciscant; ut *illum Virgines auferant*; ut *quodcunque ille pede triverit, in rosam vertatur. Ego vero nutrici non committo preces*; sed tu, *o Jupiter, ista huic denega, etiamsi te oraverit induta veste alba.* Quod si *petis robur nervis, et corpus validum in senectute, fiat, bene est. At ampli catini, et pinguia farcimina prohibent Deos, et Jovem retardant ista concedere.* Tu vero *cupis opes accumulare, bove mactato, et extis provocas Mercurium*, dicens, *largire donum*

Steph.—39 *mando hæc vota* Ms. Gal.—40 *hoc illi...rogabit* Ms. Gal.—41 *poscit opem* Ms. R. et C.—42 *pingues patinæ* Ms. Gal. et C.—47 *flammas* Ms. Gal. et

NOTÆ

agri jugera mille, contra legem a se latam, sua lege damnatus est. Ceterum nec hi nec illi opinionis aut suspicionis suæ ullam proferunt validam rationem.

Crassi] Sunt qui legant, *Crasi*. Sed, *Crassi*, fere omnes retinent; intelliguntque de M. Crasso, quem crebris domorum emtionibus et venditionibus locupletatum fuisse testatur Plutarchus in ejus vita. Porro Licinius et Crassus ponuntur hic pro quibuslibet opulentis hominibus.

Mittit] Optat et precatur infanti magnas olim opes, agros, domos, &c. et optando velut in earum possessionem immittit. Virgil. Æneid. xi. vs. 47. 'Mitteret in magnum imperium.' Observa etiam Prætorem mittere proprie in possessionem rei alicujus.

39 *Nutrici non mando*] Id est, nolim nutricem id sibi muneris assumere, ut pro puero vota concipiat. Nam parentes et nutrices optant alumnis potius quæ videntur bona, quam quæ sunt revera, v. g. formam, opes, &c. Senec. Epist. lx. Etiamnum optas quod tibi optavit nutrix. Et Epist. xxxii. omnium tibi eorum contemtum opto; quorum copiam parentes optaverunt.

40 *Albata*] Albis vestibus induti erant qui sacrificabant, eo quod ille candor vestis animi significet innocentiam. Tull. de Legibus.

41 *Poscis opem nervis*] Jam alia quædam aliorum absurda vota condemnat Persius.

Nervis] In quibus maxime consistit robur corporis.

42 *Sed grandes patinæ*] Sumtuosa tua convivia, escæ nimiæ idipsum destruunt quod tam enixe petis.

Tuceta] *Tucetum* genus est farciminis e suillis carnibus minutim concisis: alii dicunt quamlibet escam delicatam hoc nomine appellari.

44 *Mercurium arcessis*] Tanquam lucri Deum. Vide Plaut. Amphitr. in Prologo.

Da pecus, et gregibus fœtum! quo, pessime, pacto,
Tot tibi cum in flammis junicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis et opimo vincere ferto
Intendit: jam crescit ager, jam crescit ovile;
Jam dabitur, jam jam: donec deceptus et exspes
Nequicquam fundo suspirat nummus in imo.
Si tibi crateras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, et pectore lævo
Excutiat guttas lætari prætrepidum cor.

fortunatam, concede greges, et fœcunditatem pecori. Sed, o *improbissime, quomodo* hæc fiant, *dum tot intestina juvencarum liquefiunt a te in igne? Atque ille nihilominus sperat victor esse per intestina, et pingue libum. Nunc ager incrementum capit, nunc ovium grex augetur: modo,* ait ille, *protinus concedetur* quod opto; *usque dum nummus defraudatus, et sine spe ingemiscat frustra in infimo arcæ fundo. Si afferam tibi pateras argenteas, et munera ex auro solido fabricata,* tu statim *sudorem emittas, et stillas effundas e thorace sinistro: præcordia* tua *palpitantia*

C.—48 Recte *ferto*, non *farto*, quod in depravatis codicibus inventum male tuentur. *Casaubon.*—50 *Demersus* B.—52 *Craterras* scribunt Latini, et formant *craterra, craterræ.* Casaubon.—52 *incussaque* Ms. R. et C.—53 *Sudas* Ms. R. *lævi* B. pro *lævo.*—54 *Excutias* edit. Steph. *excuties....per trepidum* Ms. R. *lætari* recte membranæ; melius quam *lætetur:* quid usitatius hoc genere locutionis historicæ per infinitivum? quam poëta hic elegantissime usurpavit.

NOTÆ

46 *Quo, pessime, pacto*] Qua ratione vis gregem tuum crescere, quem frequentibus sacrificiis temere et perperam multiplicatis omnino is imminutum et disperditum.

47 *Flammis*] Quibus cremantur victimæ.

Omenta] Intestina sunt molliora, inquit Celsus: Plinius autem XI. 37. ait esse membranas tenues, quæ ventrem interiorem integunt.

Liquescant] Ob adipem et pinguedinem intestinis adhærentem, quæ multa adhibebatur a Sacrificantibus, ut ea liquescente ignis accenderetur, et carnes citius consumerentur.

48 *Et tamen hic*] Avarus ille et impius precator.

Vincere] Deos muneribus expugnare, et quidlibet consequi ab illis.

Ferto] *Farto* sæpe legitur. Libum erat e farre, vino, melle, &c. dictum a farciendo, quod e multis erat confertum rebus. Legendum esse contendunt *ferto*, seu ob rationem mox allatam, seu quod ad sacra sæpe ferretur.

49 *Jam crescit ager*] Inquit avarus, semetipsum spe vana deludens.

51 *Suspirat*] Spirat quasi et unus restat nondum stulte consumtus, ut ceteri.

52 *Incusa*] In incude fabricata, vel cœlata. Quidam interpretantur infecta, infabricata, ut sit massa auri nondum cusi.

53 *Pectore lævo*] Sinistra pectoris parte, in qua situm est cor. Quidam interpretantur, maligno, perverso: sed minus placet.

54 *Excutiat guttas*] Sudoris stillas, ob vehementem cordis commotionem

Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies: nam, fratres inter aënos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto; sitque illis aurea barba.
Aurum vasa Numæ Saturniaque impulit æra,
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes!
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores,

exultare incipiant: *inde hoc venit, quod incrustas sanctos* Deorum *vultus auro triumphato. Etenim inter germanos ære fusos, hi præferendi sint qui immittunt insomnia pituita maxime defæcata: et his detur barba ex auro. Aurum expulit vascula Numæ, necnon æneas Saturni* crateras, *atque immutat capedines Vestæ, ac testas Etruriæ. O mentes pronæ in terram, et vacuæ rerum cœli! Quid prodest illud, inducere mores nostros ædibus sacris, et judicare quædam esse grata Nu-*

Casaubon.—55 *sacras auro* Ms. R. et Ms. Gal.—58 *sitque illis* edit. Steph.—

NOTÆ

et lætitiam: eritque hæc expolitio prioris sententiæ, *sudes.* Sunt qui de lacrymis intelligant: sed reclamant hæc verba *pectore lævo.*

55 *Hinc illud subiit*] Ex eo quod ita gaudes dato tibi auro et argento, hinc animum tuum subit opinio, et putas iis pariter Deos gaudere: proindeque eorum statuas auro exornas, ut eos demerearis.

Ovato] Ex hostibus reportato et ex eorum spoliis. Ovatio minor triumphus, dictus ab ove quæ tunc mactabatur, sicut bos in majori triumpho. Nec enim placet deducere ab ovo, ut volunt nonnulli eo quod quæ inaurantur prius ovi albo illinuntur.

56 *Nam fratres inter, &c.*] Ironia est.

Fratres inter aënos] Hi sunt quinquaginta filii Ægypti, quorum statuæ in porticu Apollinis Palatini erectæ. Harum enim quædam oracula et responsa per somnum postulantibus reddere credebantur. Ita vetus Interpres, Casaub. &c. Adversus nonnullos, qui intelligunt alii quidem Castorem et Pollucem, alii vero quoslibet Deos, qui fratres dicantur, quia sunt omnes filii unius matris Cybeles, quorum pleræque ex ære erant statuæ.

57 *Pituita purgatissima*] Ea enim vera putantur insomnia, quæ non proveniunt ex humoribus.

58 *Sitque illis aurea barba*] Superstitiosi veteres e supradictis statuis eas inaurabant, a quibus immissum sibi verum aliquod somnium credebant; et quos maxime Deos colebant, iis barbam auream dabant, ut dictum est de Æsculapio supra ad ea verba, ‘Vellere barbam.’ Vide et Sueton. in Caligula, c. 52.

59 *Vasa Numæ*] Testacea, simplicia, qualia adhibuit Numa Pompilius religiosorum rituum apud Romanos auctor. Cic. Parad. I. Plin. XXXV. 12. et XXXIII. 11.

Saturnia] Qualia erant in usu temporibus vel in æde Saturni. Ovid. Fast. I.

60 *Vestalesque urnas*] Quales adhibebant Vestales in sacris Vestæ.

Tuscum fictile] Tusci religioni ad-

Et bona Dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo;
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.
Hæc baccam conchæ rasisse, et stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat et hæc, peccat: vitio tamen utitur: at vos
Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine puppæ.

minibus, ex ista nostra carne delicata sceleris plena? Illa diluit sibi casiam oleo vitiato, et decoxit lanas Calabriæ conchylio corrupto. Illa imperavit avellere unionem e concha; et conflare venas calescentis metalli e pulvere non cocto. Scelerata est illa quidem, *etiam scelerata est: nihilominus* suum *illi scelus utile est. Sed vos, o Antistites, loquimini; quid prodest aurum in sacro? Scilicet illud quod* prosunt *imagunculæ puellares a puella Veneri oblatæ. Eccur non donamus Diis illud* po-

59 *expulit* Ms. Gal.—63 *dicere* C.—69 *In sancto* edd. pl. et C. *in templo* Ms. Gal. *in sancto* membranæ omnes: apud Lampridium in Alexandro *in sanctis:* alii codices *in sacro*, quod postremum sequor potius: nam *sacrum* est res Deo sacra, unde est apud Plautum 'Sacro manus admoliri;' et ita apud

NOTÆ

modum fuerunt dediti, suosque ritus ac cæremonias aliis populis accommodarunt. Hi fictilibus vasis in sacris suis utebantur.

63 *Et bona Diis ex hac, &c.*] Et credere Diis ea probari et bona videri, quæ nobis et nostræ libidini jucunda sunt.

Pulpa] *Pulpa* et pulpamentum cibus delicatus, seu caro optima et sine ossibus. Metaphorice sumitur pro molli affectu erga luxum et delicias.

64 *Hæc*] Pulpa nempe et mollities.

Corrupto casiam, &c] Invenit unguenta, in quibus casia simul et oleum solvitur, dum miscentur: pereunt nimirum, ut tertium quid conficiant.

65 *Calabrum vellus*] Tarentinam lanam, quæ est optima. Calabria regio Italiæ, hodie, *Terra d'Otranto*.

Coxit] Infecit, tinxit: Id est, lana peregrinos colores ementiri didicit per nostrum luxum. Quod quidem primi omnium invenerunt Lydi, ut habet Plin. VII. 56.

Murice] Piscis est marinus, e cujus humore color purpureus conficitur.

66 *Baccam*] *Baccæ* proprie sunt fructus lauri: propter similitudinem autem ita vocantur uniones et margaritæ. Hor. Epod. VIII. 'Nec sit marita Quæ rotundioribus onusta baccis ambulet.'

Rasisse] Lima avellisse unionem conchæ tenaciter adhærentem; vel etiam callo purgare docuit.

Et stringere venas, &c.] Id est, colligere pulverem et ramenta auri et argenti e venis terræ, et e fodinis: e quibus cum eruta sunt metalla igne purgantur, et pulvis conflatur in massam, excoquendo in fornace: unde vocat Persius crudum, cum extrahitur et colligitur e venis et meatibus subterraneis.

68 *Peccat et hæc, peccat, &c.*] Nostra hæc pulpa et libido est vitiosa quidem et peccat: attamen utilitatis aliquid capit e suo vitio et peccato. At quid emolumenti redundat in Deos ex auro quod infertur in eorum templa?

70 *Nempe hoc*] Ironia est.

Donatæ a virgine puppæ] Ephebi

Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
Hæc cedo ut admoveam templis, et farre litabo.

tius, *quod proles Messalæ habens oculos vitiatos nequeat donare e patina capaci: legem humanam ac divinam* bene *ordinatam* in *mente: et penetralia animi pura, et cor exercitatum* in *virtute animosa: da illa, ut inferam sacris ædibus, et mola salsa* Deos *placabo.*

Tullium. *Casaubon.*—70 C. omisit τὸ *a.*—73 *animi* C.—75 *moveam* C.

NOTÆ

bullas Diis Penatibus, puellæ Veneri puppas consecrabant, ut faustum haberent matrimonium. Vide Alex. ab Alex. v. 18. Sensus autem Persii est: sicut virgines nupturæ puppas seu infantium simulacra offerunt Veneri, ut veros infantes obtineant: ita vos, o avari, tantulum auri offertis Jovi, Mercurio, aliisve Diis, ut plurimum nanciscamini, et divites fiatis. Sacrificatis igitur non ex religione, sed ex affectu avaritiæ, adeoque impii et improbi estis.

71 *Magna de lance*] Id-est, ex ingentibus divitiis. Allusio est ad veterum morem, apud quos ex acerra pauperes, e lance divites libabant, ut initio hujus Satiræ diximus ad verbum, *acerra.*

72 *Messalæ*] Ponitur pro quovis opulento et divite. Valerius Corvinus Messala a Messana urbe Siciliæ, ab eo expugnata, mutata una litera, dictus; auctor et caput fuit illustris Messalinorum familiæ. Vide Macrob. l. I. Saturnal. c. 6. sub finem.

Propago] Intelligit Cottam Messalinum, qui crapulæ deditus et gulæ, et a majoribus degener, in senectute adeo lippus fuit, ut palpebræ ejus in exteriorem partem conversæ essent.

73 *Jus fasque*] *Jus* est id quod sancitum est et licet lege humana; *fas*, quod divina.

Animo] Legit Casaubonus, *animi.*

74 *Incoctum*] Pridem assuetum, omnino imbutum.

Generoso honesto] Virtute quasi naturali et ingenita.

75 *Farre*] Leviore etiam munusculo placabo Deos, modo integritatem morum habeam et innocentiam, quam pluris illi faciunt, quam aurum et munera. De farris usu in sacris vide Plin. XVIII. 2. Item quæ notavi ad Juvenal. Sat. IX. vs. 122. ad vocem, *farre.*

Litabo] *Litare*, non est simpliciter sacrificare; sed sacrificio, quod petitur, obtinere. Quocirca soli probi viri *litare* dicuntur proprie; sacrificare, quilibet, etiam improbi. Tit. Liv. XXXVIII. 20. 'Postero die, sacrificio facto, cum primis hostiis litasset.' Plautus in Persa: 'Tum Jupiter faciat ut semper sacrificem, nec unquam litem.'

SATIRA III.

ARGUMENTUM.

Mollem ac desidiosam juventutem Romanam, opibus et nobilitate fretam, acriter Persius sub persona philosophi Stoici perstringit. Sententiarum ordo hic est. Dormiunt juvenes delicatuli in multam diem. 4.; excitati somno morosi surgunt, accingunt se labori, desidiæque crimen vanis excusationibus effugere tentant. 14. Hanc rationem puerilem magna cum indignatione exprobrat magister adultis, monstratque, eos sibimetipsis verba dare non magistro, sibique nocere summa mollitie depravatos. 22. Formandi fingendique ad virtutis præcepta animi nunc maxime tempus instare. 24.; divitias ac nobilitatem ad bene beateque vivendum minime sufficere. 29. Quarum rerum externarum splendorem oculos quidem posse perstringere imperitorum, sapientis non item. 30. Miserrimam esse conditionem eorum, qui relicta virtute scirent, quid perdidissent. 34. Id quod magis illustratur brevi digressione in virtutis præstantiam et conscientiæ stimulos, quibus illius desertores ceu Furiarum tædis exagitantur. 43. Communem quidem puerorum morem, quam aversi a rectis studiis esse soleant, quibusque rebus ludicris maxime teneantur, exemplo ex sua ipsius pueritia ducto demonstrat. 51. Sed illos, cum jam ex ephebis excesserint, atque id ætatis sint, ut rectum a pravo dignoscere queant, nihilominus tamen mira quadam negligentia in deligendo sibi certo aliquo vitæ genere esse, ideoque sine omni futuri cura. 62. In tempore si adhibeatur medicina, magnum ejus usum esse; perditis autem semel moribus sapientiæ præcepta raro mederi. 76. Doctrinarum quidem magistri a stupidis derideri, tetricamque ipsorum ac morosam philosophiam, ut vulgo perhibeant, non curari 87.; exemplo tamen ab ægroto sumto demonstrat, quam periculosum sit, medici consilia neglexisse, sæpissimeque mortem hujus neglectus pœnam esse. 106. Ut corporis morbi nonnunquam lateant, eoque vehementius vim suam subito exerere soleant: sic etiam animi commotiones, occasione oblatæ, solere se ostendere. 111. Magnam igitur curam nobis adhibendam esse, ut, etiamsi vim alicujus morbi non sentiamus, omnem tamen diligentiam in nobismetipsis tutandis futurisque morbis cum corporis tum animi occurrendo ponamus.

NEMPE hoc assidue? jam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.

Scilicet ista continuo? Jam splendidum lumen matutinum ingreditur fenestras, et luce auget arctas rimulas. Indulgemus somno, qui valeat concoquere vinum coctu *difficile, quando* Solis *umbra attingit quintam lineam. Ecce quidnam facis? Stella*

1 *Nempe hæc* Ms. Gal.—9 *Finder* Casaub. Edit. Omnes membranæ nostræ

NOTÆ

1 *Nempe hoc, &c.*] Quotidie scilicet hæc eadem ages et in clarum diem stertes? inquit præceptor ad discipulos, Philosophus, inquam, ad juvenes sibi commissos, et suam in disciplinam traditos.

Mane] Est clarus dies, teste Macrobio, quem lege Saturnal. I. 3. et Gell. III. 2.

2 *Extendit*] Latiores rimas apparere faciunt radii solares intromissi.

3 *Stertimus*] Subtimidam increpationem in prima persona hic observant nonnulli, et condiscipulum potius quam magistrum indicari volunt; sed quid obest magistrum ita discipulos increpare et quidem acriter?

Indomitum Falernum] Athen. l. I. Campanum illud vinum difficulter concoqui affirmat.

Despumare] Metaph. a musto, vel etiam re fere qualibet, quæ non coquitur, nisi actis spumis.

4 *Quinta dum linea tangitur umbra*] Hypallage. Id est, dum in solari horologio umbra tangit quintam lineam, adeoque notat horam quintam. Duo hic explicanda: alterum, quomodo intelligatur hora illa quinta: alterum est, solaris horologii antiquitas. Quod ad primum attinet, observandum quoties apud Auctores seu Græcos seu Latinos horarum fit mentio, semper accipiendas horas diei naturalis, sicut hic apud Persium. Distinguunt nempe diem, alium civilem, alium naturalem. Hic ab Ortu Solis ad Occasum extenditur; ille, noctem simul et diem continet, et in horas viginti quatuor distribuitur. Porro diem civilem alii aliter definierunt; Persæ et Babylonii, inter duos Solis exortus: Ægyptii, Athenienses, et nunc Itali, Occasu Solis: Etrusci et Umbri, meridiebus: alii mediis noctibus, ut Romani olim, et nos hodie, aliique, facimus. At dies naturalis (de quo hic est mentio), qui modo brevior, modo longior pro ratione temporum et climatum, dividitur in horas seu partes duodecim inter se æquales, longiores quidem æstate, cum longior est dies, hyeme vero breviores. Hujus hora prima est Solis ortus, sexta meridies, duodecima Solis occasus. Itaque Romæ, ubi dies longior solstitialis est horarum ferme quindecim, hora illa quinta circa solstitium æstivum recideret ad nostram decimam cum tribus quadrantibus; et circa Caniculam, de qua hic Persius, esset hora ipsa undecima, aut non multo secus. Vide Plin. II. 76. et 77. et l. VII. cap. ultimo. Macrob. Sat. I. 3. Cœl. Rhodigin. XII. 9. Alex. ab Alex. IV. 20. Quod spectat ad horologia solaria, illorumque antiquitatem, si Plinio fides, primus eorum inventor fuit

En quid agis? siccas insana Canicula messes
Jam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est;
Unus ait comitum. 'Verumne? itane? ocyus adsit
Huc aliquis! nemon'?' Turgescit vitrea bilis:
Finditur: Arcadiæ pecuaria rudere credas.

canicularis sanitati noxia jam pridem adurit aridas segetes: et grex omnis sub ulmo umbrosa jacet; inquit unus e sociis. Hoc*cine verum* est? *An sic* se res habet? *Quamprimum isthuc veniat quispiam: nullusne* veniet? *Bilis pellucida intumescit* in me: ita *rumpor* vociferando: *ut putes rudere pecora Arcadica. Mox codex,*

****

habent *findor:* quare ita distingue: *Turgescit vitrea bilis: Findor: ut Arcadiæ, &c.* Pro *credas,* membranæ *dicas.* Ausonius, 'asinos quoque rudere dicas.'

NOTÆ

Anaximenes Milesius. Hoc tamen Anaximandro Anaximenis magistro tribuunt Diogenes Laërtius l. II. Vitruvius, et alii. Romæ vero illorum usus esse cœpit bello Punico primo, ut habet Plinius loco citato. Antiquiora tamen illa constat ex sacris Codicibus l. IV. Regum, c. 20. ubi de horologio Achaz, et de Sole per decem lineas retrogrediente. Quamvis enim in textu Hebraico vox nulla significans lineas aut horologium ibi reperiatur, sed tantum gradus; et Achaz non habuerit horologium lineis et gnomone perfectum, ut nos hodie habemus; at gradus ei fuisse arte dispositos, et horas diei per umbram Solis indicantes, colligere est ex D. Hieronymo Commentar. in Isaiam ita scribente: 'Datur signum ut Sol decem gradibus revertatur, quos nos juxta Symmachum in lineas et horologium vertimus, qui gradus intellexit in lineis, ut manifestiorem sensum legentibus faceret: sive ita exstructi erant gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens horarum spatia terminaret.'

5 *Canicula*] Constellatio, quæ dum Sol in Leone est, oritur. Vide Plin. II. 40. Unde ab Horatio, *Vesani stella Leonis:* a Persio vero, *insana* dicitur, quia morbos procreat bene multos, ob æstum et vehementiam: item canes in rabiem agit. Hinc Horat. Sat. I. 6. vocat, 'Rabiosi tempora signi.'

6 *Patula pecus omne sub ulmo est*] Dum meridianus æstus defervescat, greges in umbram deducuntur. Virg. Ecl. II. 'Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant.'

7 *Unus ait comitum*] Hæc plerique referunt ad priorem sententiam. Sed non abs re contendit Casaubonus finiendam ante hæc verba præceptoris increpationem: ut verba hæc, *unus ait comitum,* Persii sint narrantis: et quæ sequuntur, sint expergiscentium discipulorum.

Ocyus adsit] Adsit protinus famulus, et vestes afferat, ut surgam quamprimum.

8 *Vitrea bilis*] Quasi vitro similis, quæ in vultu iracundo appareat. Hor. Sat. I. 3. 'Splendidam bilem' dixit. Alii interpretantur, inflata, intumescens, ut vitrum.

9 *Finditur*] Laxat habenas iracundiæ petulans adolescens, et quia ad laborem et studium non sponte trahitur, iram in famulos exonerat. Quidam legunt, *Findor: ut Arcadiæ, &c.*

Arcadiæ] Regio est Peloponesi multos et magnos alens asinos.

Jam liber, et bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor;
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.
O miser, inque dies ultra miser! huccine rerum

et pergamenum duplici colore, pilis depositis, et papyrus, et calamus nodos habens manibus inseruntur. Tum conqueritur quod spissus liquor hæreat in penna: deinde, *quod ater sepiæ* humor *vanus fiat, aqua instillata:* postea *conqueritur quod calamus duplicet stillas liquidas. O infelix! et in dies* futurus *magis infelix, an*

Casaubon. Findor, ut Archadiæ C.—10 *positis bicolor* Ms. R. et Ms. Gal.—12 *Nunc queritur* Ms. R. *querimur* C.—13 *Nigra sed* C.—14 *querimur* Edit.

NOTÆ

10 *Liber*] Proprie est arborum cortex, in quo scribi solebat ante inventum chartæ usum. Vide infra.

Bicolor] Quia membrana crocea erat ea parte qua pilos habet, altera vero qua adhæret visceri, candidior: 'bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat,' ait vetus Interpres. Variis etiam coloribus inficiebantur membranæ, inquiunt alii. Sed cavendum ne confundant operculum libri cum membrana in qua scribebatur, ut monet Casaubonus.

Positis membrana capillis] Non desunt qui interpretentur de capillis adolescentis istius pexis et comtis: sed refragantur plurimi iique doctissimi, et intelligunt de pilis membranæ abrasis pumice, atque adeo depositis et demtis. Certe textus ipse sensum hunc adjuvat.

11 *Chartæ*] Repertus chartæ usus sub Alexandro, teste Varrone. Antea scribebant in foliis arborum et in corticibus: deinde in chartis quæ fiebant e foliis papyri arboris in Ægypto crescentis. Demum sub Eumene Rege inventæ sunt Pergami membranæ, quæ inde Pergamenæ dictæ sunt.

Arundo] Veteres arundine pingebant. Persius variatis nominibus, *arundinem, calamum, fistulam,* vocat.

12 *Pendeat*] Non fluat atramentum e calamo, et quasi pendulum hæreat ob nimiam crassitiem.

13 *Nigra quod, &c.*] Modo querebatur quod atramentum nimis spissum esset, jam dicit dilutius esse, et scripturam non apparere, aut suum potius non habere colorem.

Sepia] Metonymia, pro, sepiæ piscis humore atro, qui atramento similis: quem etiam pro atramento fuisse apud Afros, ait vetus Interpres. De sepiæ natura et industria, vide Plin. IX. 29. et XXXII. 10. in fine.

14 *Dilutas queritur*] Addit et propter affusam aquam adeo liquidum factum esse atramentum, ut papyrum maculet, uberius effluens quam par sit.

15 *O miser*] Qui tot et tam vanas pigritiæ excusationes prætendit, quam miser est!

Huccine rerum venimus] Adeone vile est sapientiæ studium, ut tam lente et oscitanter captetur? Porro observat Casaubonus juvenes quos hic redarguit magister ille, non fuisse ea ætate, ut ista puerilia causarentur, sed alias solitos afferre igna-

Venimus? At cur non potius, teneroque palumbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammæ lallare recusas?
'An tali studeam calamo?' Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens.

eo rerum devenimus? Sed quare non magis par molli columbæ pullo, et filiis Regum, petis teneram escam attritam, et excandescens contra nutricem, repellis cantilenam lalla? Studione incumbam cum *ejusmodi penna? Cuinam verba das? Quorsum has tergiversationes succlamas? Pro te alea jacitur. Dilaberis stulte; contemtui eris.*

Steph. et C.—16 *palumbo* Ms. R. *aut cur ... palumbo* Ms. Gal.—19 *En tali* Ms. R.—20 *effluis amens*: sic legendum, non *et fluis*. *Casaubon*.—22 Fortasse scri-

NOTÆ

viæ excusationes haud multo nugis illis graviores: unde per similitudinem ironicam a magistro exagitentur.

16 *At cur non potius*] Increpatio acris et sarcastica. Cum res serias, quale est Philosophiæ studium, tam pigre capessas, quin potius ad alia omnino incumbis? Illud desere, et mollitiei te totum da; et cum nolis laborare ut vir, nugare ut puer; immo ad ipsam redi infantiam, in qua nec labores ad mandendos cibos, sed præmansos et attritos capias.

Teneroque palumbo] Cui mater semicoctum e suo ventriculo cibum extractum in os inserit, ut facilius molliusque alatur.

17 *Regum pueris*] Qui deliciis et imperio innutriti omnia ad libidinem suam fieri volunt, nec grave quicquam suscipiunt aut molestum. Ita apud veteres notari solebant corruptis homines moribus, inquit Casaubonus, *est similis Regum pueris*, puta alicujus Sardanapali.

Pappare] Infinitivus pro nomine substantivo, ut Sat. I. 'Nostrum illud vivere triste.' Sensus est: quin petis cibos jam præmansos et comminutos, quos facilius, et sine ullo labore deglutias? Cibum puerulorum *papas*, et potum *buas* antiqui appellabant: unde *pappare*, est ejusmodi cibos captare. Plaut. in Epidico: 'Novo liberto opus est quod pappet. Dabitur, præbebo cibum.'

18 *Iratus mammæ*] Pater *tata*, nutrix et mater *mamma* pueris olim vocabatur, teste Catone. Non ergo intelligendum est de ubere nutricis, quasi lac sugere ille puer recuset, sed potius nolit dormire ad solitam cantilenam, *lalla*, a nutrice vel matre sæpius repetitam: quod delicatuli pueri morositatem redarguit.

Lallare] Est repetere sæpius vocem *lalla*, quod solenne est nutricibus, ut cantiunculis istis somnum puerulo concilient.

Lallare recusas] Respuis nutricis blandimenta, et pertinaci vagitu contra illam irascens, somnum admittere recusas.

19 *An tali studeam calamo*] Pertinax adolescens cum agnoscere culpam deberet moresque corrigere; inanes potius suæ ignaviæ excusationes quæritat.

Cui verba] Reponit magister: itane speras nobis imponere?

20 *Tibi luditur*] Tua res agitur: quod tempus teris, tibi non mihi perit.

Effluis amens] Te ipse perdis, teipsum jugulas.

Contemnere. Sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
(Quid metuas?) cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,

Vas fictile digito *pulsatum sono ostendit defectum, et excoctum argilla non recenti reddit tinnitum fractum. Tu es* velut *limus humidus et tractabilis, jamjam fingendus, et absque intermissione formandus rota vehementi. At ex agro patris habes frumentum tenue, et vas salis mundum sine defectu. Quidnam timeas? Habes etiam patinam tutam camini excultricem. Illudne sufficit? An decorum est pulmonem*

bendum *respondens;* sonus integræ et vitio carentis testæ est ὀξὺς καὶ τορὸς, ut dicitur in Græcorum commentariis de re rustica VI. 3. at rupta testa sonat maligne, hoc est parvum sonum; sic 'lux maligna' apud Virgilium. *Casaubon.* Tautologia quodammodo tollitur, si cum Casaubono legis *respondens:* verum ipso *maligne respondens* frigus aliquod inducitur loco, qui forsan sanus non est: cujus tamen medicina non absque codd. Mss. tentanda videtur. *Kœnigius.*—23 *lutum est* Ms. K.—25 *et purum* Ms. Gal.—26 Planior lectio

NOTÆ

21 *Contemnere*] Quoniam nihil afficit homines magis quam contemtus; hunc etiam juveni moroso objicit et minatur prudens magister.

Sonat vitium] Urget per similitudinem. Sicut tinnitu rauco et absurdo cognoscitur vasis defectus, cum digito percutitur: sic tu cum a me ad meliora incitaris, et quasi tangeris, exhibes animi vitium et pravam affectionem.

Maligne respondet] Contrarium est, *Solidum crepat*, quod videbimus Sat. v.

23 *Udum et molle lutum es*] Instat magister: attamen hac ætate qua es, potes emendari dum tener es, et in melius formari ac fingi; si modo gerere mihi morem volueris, et subire disciplinam licet ea tibi prima fronte acris et aspera videatur.

Nunc nunc] Id est, modo et sine mora, dum adhuc juvenis es, ac velut cera seu testa mollis, cujuscumque formæ capax.

24 *Rota*] Figulinum est instrumentum ab Anacharsi, teste Plinio, inventum, quo circumacto fictilia vasa finguntur.

Sed rure paterno] Prolepsis. At, inquies, quid opus me laboribus ac vigiliis fatigare, cum possim beatam ac tranquillam vitam agere, contentus partis etsi mediocribus divitiis?

25 *Far modicum*] Sufficiens fortuna, licet modica.

Purum] Seu mundum et nitidum, seu quæsitum sine dolo.

Salinum] Pro qualibet supellectili.

26 *Cultrixque foci*] In foco Lares colebantur.

Secura patella] *Patella*, vas e quo libationes Diis Laribus ad focum ferebantur; *secura*, quia domesticos Deos religiose colens præsidium ab iis et patrocinium sibi pollicetur.

27 *Hoc satis*] Refellit magister dicta discipuli.

Pulmonem rumpere] Præ superbia et fastu: ob nobilitatem et censum supra modum et inepte inflari.

Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras: ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum

frangere ventis, quia millesimus trahis lineam successionis *ab Etrusco genere; vel* quod *Censorem* inter *tuos salutas, vel quia trabea vestitus* es? *Ad plebem phaleras. Ego te cognosco interius et exterius. Numquid non pudore afficeris vitam agere ad instar Nattæ dissoluti? At ille stupidus est defectu* naturæ, *et in præcor-*

sit, *Quid metuam?* sed aliter scripti libri.—29 *Censoremve* Edd. plurim.

NOTÆ

28 *Stemmate quod Thusco, &c.*] Eo quod per mille generationes originem ducas ex aliqua vetusta et nobili Etruriæ familia. Porro *stemma* Latine corona est e floribus præsertim. Metaphorice sumitur et pro gentilitiis insignibus, et pro statuis et imaginibus Majorum, quæ ornabantur sertis ejusmodi floreis et corollis: item pro arbore, ut aiunt, consanguinitatis, quam ductis lineis additisque rotundis figuris efficiebant antiqui, et stemma appellabant. Plin. XXXV. 2. 'Stemmata lineis discurrebant ad imagines pictas.' Vide Juvenal. Sat. VIII. initio.

Ramum ducis] Lineam nempe successionis. Isidorus, IX. 6. Solent Advocati stemmata, sive ramusculos facere in genere, cum gradus cognationum partiuntur.

29 *Censoremve tuum*] In tua cognatione et gente.

Trabeate] Nobili veste indutus e purpura. Alex. ab Alex. V. 18. Romulum primum trabea usum fuisse ait; et triplex trabeæ genus luculenter explicat. Vide Juvenal. Sat. VIII. 259. ibique Annotat.

Salutas] Nimirum in censu: postquam enim Censor Equites Romanos recognoverat, hi ante illum in tribunali sedentem transvehebantur in equo, et trabea, eumque salutabant. Alii intelligunt salutari imagines Majorum in atrio stantes. Eo quod Neronis tempore Censores nulli erant. Ita pugnat Autumnus adversus Casaubonum, inprimisque contra Marcilium: at quamvis nulli essent tunc Censores, Princeps ipse Censoris munus hoc exercebat.

30 *Ad populum phaleras*] Hæc verba plane accommodata ad propositum, cum agat contra Equitem Romanum. *Phaleræ* sunt equestria ornamenta. Sensus est: ne ostentes fortunæ bona, quæ non te nobilitant magis, quam phaleræ equum. Illa plebem imperitam decipiunt ac detinent, non autem viros sapientes, qui e solis animi bonis hominem æstimant.

Intus et in cute] Intimos animi tui recessus, et quæcumque ibi latent vitia perspicio.

31 *Nattæ*] De quo Horat. Sat. I. 6. Quidam legunt, *Naccæ*. Quicquid sit, constat intelligi hominem deliciis et libidine perditum, sive is infima sorte fuerit, sive domi nobilis a virtute paterna desciverit.

32 *Sed stupet hic*] Hic ad stuporem usque jam devenit, nec se peccare advertit: unde miseratione magis quam reprehensione dignus videtur.

Fibris increvit opimum pingue] Tertullian. lib. de Anima c. 20. 'Opi-

Pingue: caret culpa: nescit, quid perdat; et, alto
Demersus, summa non rursus bullit in unda.
Magne pater Divum, sævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno;
Virtutem videant, intabescantque relicta.

diis crassa pinguedo enata est: vacat noxa: ignorat quantum amittat, et profundo obrutus non emergit iterum in supremam aquam. Summe Deorum parens, noli plectere alio modo dominos crudeles, quando sæva cupiditas infecta toxico ardenti impulerit animum illorum: nempe, *aspiciant virtutem, et* ea *deserta, tabe emar-*

Censoremque Ms. Gal.—34 *rursum non* Edit. Steph. *rursus non b.* Ms. R.—37 *torta* Ms. Gal.—38 *Virtutem ut vid.* Edit. Steph.

NOTÆ

mitas,' inquit, 'impedit sapientiam.' Vide et quæ nos Sat. I. 57. ad ea verba, *Pinguis aqualiculus*. Sensus est hic: Sicut adeps non sentit, (teste Galeno et Aristotele) sic nec mens illius: nam obduruit callum veluti quoddam in animo ejus, nec mirum si demergatur in profundum vitiorum prono impetu, cum jam plane cæcutiat ad bonum: quæ tamen pœna est summæ nequitiæ maxima.

33 *Nescit quid perdat*] Virtutis enim pulchritudinem jam non videt, et pretium ejus ignorat: sicut et turpitudinem vitiorum et infamiam haud animadvertit.

Alto demersus] Vitiorum barathro absorptus.

34 *Non bullit*] Non emergit, non assurgit; nam cum stupens ejus conscientia nullis agat eum stimulis, nequaquam redire potest ad meliorem frugem. Horresce vero, tu adolescens, ad tam deploratum statum; et cave, ne eodem miseriæ devenias, nisi mature frænum injicis petulantiæ juvenili.

35 *Magne pater Divum*] Stupori Nattæ acerbos illos opponit cruciatus, quos tolerant ii qui virtutem cognitam habuere, nec tamen secuti sunt: hos vero tantos esse ait, ut sceleratis gravius optari tormentum nequeat: hæc egregie Casaubonus, additque videri Persium respexisse ad locum Platonis, in Gorgia, ubi ait in animis defunctorum Tyrannorum vibices extare, testes eorum scelerum, e quibus Rhadamanthus eorum scelera dijudicet.

Sævos punire tyrannos] Aliorum malis gaudentes, quales fuere Busiris, Diomedes, Phalaris, uterque Dionysius, ipseque Nero, quem hic notari plerique autumant.

36 *Haud alia ratione*] Non aliter punias, quam conscientiæ flagellis, et scelerum suorum furiis eos tradendo: vide Juvenal. Sat. XIII. D. Augustin. lib. de Magistro, c. 9. 'Persius,' inquit, 'omnibus pœnis quas Tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia, quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere.'

37 *Moverit ingenium*] Impulerit ad aliquod atrox scelus.

Ferventi tincta veneno] Cupiditas præceps et vehemens crudelitate et inhumanitate stipata.

38 *Virtutem videant*] Tull. l. II. de

Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,
Aut magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, *imus,*

cescant. *An æs tauri Siculi majores edidit gemitus: et gladius* e *lacunaribus auro intectis suspensus plus tremefecit purpura exornatum caput sub* se, *quam si* quis *sibi*

* * * * * * * * * * *

44 Ita scribendum est: *tangebam,* inquam, non *tingebam,* quod et membranæ

NOTÆ

Finibus: 'Oculorum in nobis sensus est acerrimus, quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentes amores excitaret sui, si videretur!' Hunc Tullii locum videtur expressisse Sanctus Augustinus Enarratione in Psalmum 64. ubi sic habet: 'Habes oculos foris, unde videas aurum: intus est oculus, unde videatur pulchritudo justitiæ.—Quædam ergo est pulchritudo justitiæ, quam videmus oculis cordis, et amamus, et exardescimus,' &c. Alii legunt, *Virtutem invideant,* vel, *Virtuti invideant,* scilicet aliorum: parvi certe interest.

Intabescantque relicta] Dolore acerbissimo velut aliqua tabe consumantur, quod ultro abjecerint virtutem, rem adeo pretiosam et amabilem. Horat. Od. III. 24. 'Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi.' Hæc ipsa est pœna damni, quam in damnatis Theologi agnoscunt.

39 *Anne magis Siculi*] Ne vero hæc a me gratis dici putet aliquis: omnia certe Tyrannorum inventa ad cruciandos homines, leviora sunt conscientiæ tormentis assiduoque stimulo, quibus interquiescere nunquam sinuntur. Certe quanto præstat animus corpori, tanto graviora sunt animi vulnera, quam corporis.

Gemuerunt æra juvenci] Metonymia, pro, ingemuerunt homines inclusi tauro æreo. Perillus Faber Atheniensis Phalaridi Agrigentinorum in Sicilia Tyranno fabricatum a se taurum æneum dedit, in quo, subjecto igne cruciarentur homines, et taurinos mugitus imitarentur. Ipse vero Artifex in eum immissus primus artis suæ periculum fecit. De eo Plin. XXXIV. 8. 'Perillum nemo laudat,' inquit, 'sæviorem Phalaride Tyranno, qui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus, igne subdito; et primus eum expertus cruciatum justiore sævitia.'

40 *Auratis pendens laquearibus ensis*] Suspensus e laqueari gladius seta equina, et imminens capiti Damoclis apud Dionysium Siciliæ Tyrannum. Nota historia ex Cic. Tusc. Quæst. V. Macrob. ad Somn. Scipionis, I. 10. &c.

41 *Purpureas subter cervices*] Mors imminens terruit Damoclem regio ornatu amictum, sub ense illo positum.

Terruit magis, quam, &c.] Id est, Nec Perillus accenso tauro æneo inclusus miserabilius gemuit, nec Damocles imminentem sibi mortem animadvertens magis exhorruit, quam torquetur sceleratus intimis animi cruciatibus, cum scelerum stimulis et furiis agitatur.

Imus, imus præcipites] Egregia Prosopopœia Tyranni conscientiæ flagellis et tormentis adacti: quibus secum ipse in summa desperatione, dicat: actum est de nobis, præcipitamur, perimus, omni salutis ope destituti. Tiberius apud Sueton. c. 67. 'Quid scribam vobis, P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dii me Deæque pejus perdant, quam quotidie perire sentio, si scio.'

Imus præcipites, quam si sibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere, non sano multum laudanda magistro,

ipsi inclamet, currimus, currimus in præcipitium; atque is intra seipsum *miser extimescat* id *quod ignoret conjux propinqua. Recordor* quod ego *puer linibam frequenter oculos oleo, quando nolebam memoriæ mandare dicta gravia Catonis morti*

damnant et vetus Interpres, cujus sunt verba, 'Oculi oleo *tacti* perturbantur ad tempus.' *Casaubon.* Et *tangebam* B. *tingebam* Edit. Steph.—46 Plurim.

NOTÆ

42 *Intus palleat*] Vox una, *palleat*, pro duabus, ut observat Casaubonus. Nec enim pallor intus est: significat igitur, intus timeat, et foris palleat.

43 *Quod proxima nesciat uxor*] Nec flagitium, propter quod expallescit, nec tormentum quo urgetur ac intabescit, audet cum quoquam communicare, unde magis torquetur. Ovid. 'Strangulat inclusus dolor, et cor æstuat intus.' Credunt nonnulli allusisse ad Dionysium Tyrannum, qui nec uxori nec liberis confidebat. Porro ex his mira arte Persius virtutis excellentiam ostendit ex eo quod illa carere, sit miserrimum.

44 *Sæpe oculos, memini, &c.*] Ego puer pueriles olim excusationes quærebam, ut studia literarum laboremque detrectarem, et hoc ætati indulgendum videtur; at tu qui puerilia deposuisti, et sapientiæ præcepta jam delibasti, certe culpaberis si ad ejusmodi nugas et excusationes vanas iterum convolas, ne virtutem et bonas disciplinas amplectaris.

Tangebam olivo] Ad simulandam lippitudinem; nam, ut ait vetus Interpres, 'oculi oleo tacti perturbantur ad tempus.' Quod quidem intelligendum (ut bene monet Casaubonus) de interioris oculi tactu; alias, nedum læderet oculos, immo juvaret, ciliorum superficiem oleo linire. Quocirca, ne cum nonnullis legas, *tingebam*.

45 *Grandia si nollem*] Ne memoriter discere cogerer declamationes quasdam pueris tum familiares; v. g. Ethopœiam, in qua morituri Catonis verba exprimerentur, cum deliberaret apud se, satiusne foret sibi vitam eripere, quam in manus Cæsaris incidere.

Catonis] Uticensis nempe, qui partes Pompeii secutus, hunc debellatum videns, Uticæ in Africa seipse interemit. De hoc Lucanus l. I. 'Causa Diis victrix placuit, sed victa Catoni.' Is antequam moreretur Platonis de animæ immortalitate Dialogum perlegisse fertur: unde quidam Interpretes eo referunt quod ait Persius, *grandia Catonis verba*, quasi ille de animæ immortalitate multa etiam præclare tum dixerit, quæ recitarentur a pueris: sed prior sententia verior est, et doctioribus magis arridet.

46 *Non sano*] Nec interpretari placet acri, moroso, et molesto: multo minus, ut quidam, valde sano, sed, quasi male sano, qui puero ficte et affectate recitanti applauderet, et puerilem operam magna ambitione laudaret coram parentibus et cognatis, ut eis sic adulando, majorem quæstum et mercedem expiscaretur.

Quæ pater adductis sudans audiret amicis:
Jure: etenim id summum, quid dexter senio ferret,

proximi, valde æstimanda a præceptore severo, quæ parens meus *sudorem emittens auscultaret convocatis familiaribus. Nam illud merito præcipuum erat* mihi *in*

Edd. *Discere ab insano:* C. habet *dicere et insano.*—48 *summo* Ms. Gal.

NOTÆ

Forte et Juvenalis ait hic Catonis verba multum laudanda a Magistro, ut puero animos adderet ac stimulos: nam, ut ait Ovid. 'Laudataque virtus Crescit; et immensum gloria calcar habet.'

47 *Quæ pater adductis*] Declamabant pueri sexta quaque die, præsente patre, qui amicos et cognatos in ludum corrogatos adducebat ad audiendum filium. Vide Quintil. II. 7. et X. 5.

Sudans] Præ lætitia, et expectatione solicita eventus recitationis.

48 *Jure*] Quidam hic separant sensum: alii jungunt vocem hanc cum sequentibus. Utrovis modo legas, perinde est; semper enim puerilem sensum animadvertes, qui nihil sibi tanti æstimandum, immo tam legitimum nihil existimat, quam pueriles nosse ludos ad amussim, ludorumque leges.

Quid dexter senio ferret, Scire erat in voto] Præcipua mihi summaque erat cura, scire quid noceret, quid prodesset in ludo talorum. Libet investigare quis hujus ludi primus auctor. Hic sustine me tantulum, bone lector. Quanquam enim prurienti ardentique stylo modum ponere ac frænum injicere consuevi, at jam exultanti per amœnum campum lascivientique habenas laxabo paulisper. Ecce vero (quod faustum felixque sit) Dux Burgundiæ natali die toti Galliæ festiva mappam mittit. Ergo aperto stadio libere decurramus. Tu, lector, interim sede in scammate, sis etiam Aristarchus, si lubet: ego sane tam fortunatis auspiciis nihil non tentabo, nihil non moliar, Agonotheta Magno Rege, Delphinoque Serenissimo. Quis, inquam, talorum inventor? Id arrogant atque attribuunt alii aliis, inquiunt nonnulli; Plato Theuti Ægyptiorum Deo: Palamedi Eustathius atque Philostratus: Lydis Herodotus. Verum enimvero ipsos Auctores adeamus, audiamusque: neque plus satis Interpretibus fides habeatur. Herodotus (cui me astipulari statim profiteor) diserte affirmat, tempore Atyis filii Manis Regis, grassante annonæ penuria, Lydos invenisse omnium quidem ludorum genera, excepto uno, ad discutiendam nempe famem: ita ut altera die toti lusibus occupati, altera vero cibum capientes, vitam utcumque sustentarint annis duodeviginti. Sic ille scribit l. I. n. 26. Ἐξευρεθῆναι δὴ τότε καὶ τῶν κύβων, καὶ τῶν ἀστραγάλων, καὶ τῆς σφαίρης, καὶ ἄλλων πασέων παιγνιέων τὰ εἴδεα, πλὴν πεσσῶν· τούτων γὰρ τὴν εὕρεσιν οὐκ οἰκηϊοῦνται Λυδοί. *Tunc igitur inventa tesserarum ac talorum et pilæ ceterorumque ludorum omnium genera, præterquam calculorum: horum enim inventionem sibi non vindicant Lydi.* Cave autem diligenter, ut sic Latine reddas textum hunc; maxime vero vocem πεσσῶν de calculis intelligas, non de talis; ut dormitanti Vallæ contigit, dum elegantem magis quam accuratam interpretationem elaboravit. Quod et sensit Henricus Stephanus, ejusque non hic tantum, sed passim errores emendavit. Vallam fefellit ut et alios complures, quod voces istæ κύβοι πεσσοί, κυβεία πεττεία, pro-

Scire erat in voto; damnosa canicula quantum

desiderio, callere, quid afferret felix Senio; quantum demeret Canis jacturam creans:

—49 Nimis perspicuus est eorum error, qui post *canicula quantum* τελείαν στιγμὴν ponendum censuerunt, et verbum *raderet* cum sequentibus

NOTÆ

miscue usurpantur. Verum oscitari nefas erat Interpreti, quando tam luculenter distinguit Herodotus, aitque κύβους a Lydis inventos ludosque omnes, præter πεσσούς. Porro ne quis hæreat cuiquam ea de re scrupulus, Hesychius quanquam interdum cum vulgo loquens ea vocabula confundit, et pro quavis alea sumit; at ubi opus est, et res exigit, latum inter ea discrimen his verbis notat: Διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας, ἐν ᾗ μὲν γὰρ τοὺς κύβους ἀναῤῥίπτουσι, ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι. Quis jam nescit *talos ac tesseras jactari, calculos promoveri* duntaxat? Adde Eustath. in Odyss. I. ita scribentem; Πεσσὰ πέντε ἦσαν οἷς ἐχρῶντο, καὶ ἐπὶ πέντε γραμμαῖς τὰς ψήφους ἐτίθουν, ὧν μέση ἱερὰ ἐκαλεῖτο, καὶ διὰ τὰς πέντε ταύτας καὶ πεττεία ἐδόκει κληθῆναι, &c. Et paulo post: τοὺς δὲ πεσσοὺς λέγει ψήφους εἶναι πέντε, αἷς ἐπὶ πέντε ἕκαστος τῶν πεττευόντων ἔχῃ τὰς καθ' ἑαυτόν. Ergo certum est πεσσοὺς esse calculos non vero talos accurate loquentibus. At, ut dixi, non raro sine discrimine voces eæ adhibitæ reperiuntur. Et hinc, ni fallor, ostendo Palamedem non invenisse talos, ut volunt aliqui; sed calculos. Nam etsi Eust. ad Il. B. Παλαμήδους ἐπινοησαμένου κυβείαν καὶ πεττείαν εἰς παραμύθιον λιμοῦ, promiscue ut vides, scribat: at Philostratus in Heroicis, πεττοὺς εὗρεν, simpliciter ait. Similiter cum Plato in Phædro sub finem ita scribit: Ἤκουσα τοίνυν περὶ Ναύκρατιν τῆς Αἰγύπτου γενέσθαι τῶν ἐκεῖ παλαιῶν τινὰ θεῶν—αὐτῷ δ' ὄνομα Θεῦθ. τοῦτον δὲ πρῶτον ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν εὑρεῖν, καὶ γεωμετρίαν καὶ ἀστρονομίαν, ἔτι δὲ πεττείας καὶ κυβείας καὶ δὴ γράμματα: tum, inquam, contendo aut de calculis rem esse, aut de alea sine discrimine: aut saltem Theut in Ægypto invexisse id quod in Lydia Lydi, vel simile quiddam. Nam et literas et varias illas artes ac disciplinas quæ ab eo inventæ ibi dicuntur, ad alios etiam auctores referri Docti norunt.

49 *Damnosa canicula quantum raderet*] Quantum lucri *Senio*, quantum damni *Canis* faceret. Porro qualiter omnino exerceretur ludus ille talorum, haud constat. Sunt qui tesseris tribuant quod talorum est, et contra: in his tamen consentire omnes videntur: Insitatum olim quatuor talis, tesseris vero tribus: tesseras latera sex habuisse seu punctis seu figuris notata; talos vero quatuor tantum habuisse facies, quarum una exhibebat unitatem, sive unum punctum; opposita vero, *Senionem* sive puncta sex; alia facies ostendebat ternarium, quarta denique huic opposita quaternarium. Constat præterea minimum jactum in talis unitatem fuisse, et vocatum, *Canem:* at contra, summum, *Venerem*, appellatum fuisse: at compertum minime est quid esset *Venus:* nonnulli enim hanc cum *Senione* confundunt; quanquam alii, et fortasse verius, *Venerem* esse affirmant cum tali quatuor diversos omnes exhibent numeros, nempe 1. 3. 4. 6. Rursum pugnant quid vocetur *Senio*. Con-

Raderet; angustæ collo non fallier orcæ;
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet sapiens brachatis illita Medis

non decipi faucibus arctæ orcæ: neve aliquis peritior esset circumagere trochum scutica. Tibi vero *non incognitum* est *discernere mores corruptos; et* scis ea *quæ docet eruditum ambulacrum Medis braccas habentibus insignitum; et* ea *quibus*

junxerunt; quo nihil est *ἀνοητότερον*. *Casaubon.*—53 Ita distinguunt membranæ, ut ad sequentia vox *insomnis* pertineat: idque melius. *Casaubon.*—53 *indetonsa* Edit. Steph. *et det tonsa* Ms. R.—56 *diduxit* scribendum, non *de-*

NOTÆ

tendunt enim aliqui numerum esse quaternarium, alii vero senarium. Porro, (quod etiam constare videtur) in *Venere Canis* proderat, etsi alias damnosus: sicut et *Senio* alioqui faustus nonnunquam infelix erat, quod probant ex loco Suetonii in Augusto, c. 71. 'Talis jactatis ut quisque Canem aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios conferebat in medium, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.' Sed et corruptum locum hunc nonnemo contendit ex vetustissimis exemplaribus, legendumque: *Ut quisque Canem miserat in singulos talos, singulos denarios conferebat in medium, quos tollebat universos qui Venerem jecerat aut Senionem.* Unde concluderetur *Senionem* semper dici et fuisse jactum felicem, et, ut ait Persius, *dextrum.* Quod etiam de *Cane* addit Persius, *raderet*, aiunt fuisse quoddam aleæ genus, in quo *Canis* quinque puncta de aliis numeris detrahebat. Vide Alexand. ab Alex. III. 21. Cœl. Rhodig. XX. 27. Adrian. Turneb. Advers. V. 6. XXVII. 3. &c. Item quæ Lib. Fromondus curiose pariter et docte scripsit, Comment. in Senecæ Apocolocyntosin Claudii Cæsaris, n. 134.

50 *Angustæ collo non fallier orcæ*] Aliud lusionis puerilis genus; quanquam aliqui de eodem Talorum ludo intelligant, eo quod e fritillo tali mittebantur. Malim tamen interpretari de Nucibus quæ in vas quoddam angusti colli in terra defixum conjiciebantur. Ovid. de Nuce: 'Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur, In quod missa levi nux cadit una manu.' Nostri temporis pueri in scrobem nuces conjiciunt. Sensus Persii est: studebam ita nuces injicere in orcam, ut non aberrarem ab arcto licet ostio. Vide Erasmum.

Orcæ] Vas in modum turriculæ, quod et pyrgus dicitur. Horat. Sat. II. 7. 'Mitteret in pyrgum talos.'

51 *Buxum*] Trochum e buxo. Tertius est puerorum ludus, quem describit Virgil. Æneid. VII. et vocat 'volubile buxum.'

52 *Haud tibi inexpertum, &c.*] Tu vero imbutus es præceptis moralibus et sapientiæ regulis.

53 *Brachatis*] Per braccas certe peregrinam vestem potius et barbaram Persius videtur voluisse indicare, quam proprium Persis ac Medis indumentum. Nec est quod ita pugnent Interpretes inter se de usu et discrimine togæ *ποδήρους* apud Medos, et *ἀναξυρίδας*.

Illita Medis porticus] Illa porticus Athenis erat, et *στοὰ* dicebatur: unde et Stoici vocati sunt Philosophi, qui in ea docebant. In parietibus illius

Porticus, insomnis quibus et detonsa juventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta:
Et tibi, quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?

student juvenes vigiles, rasis capillis, vescentes leguminibus, et pulte crassa. Et litera quæ dividit ramos Samios, ostendit tibi viam arduam dextro calle. Etiamnum dormis? Et caput solutum juncturis laxatis oscitando exhalat *hesternam* crapulam,

duxit: neque enim Latina oratio est *deducere ramos*, pro dividere, et in duas

NOTÆ

depicti erant Persæ et Medi cum Xerxe et Dario Regibus superati a Miltiade, Leonida, Themistocle, in Campis Marathoniis, item ad Thermopylas, et ad Fretum Salaminium. Vide Laërtium, Plin. xxxv. 9. Diodor. vi. 9. Herodot. Plutarch. et alios.

Medis] Populi Asiæ fuerunt mari Caspio affines versus Septentrionem; totius quondam Asiæ Imperio potiti. Nunc ea regio Persiæ pars est.

54 *Detonsa juventus*] Quippe Stoici comam non alebant. Quod expresse notat Juvenal. Sat. ii. ubi habet: 'Rarus sermo illis, et magna libido tacendi, Atque supercilio brevior coma.' Quare hallucinantur qui legunt, vel *intonsa*, vel *indetonsa;* et notari volunt incuriam et negligentiam habitus externi in studiosis, crines propterea non tondentibus: neque nocet quod legemus mox Sat. iv. de barbato magistro. Nam de Socrate ibi sermo est; hic de Stoicis: alios autem aliis ritus et mores fuisse constat.

55 *Siliquis et grandi pasta polenta*] Victui modico et philosophico, seu facile parabili assueta. *Siliqua* proprie est operculum seu folliculus leguminis. Quod addit Persius, *grandi polenta*, virum notat robustum, fortique stomacho valentem, qui multum panis devoret solummodo, nullas autem carnes: quibus etiam vesci nefas esse credebant Pythagorici.

Polenta] Peculiarem Græcis fuisse cibum dicunt nonnulli; alii negant, et poni aiunt pro quolibet pane secundario, et pro pulte etiam. De *polenta* fuse Plinius xviii. 7. item xxii. 25.

56 *Et tibi, quæ Samios*] Pythagoræ etiam documenta delibasti.

Samios] Quia inventor illius rei Pythagoras oriundus erat e Samo, Insula maris Ægæi, ex adverso urbis Ephesi.

Litera] Nempe Y, per cujus dextrum cornu angustum virtutis arduum iter; per sinistrum latius, vitiorum facilem viam Pythagoras designabat. Vide Laërtium. Virgil. Epigramm. de litera Y. 'Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni Humanæ vitæ speciem præferre videtur,' &c. Hujus literæ formam dicitur Palamedes e gruum volatu finxisse. Philostrat. lib. iv.

58 *Stertis adhuc*] Tu scilicet tam bene educatus, ita molliter et segniter vivis, ut etiam nunc dormias?

Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
  Helleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite, io, miseri, et causas cognoscite rerum!

genis undequaque dissolutis. Estne quiddam ad quod properas, et in quod tendis arcum? Utrum temere sectaris corvos, et per *lapides, et* per *cœnum, non curans quo gressus incidat, et in diem victitas. Cernas* quosdam *petentes helleborum inutiliter, quando pellis jam male affecta intumescet. Ite obviam ægritudini imminenti. Et quid necesse* est *polliceri Cratero ingentes* auri *acervos?* O *infortunati, discite,*

partes findere. *Casaubon.*—65 *Ecquid* Edit. Steph.—66 *Disciteque o* Edit.

NOTÆ

60 *Est aliquid quo tendis*] An aliquem habes tibi propositum finem? Quod Philosophiæ præcipuum est præceptum, finem nempe nosse, et ad eum omnia dirigere: unde hunc vitiorum suorum fontem aperit magister discipulo, quod finem sibi nullum proponat.

61 *An passim sequeris corvos*] An temere agis, et vagabundus erras more puerorum?

Testave lutove] Vel, sequeris discurrendo per testas et lutum, et invia asperaque loca quælibet? vel, petis testa et luto et similibus, cum potius essent sagittis petendi, ut inanis non esset labor?

62 *Atque ex tempore vivis*] Sine ulla cura et solicitudine futuri, quod proprium est stupidorum, aut etiam brutorum.

63 *Helleborum frustra, &c.*] Pharmaca noxios humores purgantia. Lege Plin. XXV. 5. Gell. XVII. 15.

Cutis ægra tumebit] Per hydropisim.

64 *Venienti occurrite morbo*] O juvenes, cito incumbite studio sapientiæ et virtuti, quæ animi sanitas est: mature obsistite vitiis, quæ animi sunt morbi. Nam sicut frustra ad remedia et ad Medicum curritur, cum jam morbus invaluit: ita plane, si pravos habitus nasci in vobis, crescere, et confirmari sinatis; incassum postea ad virtutem redire nitemini, frustra præceptores et magistros morum solicitabitis, ut ab ingruenti vitiorum peste vos liberent.

65 *Quid opus*] Cum præcaveri queat morbus, cur eum expectatis, ut tum opem Medicorum imploretis sero, et summa pecuniæ ingenti exoretis, quando ægritudinem aut depellere omnino non liceat, aut non nisi magnis sumtibus.

Cratero] Is fuit insignis Medicus tempore Augusti. Horat. Sat. II. 3. ‘Craterum dixisse putato.’

66 *Discite, io, miseri*] Ita legunt doctissimi. *Miseri* ait, quia secundum Stoicos solus sapiens est beatus, reliqui omnes miseri sunt. D. Aug. de Civ. Dei II. 6. affert integrum hunc locum, qui certe continet velut Enchiridion Philosophiæ Moralis. Alii legunt, *disciteque, o miseri, &c.*

Causas cognoscite rerum] Virgilius

Quid sumus, et quidnam victuri gignimur? ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, et unde?

et intelligite rerum origines, quidnam sumus, et ad quam vitam nascimur: quæ ratio vivendi *præscripta; vel quam facilis deflexio termini, et aquæ: quis finis pecu-*

Steph. *discite o* Ms. R.—67 *aut quidnam* Edit. Steph.—68 *metæ qua levis* Ms. R. *qua mollis* Ms. Gal. Sunt Persii Codices, in quibus *qua mollis* scribitur; non *quam:* hæc lectio si vera esset, *flexus metæ* valeret idem, ac finis ultimi adeptio: et *qua* esset qua via, quo genere vitæ ad illum finem possit perveniri: probo vero editam lectionem, quam et in membranis invenimus. *Ca-*

NOTÆ

Georgic. II. 'Felix qui potuit rerum cognoscere causas:' scilicet causas physicas quidem, sed inprimis finalem, hoc est, Philosophiam Naturalem et Moralem.

67 *Quid sumus*] Primum et præcipuum Ethicæ præceptum est, *γνῶθι σεαυτόν*. Juven. Sat. II. 27. Considera igitur quæ sit hominis natura, quam fragilis et caduca secundum corpus; at quam nobilis, si animum spectes. Homo divinæ naturæ particula, ex Epicteto, Deum intra se circumfert, &c. Non debet igitur sui oblitus aut arrogantia extolli, aut in sordidas cupiditates defluere.

Quidnam victuri gignimur] Id est, ad quid nascimur, ad quid vivere debemus? Numquid ad voluptates, honores, divitias, quibus meliores sumus? immo, inquit Aristoteles, ad intelligendum, et agendum.

Ordo quis datus] Quæ lex imposita, quod fatum? Est enim tenenda vivendi ratio cœlitus præscripta; nemo lædendus, jus suum cuique tribuendum, &c. Item animi bona bonis aliis corporis ac fortunæ, utili et jucundo honestum anteponi debent.

68 *Aut metæ quam mollis flexus*] Similitudo a Circensi cursu, in quo evitanda meta, currum circa eam flectendo magna arte et molli dexteritate: aitque Persius tam difficile esse vitam hanc moderari citra cujusquam offensionem.

Et unde] Plerumque legitur *undæ;* a quo videtur intelligi alia similitudo a Naumachia, in qua ad metam navis celeriter et scite convertenda erat. Virgil. Æneid. v. 'Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam Constituit signum nautis, pater: unde reverti Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.' Ast alii cum veteri Interprete legunt, *unde:* et aliter omnino locum explicant. Primo quidem per mollem flexum intelligunt vitæ brevitatem, atque, ut ait Seneca Epist. 99. celeritatem rapidissimi temporis, et brevitatem hujus spatii per quod citatissimi decurrimus. Per metam vero, intelligunt mortem. Deinde quod ait, *unde,* interpretantur causas mortis, quæ sæpe facillime contingit. Alii rursus aliter sentiunt de hoc loco, quem satis obscurum ipse Casaubonus fatetur. Cavendum, inquiunt, *unde,* id est, quo loco et tempore cursus ad sapientiam instituatur incipiaturque, ut et commode teneri possit, nec ad metam, id est, ad finem impingatur. Nihil moror eos qui putant alludi ad certum genus certaminis Græcorum, in quo a carceribus ad metam, et ab hac rursus ad carceres subito recurrendum erat.

Quis modus argento? quid fas optare? quid asper
Utile nummus habet? patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat? quem te Deus esse
Jussit, et humana qua parte locatus es in re?
Disce: nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, et pernæ, Marsi monumenta clientis,
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.

niæ acquirendæ: *quid licet expetere: quidnam rudis nummus continet fructuosum: quantum tribuere conveniat patriæ, et dilectis consanguineis: qualem te Deus esse voluit, et quo gradu positus es in societate hominum. Edisce* hæc, *nec invidus sis, quia multiplex vas fœtet in* quorundam *penuario abundanti, propugnatis Umbris divitibus: et* quod *piper et petasones, munera Marsi clientis,* sint illic; *et quia*

saubon.—73 *neque invid.* Edit. Steph.—79 *Archesilas* C. *Salones* Ms. R.—

NOTÆ

69 *Quis modus argento*] Ut avaritiæ frænum injiciatur.

Quid fas optare] Sat. II. fuse disputatum est de votorum rectitudine.

Quid asper utile, &c.] Quomodo prudenter exercenda liberalitas. Nummum porro vocat asperum, seu quia signis impressis talis est, seu quia recenter signatus et nondum usu detritus.

70 *Patriæ carisque propinquis, &c.*] Singulis enim singula persolvenda sunt officia ex moderatione rationis.

71 *Quem te Deus esse, &c.*] Qua conditione natus, et qua sorte, ut ea sis contentus, ejusque omnia munera impleas.

72 *Qua parte locatus*] Theatrum scilicet est orbis, in quo suam quisque personam agit. Stoici hominem a Deo in hac vita velut militem in statione positum dicebant, a qua discedere injussu Imperatoris nefas erat: quapropter apposite ait, *locatus*.

73 *Disce*] Nempe hæc sapientiæ documenta edisce, et tene diligenter, quibus felicitatem nanciscaris: avaritiam vero aliaque vitia contemne.

Quod multa fidelia putet] Id est, quod tot munera dentur Patronis, Jurisconsultis Romanis, et causarum actoribus, ut præ copia putrescant. *Fidelia* proprie vas vinarium: unde cum Casaubono de lagenis vini dono missis interpretamur.

74 *Defensis pinguibus Umbris*] Quæ præmia sunt et merces actæ feliciter causæ. *Pinguibus*, quia solum erat fertile quod colebant, et ipsi opulenti erant. Umbri vetustissimi Italiæ populi. Plin. III. 14. hodie Ducatu Spoletano continentur.

75 *Marsi monumenta clientis*] Id est, munera ad Patronum missa a cliente ad excitandam identidem sui memoriam. Porro *Marsi* Apuliæ populi fuerunt. Plin. III. 11. et alibi. In eorum regione et sylvis apri erant complures; hinc pernas ab eis dono mitti Patronis suis, ait Persius.

76 *Mæna*] Vox Græca est, qua significatur marinus piscis exiguus, qui Latine dicitur halec. Ponitur hic pro quolibet pisce.

Quod prima nondum defecerit] Quod nova munera succedant, antequam

Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat, Quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse, quod Arcesilas ærumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram,
Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt,

prior mæna non adhuc consumta sit in *vase. Illic quidam de stirpe hirsuta Centurionum respondebit: Sufficit mihi mea sapientia; nec ego laboro esse* idem *quod* fuerunt *Arcesilas, et Solones calamitosi cervice incurva, et habentes oculos humi defixos, quando apud se intra dentes versant susurros et taciturnitatem rabidam, et*

80 *lumina terræ* Ms. R.

NOTÆ

priora defecerint.

Orca] Vas angusto collo, in quo reponi mustum solebat. Sumitur et pro quolibet alio vase, eo maxime, in quo salsamenta et pisces saliti servabantur. Græcis ὄρχη. Quapropter et Latine scriptum olim, *orcha*, nonnulli affirmant.

77 *Hic aliquis, &c.*] Prolepsis, qua Persius exprimit egregie pravam opinionem, et frequentes sermones Romanorum quorundam studia sapientiæ aspernantium; quos deinde refutat.

Hircosa] Legunt alii, *hirtosa*, pro, hirta, vel hirsuta, ut sic designentur robusti viri toto corpore hirsuti et pilosi. At nihilominus indicantur per vocem, *hircosa;* quippe qui multum laborant, et raro vestes deponunt, ii velut hircus olent, præsertim sub alis, item barbati sunt: quæ omnia militiam profitentibus sæpe contingunt. Ita graviores Interpretes legunt et explicant.

78 *Quod satis est, sapio, &c.*] Amo Romanorum vivendi morem, huncque peregrinæ sapientiæ præfero.

Non ego curo esse] Nolim ego tantum sapere, et me fatigare in investiganda sapientia, ut Græci: nolim Academiam instaurare, ut Arcesilas; nec civitatem legibus munire et constituere, ut Solon.

79 *Arcesilas*] Crantoris discipulus fuisse, et Academiam celebrasse dicitur, et contra Zenonem, de omnibus dubitandum affirmasse. Hinc nonnulli Arcesilam hic præ aliis nominari, et tacite vellicari aiunt a Persio, qui Stoicæ erat sectæ addictus. Tull. in Quæst. Acad. 'Philosophiæ eversor:' Lactantio, III. 5. 'Ignorantiæ magister Arcesilas' vocatur; sane quia nihil omnino sciri affirmabat.

Ærumnosique Solones] Sapientes vocat ærumnosos, quia nonnisi per multos labores acquiritur sapientia. Porro Solon unus erat e septem Græciæ sapientibus, et Atheniensium legislator: de quo fuse Plutarchus, Laërtius, et alii.

80 *Obstipo capite, et figentes lumine terram*] Hæc signa sunt hominis cogitabundi, et profunda quadam meditatione defixi.

Figentes lumine terram] Hypallage, pro, defigentes terræ lumina. Quod facere a Pædagogis jubebantur, ut modestiæ simul et meditationi assuescerent studiosi juvenes.

81 *Rabiosa silentia rodunt*] Fortasse quia rabidi canes non latrant: vel potius quia, ut habet Quintilianus, x. 3. Illi qui attente quidpiam cogitant, sæpe etiam secum obmurmurando cogitationem agitant. Unde si quis de plebe eos tum contempletur, furiosos veluti existimet.

Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?
His populus ridet: multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, et ægris

expendunt voces labiis protensis, revolventes insomnia ægri antiqui: v. g. *nihil generari ex nihilo; nihil posse redire in nihilum.* An *illud est quo pallorem contrahis?* An *illud est, propter quod aliquis non prandeat? Ad hæc plebs in cachinnos solvitur: et juvenes nimis delicati multiplicant risus trementes naribus rugatis. Qui*

86 Edd. quæd. *hos* pro *his.*—89 *exuberat* Ms. R.

NOTÆ

82 *Atque exporrecto trutinantur, &c.*] Fit scilicet murmur motitatione labiorum, ut videantur verba singula pensitari.

83 *Ægroti veteris meditantes somnia*] Sic per contemtum vocat placita philosophica. Lactantius ex vetere Poëta sic habet: 'Quid ægrotus unquam somniavit, quod Philosophorum aliquis non dixerit?'

Gigni de nihilo nihil, &c.] Christiana fide constat Deum Opt. Max. de nihilo omnia creasse: at communis opinio fuit veterum Philosophorum, ex nihilo nihil fieri; et non posse id quod est in nihilum abire. Lucretius lib. I. 'Nil igitur fieri de nilo posse putandum est, Semine quando opus est rebus,' &c.

85 *Hoc est, quod palles*] Scilicet pallorem contrahis, et te discrucias propter ejusmodi nugas et deliria? Te, inquam, inedia conficis, ut Democriti, Epicuri, Diogenis, de principiis rerum, vanas disceptationes et controversias integres? O-☙ insanum! inquit ille Centurio hircosus.

Cur quis non prandeat] Adeoque semel in die cibum capiat. Tull. Quæst. Tuscul. v. 'Mente recte uti non possumus multo cibo et potione completi.' Hinc studiosi illi veteres sobrietate acuebant ingenium, ut ad meditationes philosophicas aptiores essent. Horat. Sat. II. 3. 'Postquam est impransi correptus voce magistri.' Vide Alex. ab Alex. v. 21. Cœl. Rhodig. XXVII. 24.

86 *His ridet populus*] Alii legunt, *hos*, id est, Philosophos. Alii, *hoc:* Alii et melius, legunt ex antiquo Codice, et retinent *his*. Sensus est: his conviciis in Philosophos jactatis ab hircoso Centurione assentitur et arridet populus, suos etiam cachinnos adjungit; gaudetque juventus militiæ dedita, et scientiarum aspernatrix, sapientes ita ludibrio haberi, unde et ingeminat subsannationem.

Torosa] Torus idem est quod caro musculosa, hinc torosus significat robustum et corpulentum.

88 *Inspice nescio quid, &c.*] Jam Persius risores illos insipientes confutat. Est enim responsio Philosophi ad Centurionem, ex similitudine, cujus protasim ponit quidem Persius, apodosim minime: hanc tu, lector, supple; aut sic habe: ægrotus præcepta Medicorum non observans bre-

Faucibus exsuperat gravis halitus: inspice, sodes,
Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De majore domo modice sitiente lagena,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.

ait Medico: Intuere, considera quæso: nescio cur palpitat mihi cor, et spiratio grave olens e gutture male affecto exit abundanter: is *monitus cessare a labore, postquam aspexit venas pacatiores ire* per *tres noctes,* jam *balneum ingressuro sibi petit* vina *mitia e Surrento de* viri *potentis ædibus, vasculo mediocriter capaci. Age,* vir *op-*

exudat Edit. Steph. Pro *exsuperat* alii libri *exsudat:* plerique veteres *exuberat:* rectissimum est *exsuperat:* nam ructus e ventriculo sursum ascendunt; quod Græci dicunt ἀναδίδοθαι et ἀνάδοσιν. *Casaubon.*—90 *medicus* Ms. R. *Jussus,* Græc. διαταχθεὶς: male alii libri *visus* medicorum voces διατάττειν et συντάττειν; quod verbum a medicis acceptum alio eleganter transfert Marcus

NOTÆ

vi perit: sic etiam quisquis Philosophos animi Medicos audire non vult, corruptis ac perditis moribus, seipsum perdit.

Inspice] Verba sunt ægroti ad Medicum.

Nescio quid trepidat, &c.] Æger ille velut leviorem ægritudinem narrat, quæ tamen sunt gravioris morbi symptomata: nempe cordis palpitationem, ægram respirationem, et halitum graveolentem.

Ægris faucibus] Non aliter ægræ fauces, quam ob respirandi difficultatem, quicquid nonnulli sentiant.

89 *Exsuperat*] Apud veteres Codices legitur, *exuberat,* sed vetat metri ratio; siquidem in *uber,* longa est prima syllaba. Quidam legunt, *exsudat;* Marcilius vult, *exspirat.* Alii, *exsuperat,* id est, abundanter exit. Hanc lectionem tuetur Casaubonus, eo quod e ventriculo ructus sursum ascendunt.

Gravis halitus] Teter est et male olens eorum halitus, qui stomachi cruditate laborant.

90 *Qui dicit medico*] Ægrotus qui Medicum accersiverat, eique dixerat, Inspice, inspice, inquam, cur male habeo; accipit mandatum requiescendi, et a cibo temperandi.

Jussus requiescere] Nam ut habet Cornelius Celsus III. 2. inter initia morbi, omnium optima quies et abstinentia.

Postquam tertia compositas, &c.] Jussus fuerat ille æger in tertium diem temperare sibi, metu tertianæ febris: at ubi primum dies tertius illuxit, et pulsum vidit æquabilem esse et moderatum, tum sine ullo metu quartanæ imminentis, intemperantiam priorem repetit, et in gravius periculum vitæ relabitur.

91 *Compositas vidit nox currere venas*] Metonymia: id est, cum jam tertia nocte vidit venas et arterias pulsare æquabiliter, moderate, et convenienter, tum vina statim, cibos, balnea cogitat intempestive, ut prius.

Vidit nox] Noctu plerumque morbi ingravescunt, suaque exerunt indicia.

92 *De majore domo*] Petit ab aliquo potentiori amico.

Modice sitiente lagena] Vase parvo, nam exquisitum erat, et parce dabatur vinum ejusmodi.

93 *Lenia sibi Surrentina*] Vina ve-

Heus, bone, tu palles. 'Nihil est.' Videas tamen istud,
Quicquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.
'At tu deterius palles: ne sis mihi tutor:
Jam pridem hunc sepeli: tu restas.' Perge, tacebo.

time, tu pallidus es. Nihil est, inquit. *Attamen considera illud quodcumque illud est:* en *cutis subcrocea sensim tibi intumescit.* Tum ille: *Sed tu pejus pallescis: ne mihi sis curator: jam dudum illum terræ mandavi: tu* vero *superstes es. Pro-*

NOTÆ

tera et matura, convalescentibus optima, quippe quæ post annum vigesimum quintum biberentur. Casaubonus ex Plinio Græcisque Medicis.

Surrentina] Surrentini colles salubris vini feraces, prope Surrentum Campaniæ urbem maritimam. Vide Plin. XIV. 6. et XXIII. 1. 'Surrentina,' inquit, 'vina caput nullo modo tentant; et stomachi et intestinorum rheumatismos cohibent.'

Loturo sibi] Duo sunt ægroti illius peccata contra valetudinis rationem: primum, quod balneis utatur: alterum, quod vinum bibat, quasi sanus. Erat mos Antiquis, vesperi exercere se, inde lavare, postea cœnare. Ille intempestive, intemperanter, præpostere omnia. Sueton. in Augusto, c. 82. 'Tantam,' inquit, 'infirmitatem magna cura tuebatur, inprimis av andi raritate.'

94 *Heus, bone, tu palles*] Inquit Medicus revisens hominem ægrum.

Palles] Pallor morbi index.

Nihil est] Respondet æger, nihil mali se habere, adeoque Medici reprehensionem spernit, et injectum sibi timorem elevat. Qui in gravi morbo dolorem non sentit, in illo spes sanitatis aut exigua aut nulla. Hippocrates.

Videas tamen, &c.] Instat peritus Medicus, scilicet nihil times, cum jam hydropisis indicia habeas omnia: et corpus intumescit, et pellis flavescit.

95 *Surgit lutea pellis*] Quod aquam intercutem designat. Galenus, Ægineta, l. III. Celsus, l. III. et alii.

96 *At tu deterius palles*] Probra jam evomit in Medicum æger stomachatus. I, cura teipsum, inquit, pejus ægrotantem. Ego sanior te sum, et voluptatibus abstinere nolo. *Pallere* autem Medicus videtur ægro, vel quia veternoso, vel ut arquato morbo laboranti. Apud Nonium Marcellum, 'Varro Eumenidibus; ut arquatis et lutea quæ non sunt, et quæ sunt, lutea videntur: sic insanis sani et furiosi videntur esse insani.'

Ne sis mihi tutor] Jam pupillus non sum, juris mei sum, disciplina tua non egeo. Apage severum et molestum monitorem.

97 *Jam pridem hunc sepeli*] Tutorem olim habui similem tui, durum castigatorem, sed hunc jam pridem mortuum gaudeo. Hæc verba quidam attribuunt Medico, quasi dicat, alius ægrotus eo morbo, quo tu laboras, jam periit; vide ne idem tibi contingat. Sed prior sententia præferenda.

Tu restas] Vivis adhuc, et vivis, ut mihi gravia præcipias; et velut alter tutor mihi leges imponas. Atqui te, tuaque præcepta flocci facio.

Perge, tacebo] Nihil amplius præcipio, inquit Medicus, abscedo; bibe, lava, genio indulge. Certe brevi senties, quanti sit me non audivisse, et venienti noluisse morbo occurrere.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites:
Sed tremor inter vina subit, calidumque triental

sequere, silebo. Ille igitur *cibis ingurgitatus, et pallente alvo balneum subit, faucibus paulatim emittentibus graveolentiam sulfuream. At inter pocula trepidatio* eum

Antonius, l. III. *Casaubon.*—97 *hunc sepelii* Ms. R.—100 *trientem*, edit. Steph. sed secuti sumus lectionem Puteani Codicis *triental;* quam etiam vetera scho-

NOTÆ

98 *Turgidus hic epulis*] Itaque contemto plane Medici consilio, ille cibis se ingurgitat, et satur balnea intrat: sed mox suæ dat pœnas intemperantiæ. Juvenal. Sat. I. 'Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus, Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas. Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.'

Albo ventre] Corpore pallido; seu ob hydropisim, seu ob intemperantiam et voluptates. Seneca de brevitate vitæ, 'quam multi continuis voluptatibus pallent!' Hor. lib. II. sat. 2. 'Pinguem vitiis albumque.'

Lavatur] Quod ægro periculosum, hydropico vero noxium. Cornel. Cels. III. 21. Plin. I. 8. At is qui etiam satur lavat, quanto majus periculum subit! Artemidorus I. 56. *οἱ μὲν οὐ πρότερον ἐσθίουσιν εἰ μὴ λούσοιντο, οἱ δὲ καὶ ἐμφαγόντες.* Non desunt qui arbitrentur, ægrum illum lavare, accelerandæ coctionis causa, ut ad repotia redeat.

99 *Gutture sulfureas lente exhalante mephites*] Seneca Epist. XCV. 'Quam fœdi atque pestilentes ructus sunt exhalantibus crapulam veterem! Scias putrescere sumta non concoqui.'

Lente] Ægre, longis et lentis respirationibus.

Sulfureas mephites] *Mephitis*, Servio in septimum Æneidos, est Dea fœtoris. Proprie est putor sulfureus e locis sulfuratis, vel ex aquis corruptis ascendens. Hic ponitur pro halitu ægri graveolente et quasi sulfureo, proveniente e cacochymia et stomachi cruditate.

100 *Sed tremor, &c.*] Aut ex febris horrore, aut ex irritatione morbi, tremor: seu quod nimio cibo læduntur nervi. Senec. Natural. lib. V. 'Quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et nervorum vino madentium tremor; et miserabilior ex cruditate, quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, et semper quasi in ebrietate titubatio.'

Inter vina] Scilicet in ipsis balneis calices exhauriebant veterum aliqui. Senec. Epist. CXXII.

Triental] Poculum est trientis capax. Alii legunt, *Trientem*. Estque *triens* vini mensura continens tertiam sextarii partem, sive tres heminas. Ita veteres Glossæ.

Calidumque triental] Potione calida plenum. Nam in balneis Thermopolium erat. Vitruv. V. 10. Plaut. Rudent. Act. II. Scen. 6. 'Ædepol Neptune, es balneator frigidus!—Ne thermopolium quidem ullum ille instruit: ita salsam præbet potionem et frigidam.' Porro calidam mixtam vino in deliciis etiam fuisse olim, multis probat Justus Lipsius Elector. I. 4.

Excutit e manibus: dentes crepuere retecti:
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto

invadit, et extorquet e manibus fervidum calicem capacissimum: *dentes nudati sonuere: tum lauta obsonia excidunt e labiis solutis. Inde buccina, faces: et ille*

lia agnoscunt. *Casaubon.*—101 *Excutitur man.* Ms. R.

NOTÆ

101 *Dentes crepuere*] In febris rigore crepant et strident allisi dentes.

Retecti] Retractis sane labiis. Hic unus Casaubonus contra omnes, explicat, exesis gingivis. Sed profecto videtur ductus duntaxat animo pugnandi, et more suo impugnandi Marcilium Interpretem alias eruditum.

102 *Uncta cadunt laxis labris*] Quod *laxa* dicit Persius labra, et quod *dentes retectos* mox aiebat, Casaubonum explodit, ut jam dixi. Unum enim ex alio videtur intelligendum. Hippocrat. in Prognost. ait signum esse in ægris mortiferum, quando labra soluta habent et pendentia.

Uncta pulmentaria] Speciem pultis exhibent nimirum esculenta varia minutatim concisa et per vomitum rejecta.

103 *Hinc tuba, candelæ, &c.*] Ut ante morientem pinxit, ita funus mortui jam describit, quanquam *ὕστερον πρότερον*. Ritus olim observari solitos, cum quis moriebatur, saltem strictim hic attexere operæ pretium est. 1. Simul atque animam quis efflaverat, conclamabatur, id est, tota familia tollebat ejulatum et fletum. 2. Cadaver e cubili in quo jacuerat extractum humi deponebatur. 3. Calida ablutum ungebatur. 4. Lecto ferali componebatur ornatum et paratum. 5. Collocabatur in vestibulo domus, adhibito custode: et per aliquot dies complorabatur, Næniam dicentibus amicis et propinquis. 6. Denique ad tumulum efferebatur, et in sepulcro condebatur.

Tuba] Jul. Pollux VIII. 1. ait tubarum sonitu convocari amicos defuncti, ut videant nulla eum vi externa, sed morte sua obiisse. Servius in l. V. Æneid. vs. 138. et alii, tubam adhiberi in funeribus Nobilium et adolescentum: tibiam vero in funeribus puerorum et plebeiorum, affirmant, citatque Persium Servius. Certe legimus in Evangelio Christum Dominum cum Principis filiam suscitaret, tibicines exclusisse. Matth. IX.

Candelæ] Funalia, cerei, lumina, quæ ut etiamnum, sic et olim adhibebantur, tum collocatis ad limen, tum elatis ad sepulcrum, imo et in ipsis conditoriis: seu quod olim noctu sepeliebant mortuos primum, unde mos fluxerit postea, etiam interdiu sepeliendo, lucem accendendi; seu quod honoris causa id fieret: lux enim virtutis et gloriæ signum est et symbolum.

Beatulus] Alii beatum dici affirmant, quod mortuos antiqui beatos dicerent; alii, quia pretiosis vestibus, corollis, aliisque ornamentis mortui integebantur, atque ita compositi in atrio exponebantur, et ad fores domus. At quod hic Persius diminutivo utitur, ironice loqui se ostendit.

Alto compositus lecto] Nimirum in sublimi ac splendido lecto et habitu ad limen collocatus.

Alto lecto] Altus erat lectus, seu to-

Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
'Tange miser venas, et pone in pectore dextram:
Nil calet hic: summosque pedes attinge manusque:

felix denique collocatus thoro eminenti, et perfusus amomo copioso profert pedes frigidos versus januam. Sed Romani hesternæ diei illum gestaverunt capite operto. O infelix, attrecta venas, et appone manum ad thoracem: illic nihil caloris est. Tange extremas etiam plantas et manus. Non sunt frigidæ. Quando casu appa-

106 *capite inducto* Ms. R.

NOTÆ

mentis et pulvinis exaggeratus. Martial. l. VIII. Epig. 44. 'Fartus papyro, tum tibi thorus crescit.' Seu quia nixus erat eburneo fulcro. Testis Propert. l. II. 'Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno. Nec sit in Attalico mors mea nixa thoro.'

104 *Lutatus*] Pinguibus unguentis ut luto perlitus.

Amomis] *Amomum* frutex exiguus, exquisitis serviens unguentis. Dioscorid. I. 14. Plin. XII. 13.

105 *In portam*] Quia portam Persius dicit, arguunt aliqui extra urbem efferri mortuos, et incassum multa hic congerunt: sed intelligendus locus de janua domus ad quam mortuus ille collocatus. Ita Casaubonus et alii doctissimi.

In portam rigidos calces extendit] Versis nempe in januam pedibus. Mos erat exponi defunctos et efferri pariter præcedentibus pedibus. Plin. VII. 8. 'Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.'

106 *Hesterni Quirites*] Servi nuper ab eo libertate donati, et paulo ante ac recenter facti cives Romani.

Subiere] Aut præcessere funus, aut, portavere. Mos erat ut liberti prodirent pileati ante corpus manumissoris. Ita vetus Glossa. At observare licet cum Casaubono, cum plures erant liberti, alios feretrum gestare, alios ad latus procedere et ambire solitos. Certe vox, *subire*, significat hoc magis quam illud; imo sequi potius quam præcedere, significaret: quod esset contra institutum.

Capite induto] Quod signum est libertatis. Cum nempe servi manumittebantur, in templo Feroniæ libertorum Deæ, raso capite pileum accipiebant. Plaut in Amphitr. 'Faciat Jupiter, ut ego hic hodie, raso capite, calvus capiam pileum.' Vide infra Sat. V.

107 *Tange miser venas*] Jam Centurio hircosus adversus Philosophum insurgit, et dicit, Quid mihi ægrum et ægritudinem narras, qui bene valeo, nec morbum aut morbi indicia ulla habeo?

Tange venas, et pone in pectore dextram] Explora pulsum, et cordis motionem.

108 *Nil calet hic*] Immodicus ibi calor nullus est, adeoque febri me non laborare fatendum est tibi.

Summosque pedes attinge manusque] Vide etiam naturali ac genuino calore probe instructas esse corporis extremitates, proindeque me per omnia bene validum.

Non frigent.' Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est algente camino
Durum olus, et populi cribro decussa farina:
Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris tremor albus aristas;

ruerit argentum; seu pulchra vicini filia leniter arrisit, an *præcordia bene tibi exultant?* Si forte *apponitur herba male cocta* in *lance frigenti, et farina plebeio cribro purgata: exploremus guttur: in ore delicato vulnus fœtidum delitescit, quod non conveniat fricare beta vulgari. Friges, quando pavor pallidus erexit spicarum* velut

112 *Purum olus* Ms. R. *discussa* Ms. Gal.

NOTÆ

109 *Visa est, &c.*] Reponit Philosophus: Scio te valentem ac robustum corpore: neque id inficior. At numquid animo perinde vales? Exploremus. Si vis fateri verum, comperies et frigore et calore nimio te laborare.

Visa est si forte pecunia] Objectum movet potentiam, ut aiunt Philosophi. Periculum igitur faciamus, an non avaritia, libidine, mollitie, timore, iracundia labores.

110 *Subrisit molle*] Arrisit, respexit amatorie, blande, lasciviuscule. Propertius: 'Risit, et arguto quiddam promisit ocello.'

111 *Cor tibi rite salit*] Duplex cordis motus, alter ἀπροαίρετος, alter ἐκ προαιρέσεως: prior valetudinis dat indicium, posterior affectus et voluntatis. Hinc periti Medici non morbos solum corporis, sed et perturbationes animi e cordis motu divinant. Casaubon. Nota omnibus historia de Antiocho Seleuci filio, quem Stratonices amore languidum intellexit, attrectando brachium, Erasistratus Medicus. Valer. Maxim. v. 7. et alii. Sensus est: cum pecuniæ lucrandæ, aut explendæ libidinis offertur occasio, statim inhias et inardescis, sed an rite, et ex ratione? Adeoque jam avarus es, et libidinosus, qui cupiditates frænare ac moderari nescis.

Positum est algente catino] Quod si vilior quis cibus et male conditus tibi apponatur.

Algente catino] Cibis admodum calidis delectatos veteres observat Casaubonus: quare non mirum si algentes et frigidi fastidium ac nauseam creent delicatulo.

112 *Durum olus*] Infra Sat. VI. 69. 'Mihi festa luce coquatur Urtica.'

Populi cribro] Vulgari, rariori, setaceo, quo farina non omnino furfure succreta panem facit secundarium, quo plebeii vescuntur: non autem subtili, sericeo, pollinario, quo panis fit delicatior et siligineus.

113 *Tentemus fauces*] Experiamur an his contentus fueris.

Tenero latet ulcus in ore] En exulcerari palatum istis dices.

Ulcus putre] Vel, apostema causaberis, quod duriori cibo non sit exasperandum, vel, mollitiem tuam prodes sane pudendam; et gulosum te ostendes.

114 *Beta*] Herba nullius saporis et pretii, quam *fabrorum prandium* vocat Mart. l. XIII. Epig. 13.

115 *Alges*] Præ timore, calore omni

Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira
Scintillant oculi; dicisque facisque, quod ipse,
Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

aculeos in *artubus tuis. Modo sanguis ebullit igne adhibito, et oculi* præ *iracundia scintillas emittunt.* Denique *et loqueris et agis quod ipse Orestes* etsi *non compos mentis jurejurando affirmaret non decere virum mentis compotem.*

NOTÆ

sese ad intimum cor recipiente; totus frigescis, et palles, quanquam paulo ante dixeras, *non frigent.*

Excussit timor albus aristas] Erigit tibi pilos, ac velut spicas rigidos facit timor frigidus: quia frigus constipat et stringit poros, pori vero constipati constringunt capillos. Aristot. Problem. sect. VIII. q. 18.

Albus] Quia recedente calore, vultus pallet et albescit in iis qui timent.

116 *Nunc face supposita*] Alias, data occasione, velut supposita face, ira inflammaris: et dixeras, *Nil calet hic.* Et quidem hac ipsa mea reprehensione excitatus jam excandescis, et ardes adversum me, cujuslibet offensionis impatiens.

Fervescit sanguis] Est ira sanguinis ebullitio circa cor.

117 *Scintillant oculi*] Cic. Verr. VII. 'Ardebant oculi, et ex toto corpore crudelitas emicabat.' Arnob. l. I. 'Ex illorum luminibus scintillæ emicant, flammæ æstuant, anhelum pectus spiritum jacit ex ore,' &c.

Dicisque facisque, &c.] Ergo te nosce tandem; sique te hactenus ignorasti, contemplare te in speculo velut quadruplici, in quo te ad vivum depinxi. Vide te in prima facie præter et ultra modum exilientem spe lucri et luxuriæ: in secunda, cujuslibet incommodi impatientem, et lautioris victus nimium appetentem: in tertia, laxum, solutum, timidum atque hydropico pejus pallentem: in quarta denique, iracundum usque ad furorem, quia te pungi a me et corripi sentis: et qui modo aqueus eras, jam igneum, et febricitante periculosius ardentem. Quod si renuis sanari, ut æger supradictus, et me animi Medicum repellis, dicam ego tibi, *perge*, peri; *tacebo, discedo.* Supra, vs. 97.

118 *Orestes*] Agamemnonis et Clytæmnestræ filius ob interfectam matrem Furiis agitatus, de quo Euripid. et alii.

SATIRA IV.

ARGUMENTUM.

SUB persona Socratis Alcibiadem objurgantis invehitur, secundum veteres et omnes fere recentiores interpretes, in Neronem, omnino autem in unumquemque ad rei publicæ gubernacula sedentem, qui vilis plebeculæ adulationibus, suæque ipsius nobilitate elatus, parem se tanto, cujus vim et magnitudinem ipse ignoret, oneri ferendo existimet, nulla philosophiæ, quæ sola rei publicæ bene et recte administrandæ facultatem suppeditare possit, ratione habita. Socrates inducitur Alcibiadem increpans: Qua, Alcibiades, fiducia ad rem publicam id præsertim ætatis accessisti? Prudentia scilicet annos tuos prævertit 5.; exortam seditionem vel uno verbo comprimere potes, plebemque errantem in rectam viam reducere, quippe qui discrimen inter rectum et pravum probe scias. 13. Quin, tu stultissime rerum, formæ pulchritudine tantopere superbiens, plebis favorem captare desinis! 16. qui, a philosophia nondum instructus, certum finem, quo omnia referenda sint, adhuc ignoras, vel corporis voluptate eum metiris ut vilissimus quisque. 19. Alcibiades subjicit: Sed generis claritate gaudeo, pulchritudine instructus sum. 20. Socrates: Si hoc vel maxime sit, tamen ne abjectissimæ quidem mulierculæ sapientia præstas. 22. Hæc hominum perversitas, qua se ad difficillima quæque aptos putant, aliorumque iniqui æstimatores sunt, inde existit, quod nemo se ipsum noscere studet; quilibet aliena vitia curat, sua negligit. Hoc exemplo expressum est ab homine vitæ turpitudine infami, mores sordidos avari cujusdam notante, communique hominum more et consuetudine propensum suum ad aliena vitia exagitanda animum excusante, sumto. 43. Quo facto concludit Socrates: Latent vitia tua, et, quem te homines putant, talis tibi videris esse, cum tamen omnibus cupiditatibus inservias. Descendas in te velim, et agnosces ipse, quantum tibi adhuc ad animi perfectionem desit.

REM populi tractas? (barbatum hæc crede magistrum

Ergone res populi administras? (Existima ista tibi *loqui præceptorem barbatum, quem*

NOTÆ

1 *Rem populi tractas*] Jam Satira secunda Persius imitatus erat Platonem in Dialogo, cui titulus, *Alcibiades Secundus*. In hac vero Satira

Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ:)
Quo fretus? dic hoc, magni pupille Pericli.

interficit sævus haustus cicutæ.) Ecqua re nexus? Responde illud, o pupille magni.

1 *Hoc crede* Edit. Steph.—2 Quidam Codd. *dura;* minus recte: cicutam

NOTÆ

quarta rursus ejusdem Alcibiadem Primum imitatur, indeque materiam omnem ac Personas assumit, ut Neroni, quem insectatur, lateat. Hic itaque per Alcibiadem Nero intelligendus, per Socratem Persius, qui juvenum Rempublicam male capessentium redarguit imperitiam ac temeritatem.

Barbatum magistrum] Socratem nimirum, ut probant adjuncta. *Barbatum* vocat; vel quia barbam alebat, quemadmodum et alii iis temporibus Philosophi: vel, eo quod, ut testatur Tullius 4. de Finibus, apud Romanos antiqui Sapientes honoris causa *barbati* vocabantur. Et Plin. in Epistol. 'Barba,' inquit, 'sylvosa et pulchre alita, quamvis res ipsa sit exterior et fortuita, inter hominis eruditi insignia recensetur.' Athenæus lib. XIII. ait Alexandri tantum sæculo barbam radendi invectum morem, ac derasam barbam flagitiosi hominis notam extitisse.

Magistrum] Seu quia fuit Socrates Pædagogus Alcibiadis: sive quod, ut habet Cicero de Finibus II. n. 1. 'Socrates Philosophiæ parens jure dici potest.' II. de Natura Deorum, n. 167. 'Princeps est Philosophorum.' Tusc. Quæst. III. n. 8. 'A Socrate omnis quæ est de vita et de moribus Philosophia manavit.' Tusc. V. n. 10. 'Primus ille Philosophiam devocavit e Cœlo, et in urbibus collocavit, et in domos introduxit: et coëgit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quærere.'

2 *Sorbitio cicutæ*] Plin. XIV. 5. 'Sicut,' inquit, 'cicuta homini venenum est, sic cicutæ vinum.' Et lib. XXV. capite ultimo: 'Cicuta venenum est, publica Atheniensium pœna invisa,' &c. Hujus succum lethalem ab ingratis civibus jussum Socratem ebibisse, testis est Plato cum ceteris.

Quem tollit dira] Socrati nempe oraculo Apollinis sapientissimo hominum judicato plures invidebant. Ejus autem reprehensionum quidam impatientes, fraude circumvento, quasi adversus religionem Deorum nova molienti perniciem machinati sunt. Testes sunt Apuleius lib. X. de Asino aureo; Plato in Socratis Apologia. Lactantius, V. 15. Sanctus Augustin. lib. VIII. 3. de Civitate Dei, 'Socrates,' inquit, 'concitatis inimicitiis calumniosa criminatione damnatus morte mulctatus est. Sed eum postea illa ipsa quæ publice damnaverat Atheniensium civitas publice luxit: in duos ejus accusatores usque adeo populi indignatione conversa, ut unus eorum oppressus vi multitudinis interiret; exilio autem voluntario atque perpetuo pœnam similem alter evaderet. Tam præclara igitur vitæ mortisque fama Socrates reliquit plurimos suæ Philosophiæ Sectatores.' Athenæus lib. XIII. ad finem, paulo diversam affert causam mortis Socratis; nempe ob frequentes ejus in disceptando ambitiones, rixas, et importunas reprehensiones, et cum apud Judices sorte datus, furacissimos homines, de justo disseruisset.

3 *Quo fretus*] Qua peritia, quo rerum usu, quibus virtutibus polles, ut

Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ

Periclis; quasi vero ingenium et præcox rerum solertia ante barbam contingant. Nosti quæ dici et quæ taceri oporteat. Igitur cum plebs ardet excitata bili, mens

* * * * * * * * * * * *

probe tusam et dilutam propinabant in calice modo medicamentorum; idque *πίειν φάρμακον* in Phædone Platonis dicitur. *Casaubon.*—5 *tacendave* Ms.

NOTÆ

Imperium regere aggrediaris?

Pupille Pericli] O Alcibiades, qui gloriaris tutela et disciplina Periclis propinqui tui, cui fuisti traditus a Clinia patre adhuc pupillus. De hoc fuse Plutarch. in ejus vita: Hæc optime etiam contorta in Neronem, quem Poppæa incusans per facetias, pupillum vocabat, jussis alienis obnoxium, non modo Imperii sed et libertatis indigentem: ut cui dominaretur Agrippina mater, tutores autem essent Burrhus et Seneca. Cornel. Tacit. Annal. 14. in ipso Libri principio.

Magni Pericli] *Pericli*, pro, *Periclis*. Fuit Pericles Orator, Philosophus, et Imperator Egregius; Atheniensium Rempublicam annos quadraginta feliciter administravit. Plutarchus, Prob. Cic. in Bruto. Valer. Maxim. VIII. 9. Justinus, lib. III. Non nemo argutias quærit in voce *Pericli*, quasi ponatur pro *periculi:* et allusum sit ad id quod Alcibiades comparatus sit leunculo, quem aut occidere oporteret, aut postea tolerare. Sed apage nugas.

4 *Scilicet ingenium*] Ironice hæc, et sequentia.

Ingenium] Sapientia, judicii maturitas: item artes et scientiæ. Ita Casaubonus.

Rerum prudentia] Experientia, usus.

Velox] Præmatura, ante tempus, ante pubertatem; quæ apud Athenienses sumebatur (ut aiunt) ab anno ætatis decimo octavo. Philostrat.

5 *Ante pilos*] Adeptus est Imperium Nero ante annum ætatis decimum septimum. Sueton. Neron. cap. 8. Cornel. Tacit. Annal. lib. XIII. initio: ubi et notatur quasi vixdum pueritiam egressus.

Dicenda tacendaque calles] Ergone putas habere te et callere ea, quæ vix diuturno rerum usu doctus senex habet et callet? Certe ut callum in corpore, ita in animo prudentiam non parit nisi longum tempus. Ovid. Metam. VI. 'Seris venit usus ab annis:' Et alibi Nestor ita loquitur: 'Etenim mihi multa vetustas Scire dedit.'

6 *Ergo ubi commota, &c.*] Quoniam tu tibi tantum arrogas, et omnia te posse confidis, periculum faciamus tuæ solertiæ.

Commota fervet plebecula bile] In seditionem versa, et turbas miscente.

7 *Fert animus*] Audes, et præstare te posse non dubitas, præ magna tui fiducia. Ammianus lib. XXVI. sic habet: 'Immaniter strepente exercitu, cum cieri tumultus violentior appareret, Valentinianus, elata prospere dextra, ut Princeps fiducia plenus, ausus increpare quosdam ut seditiosos et pertinaces, cogitata nullis interpellantibus absolvebat.'

Calidæ turbæ] Sævienti, efferves-

**Majestate manus. Quid deinde loquere? Quirites,
Hoc, puta, non justum est: illud male: rectius illud.**

statuit imponere silentium cœtui ferventi per auctoritatem dextræ. Quid postea dices? O *Romani, illud, opinor, non est secundum jus; hoc iniquum* est; *istud*

Gal.—9 Ita membranæ Bongarsii, non *puto*. Priscianus lib. xv. de termi-

NOTÆ

centi in iram.

Fecisse silentia] Virgil. Æneid. I. 'Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est Seditio.—Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem Conspexere, silent,' &c. At vero quam auctoritatem habebit imberbis adolescens ad comprimendum tumultuantium furorem?

8 *Majestate manus*] Valer. Max. lib. II. capite ultimo, 'Est,' inquit, 'illa quasi privata censura, majestas clarorum virorum, sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio, potens in sua amplitudine obtinenda. Grato enim et jucundo introitu animis hominum illabitur admirationis prætextu velata: quam recte quis dixerit longum et beatum honorem sine honore.' Ovid. Metam. I. de Jove: 'Qui postquam voce, manuque, Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.' Lucanus lib. I. de Julio Cæsare: 'Tumultum Composuit vultu, dextraque silentia jussit.' Act. Apost. cap. 13. 'Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens,' &c. Ubi observandum cum doctioribus, morem illum fuisse pridem indicendi silentii, extensa quidem et porrecta manu; sed ita ut inferiores duo digiti, medicus et auricularis, comprimerentur, erectis et eminentibus tribus aliis, pollice, indice, et medio. Quod ipsum fieri consuetum ab Episcopis olim, alloquentibus populos ac benedicentibus, notat Scaliger in Propertium. Sanctus Hieronymus ad Rusticum Monachum affert aliam quoque audientiæ faciendæ rationem, nimirum concrepatione duorum digitorum. 'Cum librorum struem exposuisset,' inquit, 'adducto supercilio, contractis naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans.'

Quid deinde loquere] Et si audientiam tibi feceris imperatorio nomine ac vultu, et majestate manus, ut tibi largior, jam experiamur quam orationem et quam idoneam pacandæ seditioni sis habiturus. Nam vir gravis apud Virgilium loco citato Æneid. I, 'Regit dictis animos, et pectora mulcet.'

Quirites] Abusive positum videtur pro *Cives*. Fortasse etiam hinc innuit a se carpi Neronem Populo Romano loquentem.

9 *Hoc, puta, non justum est*] Sic legit Casaubonus: *puta*, adv. id est, scilicet: et citat Priscianum lib. xv. Sed Prisciani verba parum juvant eam lectionem. Malim itaque cum aliis, *hoc puto*, &c. quibus verbis belle exprimitur puerilis oratio, ut observant docti Interpretes, et sermo hominis rerum et scientiarum imperiti. Tantæ certe animi confidentiæ et manus gravitati ac majestati, minimum respondet illud subdubitantis et dicere exordientis, *puto*.

Illud male, rectius illud] Quasi vero simplici illa mali enuntiatione, et melioris appellatione et ostensione, multitudo rudis et insuper furore obcæcata moveri et compesci queat. Ipse

Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.
Quin tu igitur, summa nequicquam pelle decorus,

justius. Etenim nosti pensitare quod æquum est in lance duplici trutinæ ambiguæ. Internoscis jus, quando latet inter prava, aut quando hasta libræ decipit, lingula incurva; et peritus es notare scelus atro theta. Ergo cur tu pulcher cute suprema

natione adverbiorum: *ita* solum *a* correptum habet: quamvis quidam *puta* quoque adverbium esse accipiant; ideoque Persium id corripuisse; ut: *Hoc,*

NOTÆ

sapiens vix ostenso simpliciter bono, si præsertim ira paulo turbatus sit, percelleretur. Opus est igitur non vulgari arte, facundia, peritia ad reddendam conturbatis et ferocientibus (ut fecit Menenius ille Agrippa) tranquillam et sanam mentem, quam æstus iracundiæ disjecit ac dissipavit.

10 *Scis etenim, &c.*] Ironice. Nimirum Juris scientiam calles.

11 *Rectum discernis, &c.*] Etiam in dubio et in ambiguo dignoscis quid præstet ac præponderet.

Ubi inter curva subit] Si quando vitium finitimæ virtutis speciem arripit, mentitur, et se abscondit, perspicis illud ac detegis nihilominus.

12 *Vel cum fallit pede regula varo*] Scis etiam legis exceptiones: scis quid et quando valeat ἐπιείκεια: nosti legem mutare et interpretari, mutatis rei adjunctis; et in variis, ut aiunt, circumstantiis, scis variare. Sic lex jubens depositum reddi, fallit, et non sequenda est, si homo furore correptus ensem antea depositum repetat.

Pede regula] *Regula*, hasta libræ est, *pes* lingua seu examen.

Varo] Proprie *vari* dicuntur qui crura intus curva et contorta habent, aut pedes. Certe bilanx cujus lingua erit curva, fallit pensitantem ac decipit.

13 *Nigrum præfigere Theta*] Id est, damnare scelus et sceleratos. Antiqui Judices capitis sententiam in reum dicebant, scribendo in tabellis literam Θ, quæ prima est in voce θάνατος, mortem significante; et propterea nigra et tristis dicitur: sicut e contra T absolutionis nota erat. Apud Romanos autem A, et C, erant in usu. Hanc condemnationis indicem, *tristem*; illam absolutionis, *salutarem* vocat Tullius pro Milone. Vide Alex. ab Alex. III. 5. Porro sicut in Auctorum scriptis recensendis Critici apponebant literam L, vel X, hoc est, laudabile, vel χρήσιμον et χρηστὸν, in locis probatis; sic ad ea quæ improbabant, ascribebant Θ. Et hunc morem respexisse hic Persium volunt doctiores, quos inter Casaubonus.

14 *Quin tu igitur*] Non ironice, amplius, sed aperte agit. Si vides et constat carere te necessariis ad Rempublicam capessendam adjumentis, quin relicta publicæ rei cura, teipsum curas et sanas?

Summa pelle decorus] Alcibiades quidem formosus, Nero pulcher, Sueton. cap. 51. Sed quid ista forma et pulchritudo juvat, si introrsum turpis, dum speciosus pelle decora, ut est apud Horatium, Epist. I. 16. quem hic imitatur Persius, ut et alibi passim.

Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, et assiduo curata cuticula sole.
Expecta: haud aliud respondeat hæc anus. I nunc;

non cessas populo blandienti frustra ostentare caudam, ante tempus; aptior ebibere Anticyras meras? Quod tibi fastigium est felicitatis? Nempe *victitare quotidie lauta patina: et pellis continuo uncta ad Solem. Sta paulisper. Vetula ista non*

NOTÆ

15 *Ante diem*] Ante pilos et maturum tempus.

Blando popello] Qui blandimentis captatur, et rerum externarum specie et pompa.

Caudam jactare] Desine, o Nero, teipsum ostentare in veste triumphali, ad auram popularem captandam. Cornel. Tacit. Annal. lib. XIII. Metaphora vel a pavonibus, qui caudam rotantes se fœminis jactant; vel a canibus domino suo, agitata cauda, adulantibus.

16 *Anticyras*] Duas Strabo lib. IX. refert, Horatius in Arte, tres, ubi ait, 'Si tribus Anticyris caput insanabile,' &c. Insulæ sunt in sinu Œtæo, seu Maliaco, ad Phthiotidem, seu Thessaliam; in quibus copiose crescit elleborum, quo hominis insaniam et noxios humores emendari, ingenium acui, testantur Plin. XXV. 5. Gell. XVII. 15. Sueton. Caligul. cap. 29. Vide Juvenal. Sat. XIII. vs. 97.

Melior sorbere] Phrasis Græca Persio familiaris. Id est, tu potius vitia tua purgare, quam alios regere deberes: jam enim se prodit improba tua indoles, quanquam occultare niteris.

Meracas] Horat. Epist. II. 2. 'Expulit elleboro morbum bilemque meraco.'

17 *Quæ tibi summa boni est*] Sed ut magis etiam appareat, quam sis indignus Imperio, dic, quæso: quem tibi fingis ultimum finem? Quod summum hominis bonum tibi videtur?

Uncta vixisse patella] Laute scilicet epulari, et exquisitis cibis vesci. Hor. Epist. I. 6. 'Si bene qui cœnat, bene vivit; lucet, eamus Quo ducit gula.'

18 *Assiduo curata cuticula sole*] In Sole apricari, cuticulam probe curare atque insolare. Nempe in deliciis habebant veteres hyeme ad ignem, æstate ad Solem oleo corpus inungere, quo facilius illud imbiberet, eoque robustum fieret ac nitidum. Martial. Epig. X. 12. 'I, precor; et totos avida cute combibe Soles. Quam formosus eris!' Hoc et superiori loco notata Neronis vita voluptaria atque intemperans, de qua passim Suetonius.

19 *Expecta*] Contendit Marcilius legendum, *En specta*, vicinam scilicet anum olerariam: et vide te non magis quam illam sapere. Refragantur Casaubonus et alii; et ex communi lectione interpretantur: mane tantulum, et prætereuntem forte muliérculam olitricem interrogemus, quid optimum in vita judicet. Certe idem quod tu mox, de fine ultimo et summo bono, respondebit illa.

I nunc] Post tale probrum i, perge; ostenta generis nobilitatem et corporis formam, si lubet, dum plus sapientiæ non habebis, o Princeps, quam vilis quælibet anus imperita et vesana.

Dinomaches ego sum, suffla: sum candidus. Esto:
Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,
Cum bene discincto cantaverit ocima vernæ.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo!

aliud responsum dederit. Modo abi,* et jacta; *Ego sum Dinomaches* filius: *intumesce, et dic, Formosus sum. Bene est, dummodo Baucis pannis operta non minus sapiens sit, quando recte ocimum proclamabit servo dissoluto.* O *quomodo

puta, non, &c. Casaubon. *istud* Edd. plurim.—21 *pannutia* Edit. Steph.—24 *sic*

NOTÆ

20 *Dinomaches*] *Dinomache* perillustris fœmina, e qua trahebat originem Alcibiades, et exinde gloriabatur.

Suffla] Gloriabundus exulta.

Esto] Sis licet formosus; quid hoc ad bene imperandum?

21 *Baucis*] Anus paupercula. Hujus meminit Ovidius Metam. VIII. Ponitur hic pro qualibet abjecta et vili muliercula.

22 *Cantaverit ocima vernæ*] Abstrusa prorsus sententia, inquit Turnebus Advers. XV. 3. quam nec plane se posse explicare ait ibid. Interpretantur communiter, anum illam herbas suas alta voce proclamare venales, ac laudare apud servos emere volentes, ut carius vendat; vel quæ cantando etiam vocaverit et allexerit quibus vendat. At Casaubonus paulo subtilius hunc locum scrutatur, et explicat de vili muliercula, qualis est herbarum venditrix, cum obviis quibuslibet et maxime cum servis petulantibus certante probris et maledictis: ut sit sensus: cum ad servum dicacem, et ipsa dicax cantaverit et ingesserit *ocima*, id est maledicta. Quippe, ut habet Plin. XIX. 7. 'Ocimum cum maledictis ac probris serendum, ut lætius proveniat, præcipiebant' superstitiosi veteres. Cum Casaubono idem plane sentit Turnebus Advers. XXX. 8. quicquid garriat Autumnus Interpres, qui certe videtur Turnebum, aut non omnino, aut primo tantum legisse loco, quem etiam perperam citat, in Notis illis singularibus, quibus Casaubonum corrigere pollicetur.

Ocima] Sunt qui legant, *ocia;* et explicant voluptatem ac libidines, quas apud servum vetula ostentet, ut eum alliciat. Sed apage. *Ocimum*, sive *Ocymum*, quod et *βασιλικὸν*, herba est odorifera; item pabuli genus. Ejus virtutes ac proprietates exponunt Varro, Cato, Plinius variis locis. A celeritate proveniendi sic appellatum, testis est ex Varrone idem Plinius, XVIII. 16. et alibi. Ponitur hic pro quovis olere.

23 *Ut nemo, &c.*] Exclamatio et Epanalepsis indignationem et admirationem indicantes. Virgil. Eclog. VIII. 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!' Horat. Sat. I. 1. 'Nemon' ut avarus Se probet?'

Ut nemo in sese tentat descendere] Quibusdam placet digressionem esse hic ad locum communem adversus eos qui aliena quidem, non item sua errata pervident, de quibus Horat. Sat. II. 3. 'Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?' &c. At alii Neronem volunt hic etiam peti, qui alios notare velit, se non corrigat; qui aut se non norit, aut

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
Quæsieris, Nostin' Vectidî prædia? 'cujus?'
Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.
'Hunc ais? hunc Dis iratis genioque sinistro?

nullus conatur seipsum subire; nullus, inquam: *sed consideratur* duntaxat *pera dorso antecedenti*. Forte *interrogaveris; an scis agros Vectidii? Cujusnam? Opulentus* quidam *apud Cures colit* tantum agri, *quantum milvus non circumvolaret: istumne dicis? Istum*, inquam, qui vivit *infensis Numinibus, et Genio non pro-*

præced. Ms. R.—26 *oberrat* Ms. R. et C.—29 Ita Libri Puteani: alii *veteris:*

NOTÆ

latere putet sua flagitia, quæ jam in lucem erumpebant.

In sese descendere] Seipsum penitus introspicere, seipsum discutere et examinare, atque, ut est in fine hujus Satiræ, *Secum habitare*, ad sese cognoscendum, ex præcepto Oraculi Delphici, *γνῶθι σεαυτόν*.

24 *Præcedenti spectatur mantica tergo*] Id est, considerantur aliena vitia, vel in *mantica* quæ præcedit, estque ante tergum, id est, pectus nostrum; vel in posteriori alterius qui antecedit nos hominis, pera: ex Apologo scilicet Æsopi, qui finxit binas esse hominibus peras hinc et inde pendentes; in eam quæ ante pectus, reponi aliena mala; propria vero in illam quæ a tergo est, conjici: unde nostra nunquam, aliena semper videamus. D. Hieronym. Epist. 91. 'Nostram peram non videntes, aliorum, juxta Persium, manticam consideramus.' Horat. Sat. II. 3. 'Dixerit insanum qui me, totidem audiet, atque Respicere ignoto discet pendentia tergo.' Catullus Carm. 22. vs. ult. 'Non videmus manticæ quod in tergo est.'

25 *Quæsieris, nostin', &c.*] Ut pateat omnibus, quam nota semper cuique sint aliena mala, quære et sciscitare ab aliquo nebulone, an cognoscat alium nebulonem quempiam: ille statim respondebit, se nosse illum hominem, ejusque sordes et avaritiam: et sic ejus insectabitur flagitia, ut si ipse innocens, ac hominum esset sanctissimus, planeque illis careret vitiis, quæ in alio reprehendit et damnat. Tull. Tusc. Quæst. 3. n. 73. 'Avari avaros, gloriæ cupidos gloriosi reprehendunt. Est enim proprium stultitiæ aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.'

Vectidî] Alii, *Vetidii;* alii, *Ventidii:* quisquis ille tandem, a Persio notatur velut avarus juxta ac dives. Cornel. Tacit. Annal. l. XII. meminit Ventidii Galilæorum Præfecti ac deprædatoris.

Cujus] Inquit ille nebulo interrogatus: de quo nempe loqueris? Scilicet de homine opulento quidem, sed omnibus odioso, &c.

26 *Curibus*] *Cures* urbs Sabinorum olim primaria, in qua Titus Tatius imperitabat; et unde vocatus ad regnandum Romæ Numa Pompilius.

Quantum non milvus oberret] Hyperbolicum adagium: *quantum milvi volant:* id est, tam amplas habet ille possessiones et latifundia, ut ea vix tota die milvus, alioqui volatus pernicissimi, circumvolare posse videatur. Juvenalis Sat. IX. 55. 'Milvos intra tua pascua lassos.'

27 *Hunc Dis iratis*] *Hunc*, hunc, inquam, hominum ac Deorum odio dignum; cui infensa tot ob noxas

Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit,
Seriolæ veterem metuens deradere limum,
Ingemit, *Hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens

pitio: qui quandocumque suspendit jugum ad compita pervia, timens deterere lutum testæ antiquæ, gemitum edit, dicens, *illud proficiat:* et *cum sale manducans cæpe*

NOTÆ

Numina nec sanam dedere mentem, ut divitiis suis utatur.

Genioque sinistro] Adverso et contrario Genio voluptatis Deo, ille seipsum defraudat suis, et inter opes magnas miser est. Plaut. Trucul. Scen. 2. 'Sed isti qui cum Geniis suis belligerant parcipromi.'

28 *Qui quandoque jugum, &c.*] Egregia hominis avari descriptio ex adjunctis. Is, inquit, etiam tum defraudat Genium, cum alii Genio indulgent potissimum, ac epulantur, die nempe festo, et quando opus intermittitur.

Jugum] Ligneum instrumentum quo ad aratrum junguntur et constringuntur boves.

Ad compita figit] Cur ad compita, et non domi ac solito loco dicatur jugum figi, multum laborat ac torquetur Casaubonus, atque in re tam perplexa, ut putat, recurrit ad aliquem Compitaliorum ritum nobis ignotum, quem spectaverit hic Persius. Interpretantur omnes alii, figi solitum ad palos quosdam in compitis jugum, quando rustici post agrorum sationem Lares in compitis ex more colebant sacro facto, et hilarius convivia celebrando. Nempe feriis illis sacris, ut ait Tibull. Eleg. II. 1. 'Luce sacra requiescit humus, requiescit arator, Et grave suspenso vomere cessat opus.' Quid si Persium simpliciter intelligamus dixisse *jugum figi* quocumque tandem loco, et opus intermitti seu finiri, *ad compita* vero, id est, ad compitalia, et ad peragenda illa ex more sacra? Ita certe nodus ille videtur posse aut solvi, aut scindi, et facili quidem negotio. Neque vero epitheton, *pertusa*, nostræ obest interpretationi: siquidem designat tantum solere compitalia celebrari in locis perviis et frequentatis, adeoque in compitis. Quod quidem constat ex Macrobio, et aliis.

29 *Seriolæ*] *Seriola* diminutivum a *seria*, quæ vas est fictile vinarium, instar urnæ, de quo jam Sat. II. Adverte hic singulas voces hominis avaritiam notantes.

Veterem] Nam dudum servabatur, et raro hauriebatur et modicum quidem: non mirum ergo si vappescit.

Deradere limum] Luto scilicet aut pice dolia et vasa vinaria obturabantur priscis illis. Horat. Od. I. 20. 'Vile potabis modicis Sabinum Cantharis, Græca quod ego ipse testa Conditum levi.' Quæ cum illi aperiebant, relinere vocabant. Terent. 'Serias omnes relevi.'

30 *Ingemit*] Post nonnullam cunctationem, veluti rem arduam aggreditur, non tamen sine aliquo sordidi mœroris indicio.

Hoc bene sit] Verba solennia et deprecatoria Antiquis usurpari solita in gravioribus susceptis: pariter et in conviviis ita sese invicem ad hilaritatem et ad bibendum invitabant: atque hoc magis facit ad rem præsentem: quod pauci animadvertunt Interpretes, qui alio exerrant et vagantur. Tibull. Eleg. II. 1. 'Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.' Plautus in Sticho, Scen. 13. 'Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.'

Cæpe; et farrata, pueris plaudentibus, olla
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti.'
At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre

tunicis suis involutum, et ollulam e farre conflatam, familia astrepente, bibit floccis obductam fæcem aceti languescentis. Verum si oleo delibutus quiescas, et solem introducas in pellem; homo quidam *non notus haud procul abs te occurrit, qui*

ut et Bongarsii. *Casaubon.*—33 *fricas* Ms. R.—35 In C. hunc versum ita exa-

NOTÆ

Ad quem Plauti locum doctus Lambinus de veteri illa bene precandi invicem in conviviis consuetudine, aliique multa.

Tunicatum mordens cæpe] Cæpe comedit nec tunicis quidem rudioribus et involucris purgatum, ac velut aliquid exquisitum avide admordet. Juvenalis Sat. xv. egregie deridet Ægyptios, quibus, ut ait, 'Porrum et cæpe nefas violare et frangere morsu. O sanctas gentes quibus hæc nascuntur in hortis Numina!'

31 *Farrata olla*] Pulte e farre cocta in olla. Legunt alii, *farratam, &c.* Juvenal. Sat. xiv. 'Grandes fumabant pultibus ollæ.'

Pueris plaudentibus] Filiis ac servis exultantibus ad insolitas hasce lautitias, in epulo Compitaliorum. Ecqualis erat igitur quotidianus miserorum illorum victus!

32 *Pannosam fæcem*] Adverte emphasim in singulis vocibus. Sensus est, bibit vappam, seu vinum vapidum, in dolii fundo jam mucorem contrahens, quo veluti panno fæces operiuntur præ nimia vetustate.

Sorbet] Veluti potum exquisiti saporis.

Morientis aceti] Vini acescentis, jam acidi, vel corrupti etiam. Sunt qui verum acetum intelligant, eo quod Romani milites, aliique e plebe aceto potarentur. Ita Casaubonus: additque, ergo canina fuisse illius avari prandia diebus profestis, e pane scilicet et aqua.

33 *At si unctus cesses*] Recriminatio est adversus priorem illum alienorum vitiorum castigatorem. Age vero, sit Vectidius avarus, at laboriosus est, (inquiet alter tibi, tui similis in carpendis aliis acer,) tu vero et effœminatus et deses, et luxuriosus. Ergo qui tam diserte alienas noxas carpsisti, cave ne vicissim graviter vapules, ac longe illo nequior immo nefandus ostendare. Enimvero si cuticulam otiose curans, unguentis etiam pretiosis te perfundens, ignaviæ primum, deinde flagitiis ac nefandæ libidini operam das, quid de te dicetur?

Figas in cute solem] Paulo ante de insolatione veteribus assueta dictum: et Casaubonus hic de illa Persium non loqui vult, sed de certa lascivorum hominum consuetudine. Huic sane favent quæ sequuntur. Sed ea omnia castæ aures mentesque haud ferunt: quibus peti Neronem manifestum est.

34 *Est prope te ignotus*] Aderit quidam quem non noris, sed qui te probe norit, tuamque adeo vitam occultasque libidines expromet.

Cubito qui tangat] Quasi latenter admoneat, et increpet latus tuum pulsando. Horat. Sat. ii. 5. 'Aliquis

Despuat in mores; penemque arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
  Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto: sic novimus. Ilia subter

pulset cubito, et acriter invehatur in mores tuos. * * *Quandoquidem tu discriminas pectine gausapum balano unctum,* * * *Percutimus, et vicissim crura* nostra *telis*

ratum legimus: *Despuat, hi mores penemque archanaque lumbi.*—37 *Tunc cum max.* Ms. R. et C.—38 *extet* Ms. Gal.

NOTÆ

cubito stantem prope tangens Inquiet.'

35 *Despuat in mores*] Turpitudinem tuam execretur, graphice depingat, Vectidium ulciscatur. Cum fœtidum quid aversamur, despuimus: hinc *despuere* significat abominari ac detestari quidpiam. Plaut. Asinar. act. I. sc. 1. 'Teque obsecro hercle, ut quæ locutus despuas.'

37 *Tu cum maxillis*] O Nero, deliciis et luxuria perdite, cum tanta cura comam alas, pectas, ungas, atque semper in gradus formes, pudendo sane et nimio cultu; ut testatur Sueton. c. 51.

Maxillis] Dentato instar maxillarum pectine.

Balanatum] Perfusum ac delibutum unguento balanino, seu e balano. Balanus autem est glans seu fructus arbusculæ non absimilis nuci avellanæ: inde fiebat exquisitum unguentum et oleum. Plin. XXIII. 5. Item c. 4. ejusdem libri: 'Balaninum oleum repurgat,' inquit, 'varos, lentigines,' &c. Meminit et balani l. XIII. c. 1. et 4. Horatius lib. III. Carm. Od. 29. 'Pressa tuis balanus capillis.'

Gausape] Vestis erat hirta et villosa, vide Sat. VI. 46. et quæ nos ad eum locum. At hic per metaphoram ponitur pro barba, vel capillitio; ob similitudinem villorum, mollitiei, et artificiosæ texturæ *gausaporum*, quæ etiam significant tapetes pretiosos et molles, quales nos hodie Turcicos appellamus, inquit eruditus Scaliger.

42 *Cædimus, inque vicem, &c.*] Sic fit; aliena flagitia reprehendimus, hincque præbemus ansam aliis nostra vellicandi. Quod si aliis parceremus, nobis non item; melius multo rebus nostris consuleremus. Allegoria est a Gladiatoribus. Horat. lib. II. epist. 2. 'Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem.'

43 *Vivitur hoc pacto*] Alii aliorum norunt, revelant, et damnant quotidie vitia: quisque velat sua, et excusat, interdum etiam plane ignorat.

Sic novimus] Sic vivere et agere didicimus. Vel, sic est, o Nero, quæ occultas et ignota putas, perspecta

Cæcum vulnus habes: sed lato balteus auro
Prætegit: ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. 'Egregium cum me vicinia dicat,
Non credam?' Viso, si palles, improbe, nummo;

objicimus. Vita hoc modo traducitur. Ita scimus. Sub ilibus plagam occultam geris, sed eam *cooperit balteus auro amplo. Sicut melius duxeris, impone, et falle vires, dummodo* id *queas.* At enim *quando vicini me præclarum prædicant,* numquid

NOTÆ

habemus: jam te intus et in cute novimus.

Ilia] Ab ileo intestino *ilia* dicuntur ossa duo imum ventrem hinc et inde attinentia. His etiam affines partes utrimque laterales *ilium* nomine sæpe intelliguntur. Hic vero per metaphoram, *ilia* significant intimos animi recessus.

44 *Cæcum vulnus habes*] Conscius tibi es multarum libidinum, pluriumque scelerum clam perpetratorum.

Sed lato balteus auro prætegit] Summus Romæ Principatus legum te metu eximit, eoque te ad omne facinus audaciorem facit. Allusum ad consuetudinem Gladiatorum qui acceptum in arena vulnus tegere balteo nitebantur, et spectatorum oculos fallere. Ita veteres Glossæ. Neque dissentiam a Casaubono, qui pariter vult Persium habuisse in animo ictus et vulnera Neroni inflicta per urbem noctu petulanter vaganti, ut est apud Sueton. c. 26. et Tacitum Annal. lib. XIII. adeo ut cicatrices etiam ore prætulerit.

Lato balteus auro] *Balteus* cingulum est militare e corio bubulo, e quo arma dependent. Metaphorice ponitur pro dignitate et potentia. Lati certe erant veteribus baltei; quos argento decoros aiunt fuisse etiam gregariis: Duces autem et Principes multo gestabant auro, multisque aureis bullis distinctos ac præfulgentes. Virgil. Æneid. 5. 'Lato quam circum amplectitur auro Balteus.' Et Æneid. 12. 'Balteus et notis fulserunt cingula bullis Pallantis pueri.' Vide Alex. ab Alex. lib. II. cap. 29.

45 *Ut mavis, da verba*] Ergo impone aliis, quantum libuerit, imo et tibi. Te sanum et ad omnia valentem crede, et jacta: adjuvabunt non parum adulatores. Horat. lib. I. satir. 4. 'Ut mavis imitare.'

Decipe nervos, si potes] Vires etiam tuas Imperio ferendo pares æstima, si tamen potes ultricem conscientiam fallere, indignum te Principatu objectantem. Cave ne imiteris eos qui nimio potu ac Venere contractos articulares morbos etsi dissimulant, nervorum tamen debilitatem sentiunt, et dolorem patiuntur. Horat. lib. I. epist. 16. 'Neu si te populus sanum recteque valentem Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi Dissimules, donec manibus mors incidat unctis. Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.'

46 *Egregium cum me vicinia dicat, &c.*] Respondet Alcibiades, aut Nero adversus objurgantem: Atqui non ego me unus bonum ac sapientem dico: en vicini et alii ultro prædicant. Cur non credam? Et quare suspectos habebo tam bene de me judicantes? Horat. loco mox citato: et lib. II. Satir. 5. 'Egregie factum laudet vicinia.'

47 *Viso si palles, &c.*] Redarguit Philosophus aut Persius Neronem: An

Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum ;
Si puteal multa cautus vibice flagellas :

non fidem habebo? Si aspecta pecunia expallescis, o pessime, * * *si callidus cordis*

NOTÆ

igitur credes assentatoribus te probum esse affirmantibus, etiamsi tu te ipse improbum in occasionibus singulis, avarum, libidinosum, iniquum, crudelem experiris: sique adeo viso nummo pallescis, præ cupiditate habendi?

49 *Si puteal multa cautus vibice flagellas*] Ancipitis quidem sententiæ versus iste: quo si Nero perstringitur, accipiendus est de nocturnis ejus per urbem discursationibus et grassationibus, de quibus abunde Suetonius et Tacitus, locis paulo ante citatis. Et sic per *puteal*, intelligendum erit forum et affines urbis regiones, per quas ille cum aliquot armatis vagabundus in obvios quosque grassabatur. 'Cautus autem deinceps, et metuentior in posterum Nero,' ut ait Tacitus, 'milites sibi et plerosque gladiatorum circumdederat:' scilicet quia male antea mulctatus fuisset ab iis quos impetiverat, et in ejusmodi rixis oculorum et vitæ subierat periculum, ut refert Suetonius. Quod si Persius fœneratorum immanitatem carpit, aut vitilitigatorum, sycophantarum, et quadruplatorum iniquitatem et injurias; per *puteal*, intellige Prætoris Tribunal; per *vibices* inflictas, damna debitorum aut reorum fortunis ac bonis illata, per usuras, aut per litium ambages et sycophantias, quarum miseri illi rabulæ periti, solertes et cauti sunt, ut aliena bona deprædentur. Neque vero abs re omnino de Judicibus iniquis judicia corrumpentibus cum quibusdam accipias. Primam interpretationem tuetur Casaubonus: ultimam hanc Marcilius: de fœneratoribus, omnes communiter post veteres Glossas, quæ sic habent: 'Ad puteal Scribonis Licinii, quod est in porticu Julia ad Fabianum arcum, fœneratores consistere solebant.'

Puteal] Proprie putei operculum est *puteal*. Locus Romæ fuit in Comitio, ubi Accii Navii Auguris statua per Tarquinium erecta, et sub ea ara subterranea, ibidemque novacula, qua cotem ille inciderat, defossa: unde et puteus dictus is locus; teste Dionysio Halicarnass. sub finem Libri tertii, superque impositum puteal extitisse ait Tullius lib. de Divinat. cap. 32. Porro quod *puteal* sumatur pro foro et Tribunali Prætoris, itemque pro loco fœneratoribus frequentato, testatur Cicero pro Sextio, cap. 18. ubi, 'Gabinius,' inquit, 'puteali et fœneratorum gregibus inflatus,' &c. ubi alii legunt, *Afflictus*. Item Horat. lib. I. epist. 19. 'Forum putealque Libonis mandabo siccis.' Et lib. II. sat. 6. 'Roscius orabat sibi adesses ad puteal cras.' Vide Cœl. Rhod. lib. X. cap. 17. Sigon. lib. I. de Judic. cap. 28. Festum, et alios.

Vibice] *Vibex* est proprie nota in corpore post verbera et scuticas remanens.

Flagellas] Similem habet emphasim Tertullianus de pallio, ubi laudat Christianos, quod *subsellia non contundant*, id est, non premant aut frequententent, adeoque litibus abstineant. Martialis lib. II. epigramm. 30. et lib. V. epigramm. 13. 'Arca flagellat opes.'

Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es: tollat sua munera cerdo.
Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.

puteal multiplici cicatrice, frustra præbueris plebi aures sitibundas. Rejice quod non es. Sutor auferat dona sua. Mane apud temetipsum, et cognosce quantum angusta sit tibi res domestica.

51 *ut noris* Ms. R. et edit. plurim. Quædam membran. *ut noris,* non sine damno elegantiæ. *Casaubon.*

NOTÆ

50 *Nequicquam populo bibulas donaveris aures*] Non est quod adulatoriis laudationibus populi adhærescas: si te tuaque vitia noveris. Horat. lib. I. epist. 16. 'Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas.'

Bibulas aures] Avidas laudis et applausus. Horat. lib. II. ode 13. 'Bibit aure vulgus.'

51 *Respue quod non es*] Alii legunt, *Respice.* Sensus utrobique manifestus. Ne tibi arroga quod non est in te. Ne te capi sinas adulationibus. Seneca epist. 80. 'Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem, intus te ipse consule.'

Tollat sua munera cerdo] Quod dat vulgus recipiat; nempe vanas assentationes atque laudatiunculas a te repulsas rejectasque sibi habeat. Horatius, 'Stultus honorem Sæpe dat indignis.'

Cerdo] Est quilibet e plebecula vilis artifex lucri causa suam locans operam: ἀπὸ τοῦ κέρδους dictus, ut volunt, quasi lucrio. Vide Martial. lib. III. epigramm. 16.

52 *Tecum habita*] Temetipse consule, inspice et considera, quæ sint animi tui affectiones. Satir. I. 'Nec te quæsiveris extra.' Horat. lib. I. satir. 3. 'Teipsum concute.' Et lib. II. sat. 7. 'Non horam tecum esse potes.'

Noris, quam sit tibi curta supellex] Vide quam sis imparatus ad magna suscipienda, quam parum virtutis habeas et sapientiæ: quanta tibi desunt, attende. Verum enimvero, ut ait Cicero II. Tuscul. Quæst. n. 63. 'tuo tibi judicio est utendum: tibi si recte probanti placebis, tum non modo tu te viceris, sed omnes et omnia:' at si contra, ut ante dixi, te sentias ipse pravum et nequam, nedum plebi insanæ, immo nec Burrho aut Senecæ abblandientibus fidem habeas.

Supellex] Quemadmodum domum ornant ac muniunt rei familiaris instrumenta varia, sic animum virtus, eruditio, sapientia, aliæque dotes optimæ.

SATIRA V.

AD MAGISTRUM SUUM

ANNÆUM CORNUTUM.

ARGUMENTUM.

Ut gratissimum erga Cornutum, præceptorem suum, animum declaret poëta, utitur lepida sententiarum conformatione. Scilicet ad rei magnitudinem, quæ verbis æquari non possit, declarandam, poëtæ sibi optare solent centum ora et linguas, Homerum secuti; quorum more et instituto Persius quoque hoc loco utitur, subindeque se a Cornuto interpellatum fingit. Quorsum hæc? quippe neque carmen aliquod sublime condas, neque in argumento aliquo tragico verseris, neque omnino pravum hujus sæculi morem, quo tenues et jejunæ res ingenti strepitu verborum ac tumultu, ut gravissimæ, efferuntur, in animum induxeris sequi; sed vitæ humanæ consuetudinem, indies magis magisque in deterius delabentem, acerrimo sale defricare tibi propositum sit; quin huc igitur verba et sententias dirigis? 18. Enimvero, Persius subjicit, Huic rerum vanitati equidem nullus studeo; animi mei recessus tibi ut aperirem, ostenderemque, quanto amore te complecterer, vota poëtarum, vel in minutis rebus a nonnullis inepte adhibita, in maxima re et meo sensu gravissima, mea feci. 29. Recensum jam instituit omnium beneficiorum, quibus a Cornuto puer affectus sit, declaratque, quantum ejus institutioni et præceptis debeat. 40. Familiaritatis deinde mentionem facit, quæ sibi cum illo semper intercesserit, intimæ 44, studiorumque communium morumque similitudinis. 62. Hinc deflectit ad Stoicum aliquod dogma de libertate, quo sapiens solus liber perhibetur, transitione admodum felici. Animo enim gratissimo reputans, quantum ipse Stoicorum disciplinæ debeat, ex illorumque ratione ad vitam cum animi tranquillitate et constantia transigendam profecerit, suo ipsius exemplo monet juvenes, ut eadem opportunitate utantur, neque occasionem discendi differant. 72. Ad bene autem et beate vivendum libertate opus esse, non ista, quæ in Damæ, agasonis cujusdam, persona ridetur, civili. 82. Docet porro, quid sit ex Stoicorum sententia, ita vivere, ut velis, id est, veræ libertatis vim et naturam, quæ a prætore, philosophiæ ignaro, non possit cuiquam impertiri. 95. Ad omnia, quæcumque velis, facienda requiri accuratam omnium rerum cognitionem 104, libertatemque sine cognitione veri, rerumque vel expetendarum vel fugiendarum ratione, et animo ab omnibus cupiditatibus motibusque vehementiori-

bus vacuo ac soluto ne cogitari quidem posse. 118. Non posse fieri, ut aliquis sapiens idemque stultus sit, sed vel omnino sapiens vel omnino stultus. 123. Ut domini in servos, sic cupiditatum in ipsos dominos esse imperium æque severum. 131. Quod ut amplius confirmet, exemplo utitur, a mercatoris avaritia petito, ad omnia facinora illum impellente 139; contra pugnantem inducit luxuriam, mercatoris animum in diversa trahentem 153, qui miser, alterutro vitio declinato, in alterum præcipitem se necessario daturus sit. 160. Jam ad aliam similitudinem transit, ab amante aliquo sumtam, qui valedicere amicæ cum apud animum statuerit, illico ad eam pristina caritate retrahatur. 169. Quibus rebus monstrat Noster, ne illum quidem liberum esse, qui imperium in vitia ad tempus exercere possit 175, multo minus eos libertatem nactos censendos esse, quos ambitione religionibusque per vices excitatos turbatosque semper conspiciamus.

VATIBUS hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum,

Ea est consuetudo Poëtis, sibi exoptare centenas voces, ora centena, et centenas linguas in versus exposcere; sive componatur ab eis Tragœdia ab histrione tristi pro-

2 Carmine Ms. R. et Ms. Gal.

NOTÆ

1 *Vatibus*] Scita et elegans in primis hæc Satira duas habet partes. In priori quid debeat Cornuto præceptori luculenter et officiose profitetur Persius. In altera, nimirum a versu 73. in quo vera libertas consistat, graviter explicat: atque ex placito Stoicorum egregie asserit *solum sapientem liberum esse.* Quod fere idem asseverabat Apostolus Paulus cum ait: *qui facit peccatum, servus est peccati.*

Hic mos est, &c.] Poëtæ nimirum Epici, quin et Oratores interdum, solent ea figura uti, quoties grande quidpiam aut arduum volunt exprimere.

Centum sibi poscere voces, &c.] Homerus Iliad. II. *οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.* Hunc secutus Hostius Poëta lib. II. Belli Istrici, (ut refert Macrobius, Saturnal. lib. VI. cap. 3.) sic habet: 'Non si mihi linguæ Centum atque ora sient totidem, vocesque liquatæ.' Postea Virgil. Georgic. 2. pariter et Æneid. 6. hunc eundem versum habet, 'Non mihi si centum linguæ sint, oraque centum.' Hos alii passim imitati, ut Sil. Ital. lib. IV. 'Non mihi Mæoniæ redeat si gloria linguæ, Centenasque pater det Phœbus rumpere voces.' Claudianus in Panegyrico Probini: 'Non mihi centenis resonent si vocibus ora.' Sic etiam Oratores, ut Quintil. in fine Declam. 6. 'Omnia licet' (inquit) 'huc revocemus præterita, et ad canendas unius laudes, universorum Vatum scriptorumque ora consentiant, vincet tamen res ista

Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.

nuntianda; sive describant *plagas Parthi emittentis sagittas ex inguine. Ad quid*

mille linguas,' &c. Et S. Hieron. in Epitaphio Paulæ sic exorditur: 'Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, et omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem.' Vide Cassiodor. ep. 1. lib. 11. &c.

3 *Fabula seu mœsto ponatur, &c.*] Seu Carmen Tragicum scribant, seu Heroicum.

Fabula] Hoc nomine significatur omnis fictio, non tantum rei totius, qualis ab Aphthonio et ab aliis communiter intelligitur; sed et quando rei veræ adjuncta quædam affinguntur, et sermo personis attribuitur, non quem habuere, sed qualem habere potuerunt aut debuerunt. Et sic Dramatica quævis Poëmata fabulæ dicuntur. Hic pro Tragœdia sumitur, in qua ex adjunctis rei quædam mutari perinde aut fingi, ut dictum est, non est nefas, dummodo similia vero sint omnia, et bene singula cohæreant, juxta Horat. in Arte Poëtica, v. 151. 'Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet, Primo ne medium, medio ne discrepet imum.' Et v. 338. 'Ficta voluptatis causa sint proxima veris, Nec quodcumque volet poscat sibi fabula credi. Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.'

Mœsto] Utplurimum in Tragœdiis tristes occurrunt casus, atque, ut loquitur Theophrastus, ἡρωϊκῆς τύχης περίστασις. Unde Archelao Macedoniæ Regi, ut de se Tragœdiam scriberet petenti, abnuens respondit Euripides, immo rogare se Deos ac precari ne quid unquam Tragœdiæ proprium bono Principi accideret. Horatius in Arte, vs. 102. 'Si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi. Tunc tua me infortunia lædent, Telephe, vel Peleu. — Tristia mœstum Vultum verba decent,' &c. Cave autem ne de tristi catastrophe ac luctuoso fine intelligas. Nec enim exitus ac finis Tragœdiæ solet aut debet esse tristis magis quam Comœdiæ: in quo Lubinus et alii recentiores hallucinantur. Nomen porro Tragicomœdiæ in qua vulgo putant contra e tristibus initiis finem esse lætiorem, merum est commentum, inauditumque apud veteres. Scalig. Poët. lib. VI. cap. 3. et alibi. Vossius Instit. Poët. lib. II. cap. 24. Stiblinus in Eurip. Trag. Theophrastus apud Diomed. lib. III. Certe Euripidis et Sophoclis Tragœdiæ sæpe finem habent et catastrophen, quam principia lætiorem: Tragicomœdiæ tamen apud illos mentio nulla; nec titulus iste unquam inscriptus apud antiquos reperitur. Testes Euripidis Hecuba, Orestes, Alcestes, utraque Iphigenia, &c.

Hianda] Magno quidem spiritu et voce gravi recitanda, sicut res illic graves, sublimis et grandis stylus. Juvenal. Sat. VI. 'Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.'

Tragœdo] *Tragœdus* est Actor Tragœdiarum, Tragicus autem earum Scriptor.

4 *Vulnera seu Parthi*] Quæ Romani Parthis, aut Romanis etiam Parthi intulerunt in bellis sub Augusto, immo et sub Nerone gestis; de quibus Poëtæ carmina condebant Cæsaribus adulantes. De Bellis Parthicis Cornel. Tacit. Annal. lib. XII. et sequent. Sueton. Justin.

Parthi] Populi fuere in Asia O-

Quorsum hæc? aut quantàs robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ

ista? Vel quam magnas offas fortis versus infers, ut opus sit fulciri centum faucibus? Ingens aliquid *scripturi colligant nubes ex Helicone:* et *si quibusdam vel Progne, vel si aliquibus Thyestæ lebes bulliet:* quæ *cœna agenda frequenter* ab

6 Quidam *gurgite:* sed omnes veteres *gutture.* Casaubon.

NOTÆ

rientales, Romanorum hostes infensissimi, sagittandi periti valde, et fugam simulando vincere assueti. Unde Virgil. Georgic. III. 'Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.'

Ducentis ab inguine ferrum] Locus profecto anceps. Interpretantur vulgo, sagittas e vulnere extrahentis et in hostes retorquentis. At audacior videtur interpretatio. Casaub. vult a Persio intelligi quartum jaculandi modum Parthis proprium, nempe *ex inguine;* cum sagittas emitterent et tela, alii ex humero, alii e capite seu ex auricula dextra, alii e pectore seu mamma; citatque Propertium, lib. IV. Eleg. scilicet 11. de Gallis, ubi vulgo legunt: 'Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis.' Legit vero Casaubonus illic, *ab inguine,* sed, an jure, ipse viderit. Certe malim cum Marcilio explicare Persium hic, de Parthis lethaliter in inguine vulneratis, et sagittas extrahendo, morientibus. Numquid enim Romani Poëtæ in Epicis Carminibus, de quibus Persius hoc loco, laudassent Parthos tela vibrantes, et Romanis mortem inferentes, potius quam victores Parthorum Romanos? Quod tamen dicendum foret, si vulnera sumerentur hic active, ut sentit Casaubonus.

Ferrum] Sagittas ferro armatas in cuspide. Synecdoche.

5 *Quorsum hæc*] Fingit Persius adesse Cornutum præceptorem, et redarguere sic: unde vero tibi, o Persi, turgidum illud Satiræ procemium?

Aut quantas robusti carminis offas ingeris] Eccur tantas verborum ampullas adhibes?

Robusti carminis] Heroici, vel Tragici. Tu nimirum non Satiram scribere sed Epos videris.

Offas] *Offa* dicitur cibi globulus aut frustum. Hic metaphorice significat inflatum carmen.

6 *Ut par sit centeno gutture niti*] Velut ad trajiciendas offas illas grandiores, sive ad proferendos versus adeo turgentes.

7 *Nebulas*] Similia nebulis, inania, quamvis specie magna. Horat. in Arte, *nugas canoras,* vocat: et *nubes et inania captare* eos dicit, qui turgidum scribunt carmen.

Helicone legunto] Invocando Musas et Apollinem. Vide in Prologo.

8 *Si quibus aut Procnes, &c.*] Si qui volent scribere Tragœdiam vel de *Procne* Pandionis Atheniensium Regis filia, Terei Thracum Regis uxore: vel de Atreo et Thyeste fratribus apud Argos seu Mycenas regnantibus, invidentibus sibi invicem, et in sese pariter sævientibus.

Procnes] Quæ Tereo marito filium Ityn apposuit epulandum, dolore

Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;

insipido Glycone. Tu nec spiritum comprimis laboranti folle, dum metallum in *fornace excoquitur: nec raucus susurro apud te insulse garris nescio quid grande; nec*

NOTÆ.

percita quod Philomelam sororem ille vitiasset. Ovid. Metamorphos. VI. Fab. 7.

Olla Thyestæ] Qui suos ipse filios inscius comedit in olla coctos et appositos in cibum ab Atreo fratre, incestum illius cum Europa uxore sua vindicante. Vide Senecam Tragic. in Thyeste.

9 *Fervebit*] Allegoria ab olla in qua fervente cocti sunt filii Terei et Thyestæ: et allusio ad Tragœdiæ stylum concitatum et vehementem.

Cœnanda] Repræsentanda cœna Terei et Thyestæ proprios filios devorantium. Quod tamen in Scena exhiberi vetat Horatius in Arte, his versibus: 'Non tamen intus Digna geri promes in scenam, multaque tolles Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens. Nec pueros coram populo Medæa trucidet; Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus; Aut in avem Progne vertatur,' &c.

Glyconi] Fatuo Tragœdo, tempore Neronis, qui trita argumenta sæpius ad nauseam reponeret. De similibus Martial. Epig. X. 4. 'Qui legis Œdipodem, caligantemque Thyesten, Colchidas, et Scyllas; quid nisi monstra legis?' &c. Hinc *insulsum* vocat Persius, ut ait vetus Scholiastes, 'erat enim ille nescius jocari: quanquam populo mire placuit, et ideo a Nerone manumissus est,' &c.

10 *Tu neque anhelanti, &c.*] Tu magno conatu versus magnificos non profers, magno anhelitu, et pulmonibus laborantibus. Nec ita scribis aut loqueris, ut folles inflare videaris: adeoque ab ineptis hujus sæculi Poëtis ambitiose recitantibus quam longe abes!

Coquitur dum massa camino] In fornace ardenti metallum; sic animo inter meditandum fervescente carmen fingitur.

11 *Anhelanti folle premis ventos*] Aërem follibus inclusum et stridentem exagitant fabri ad fornacem accendendam: ingenium autem meditando, ac fingendo, secum luctando sæpe, et in omnes partes vertendo, Poëtas discruciant: pulmones item fatigant, recitando carmen præsertim inflatum et turgidum, quale hic Persius reprehendit, imitatus nempe Horatium lib. I. satir. 4. 'At tu conclusas hircinis follibus auras Usque laborantes dum ferrum molliat ignis, Ut mavis imitare.' Juvenalis autem hos secutus de Causidicis ait, satir. VII. 'Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.' Et Martialis: 'A nostris procul est omnis vesica libellis, Musa nec insano syrmate nostra tumet.'

12 *Nescio quid grave*] Carmen quod tibi placeat soli, magnumque videatur.

Cornicaris] Nec tu, more cornicum, voces emittis e gutture, compressas, impeditas, strangulatas, palato supplantatas, de quibus fuse satir. I. Locum hunc respexit D. Hieron. cum ait ep. IV. 'Alii intra se nescio quid cornicantes tumentia verba trutinantur,' &c.

Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, junctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo.

conaris frangere malas inflatas ingenti sono. Sectaris voces pacis, peritus forti compositione, politus stylo modesto, solers perstringere vitia pallida, et novam confodere

13 *stloppo* scriptum invenimus, non *scloppo*, in omnibus antiquis membranis, non solum Persii, verum etiam Prisciani. *Casaubon.*—15 *Ore teris* Ms. R. Alii libri vulgo edunt *teris*, quod si cui placeat, repetendum erit et versu præcedenti, *verba togæ;* erit autem *ore terere verba* idem ac loqui, verba

NOTÆ

13 *Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas*] Adverte gradationem: nec stylum inflas ad instar follis; nec meditaris et tecum agitas confusa et impedita, more cornicis; nec denique ore turgenti pronuntias, ut quasi stloppum edere videaris. Sic laudat Cornutus Persii elocutionem, inventionem, pronuntiationem.

Stloppo] Vox ficta ad exprimendum sonum ex inflatis aëre buccis, et vi quadam aut ictu elisis et compressis editum. Hic egregie adhibetur ad significandam pronuntiationem tumidam et affectatam. Legit Casaubonus *stloppo*, non *scloppo*, ex antiquo Codice, et favet Priscianus, l. I. c. 4.

14 *Verba togæ sequeris*] Non bella carmine describis, sed quæ pacis tempore in usu sunt. Sic libet hæc intelligere, magis quam de forensibus et oratoriis, aut etiam de Satira quæ propria Romanorum sit, interpretari.

Togæ] Vetus Schol. hic ita loquitur: 'Toga, purum pallium, forma rotunda, fusiore atque inundante sinu: de sub dextro veniens, super humerum sinistrum ponitur: cujus similitudinem in operimentis simulacrorum, vel picturarum aspicimus: easque statuas togatas vocamus. Toga Romani in pace, in bello paludamentis utebantur. Mensura togæ justæ senas ulnas habebat.' *Toga* per metonymiam significat pacem. Hinc illud Tullii: 'Cedant arma togæ.' Lege Macrob. Saturnal. lib. I. cap. 6. Alex. ab Alex. lib. V. cap. 18.

Junctura callidus acri] Quidam hic Satiricum salem comminiscuntur; at melius alii scitam ac robustam verborum compositionem, non mollem aut rhythmicam, qualis Neroni affectata. Tull. III. de Oratore, 'Sed si habitum etiam orationis et quasi colorem aliquem requiris; est plena quædam, et tamen teres ac tenuis, at non sine nervis ac viribus.'

15 *Ore teres modico*] Horat. in Arte: 'Dedit ore rotundo Musa loqui.' Alii legunt, *teris*, id est, expolis, superflua resecas, ut ferrum lima terit et lævigat.

Pallentes radere mores doctus] Tu non modo recte, sed et recta scribis et bona. Nimirum placita morum tractas sanctissima, et multo sale hominum vitia defricare satagis.

Pallentes mores] Nunquam non timent qui sibi conscii sunt alicujus flagitii. Et Satira quæ nemini parcit improbo, malis pallorem inducit. Horat. Epist. I. 1. 'Hic murus aheneus esto; Nihil conscire sibi, nulla pallescere culpa.'

16 *Ingenuo culpam defigere ludo*] Ut

Hinc trahe, quæ dicas, mensamque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.
“ Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur. Tibi nunc, hortante Camœna,

liberali joco. Ex his deprome quæ scribas: et remitte Mycenis mensas cum capite et pedibus; *et cognosce* tantummodo *populi convivia. Certe non in id incumbo, ut nugis inflatis intumescat liber, aptus facere momentum fumo. Seclusi dicimus. Tibi modo, Musa instigante, præbemus examinandum cor ; et libet declarare tibi*, o

usurpare sive scribendo sive loquendo. *Casaubon.*—17 *mensasque* C. *Mycenis* omnes membranæ, non *Mycenas*, quod esset pro Mycenæas Μυκηναίας; vel Mycenenses, ut apud Tullium. *Casaubon.*—19 *equidem studeo* Ms. Gal. *pullatis* Edit. Steph. In omnibus scriptis manu libris, quibusdam etiam editis, invenimus constanter *pullatis:* quam lectionem et antiqua scholia agnoscunt.

NOTÆ

ait Horatius, ridendo verum dicis, flagitiosos castigas, flagitia proscribis.

Defigere] Proprium Criticis vocabulum, qui obelos et verucula solent appingere ad ea quæ notant ac improbant.

17 *Hinc trahe, quæ dicas*] Age, Persi, perge in instituto, e populi vitiis argumenta Satirarum desume. Quod erit certe utilius, quam si ingentia et tumida scriberes vel in Tragœdiis, vel in Epicis.

Mensamque relinque Mycenis] Græcis Tragicis grandia sua permitte argumenta, qualis cœna Thyestæ et Terei, de quibus supra. *Mycenæ* urbs Peloponnesi, in qua gesta dicitur fabula Atrei et Thyestæ.

18 *Cum capite et pedibus*] Reservarat Atreus caput, pedes, et manus puerorum, quæ post cœnam Thyestæ fratri exhibuit, ut sciret quas et quorum devorasset carnes. Senec. Thyest. ‘Denudat artus dirus, atque ossa amputat; Tantum ora servat, et datas fidei manus.’

Plebeiaque prandia noris] Potius quam regalia, in quibus tam horrendæ apponuntur dapes, Tereo scilicet et Thyestæ. Hæc, inquam, relinque, et plebeias res inspice : corruptos populi mores satirico sale deterge et expurga.

19 *Non equidem hoc studeo*] Cornuto Persius respondet: certe non opto centenas voces ad pompam, quod Poëtæ solent; sed cupio duntaxat grati mei erga te animi monumenta relinquere.

Bullatis nugis] Verbis ac sententiis instar bullæ tumidis et fulgentibus, sed intus vanis : quas Horatius in Arte, *ampullas* vocat. Quidam legunt, *pullatis*, et explicant de Tragicis, ex eo quod in Tragœdiis induci soleant atra, pulla, et lugubri veste induti Reges. Sed parum placet acutior illa interpretatio et lectio.

20 *Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo*] Nec ego nitor auctoritatem conciliare et gravitatem inanibus, fumosis, vanis, et levioribus versiculis, ac rerum inopibus; ut loquitur Horatius in Arte Poëtica: quasi verba sine re aliquid valeant.

21 *Secreti loquimur*] Sincere et citra fastum, tibi ego, solus soli loquor: nec quasi palam carmen et scripta ostentare velim, versibus tibi consigno animi mei sensa.

Excutienda damus præcordia: quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,
Ostendisse juvat. Pulsa, dignoscere cautus,
Quid solidum crepet, et pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas ausim deposcere voces,

Cornute, amicorum suavissime, quanta pars animi mei tua sit. Tange, tu qui es *peritus explorare quid integrum resonet, et simulationes fucatæ linguæ. Ad hæc ego*

Casaubon.—25 Non dubitandum videtur, quin hæc vera sit lectio; non possum tamen prætermittere, quod inveni in tribus antiquissimis Codicibus: ubi summo consensu *plectoria* scriptum pro *tectoria:* an sub mendo manifestario lateat aliquid, cogitent docti. *Casaubon. tentoria* Ms. R.—26 *Hic* præferunt alii, nulla sententiæ mutatione: *Centenas,* si legas *his,* erit, ad singula horum optare non dubitarim centum voces: si scribatur *hic* pro centum simpliciter

NOTÆ

22 *Excutienda damus præcordia*] Adeoque intimos cordis recessus aperio: expressum vide in pauculis versiculis, quod dudum latet impressum in animi mei penetralibus.

Quantaque nostræ pars tua sit, Cornute, animæ] Sententia hæc tracta est a Pythagora, inquit vetus Gloss. nimirum quia Pythagoras aiebat amicum esse alterum seipsum. Et Antiqui dicebant amicitiam esse animam unam in duobus corporibus. Unde Ovid. de Oreste et Pylade scribit, 'Qui duo corporibus, mentibus unus erant.' Horatius de Virgilio ait, l. I. Od. 3. 'Et serves animæ dimidium meæ.' S. Gregorius Nazianzenus suam cum D. Basilio familiaritatem appellat συμψυχίαν. Et S. Augustinus Confession. IV. 6. de amico suo, similia his, immo quid majus videtur dixisse, ubi ait: 'sensi ego animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus: et ideo (eo morte sublato) mihi horrori vita erat, quia nolebam dimidius vivere; et ideo forte morti metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.'

23 *Cornute*] Annæus Cornutus Persii magister, Stoicæ Philosophiæ Professor eo tempore celeberrimus, teste Eusebio: qui a Nerone missus in exilium, eo quod ejus scripta reprehendisset.

24 *Pulsa*] Digito percute, et explora meam mentem: sicut explorantur fictilia, num solida sint et integra.

25 *Quid solidum crepet*] Discernis enim quid verum, quid fictum et simulatum. Pers. Sat. III. dixerat vas percussum sonare et indicare vitium suum *maligne respondendo;* hic ait integrum vas dignosci, *solide crepando.*

Pictæ tectoria linguæ] Incrustata auro statua lignum aut lapidem celat, sic et urbanitas sermonis et oratio plena obsequii tegit sæpe invidiam et odium animo reconditum. Legunt nonnulli *plectoria,* id est, involucra ἀπὸ τοῦ πλέκειν, inquiunt. Sed apage. Juvenalis enim Sat. VI. Persium secutus scribit, 'Tandem aperit vultum, et tectoria prima reponit.' Et S. Augustinus ad Volusianum affirmat Sanctas Litteras 'rem esse solidam et sinceram; non fucata eloquia, nec ullo linguæ tectorio inane aliquid ac pendulum crepitare.'

26 *His ego centenas, &c.*] Centenas ego voces exoptem, ad me gratum erga te

Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit;

audeo exceptare centum voces, ut verbis sinceris expromam, quam alte infixi te mihi in intimo corde; et sermo aperiat illud omne quod reconditum est in secretis præcordiis, quanquam *vix explicari potest. Statim atque deposita est a me timido prætexta servatrix, et appensa est bulla data præcinctis Diis domesticis; quando socii*

positum, ut sæpe apud poëtas. *Casaubon.*—28 *tecumque* Ms. Gal.

NOTÆ

magis ac magis probandum. Quo quidem in studio, quod Tullius Epist. I. 1. Lentulo scribebat, id videtur Persius indicare velle, nimirum, 'omni officio ac potius pietate erga Cornutum etsi aliis satisfaceret omnibus, at ipsum sibi nunquam satisfacere.'

27 *Ut quantum mihi te, &c.*] Egregiam adverte prioris sententiæ expolitionem.

Sinuoso in pectore fixi] In latebris animi reconditissimis adeo te infixi, ut totus in me sis, et totus sim tuus.

28 *Verba resignent*] Rupto velut sigillo revelem, carmen et scripta palam proferant amorem erga te meum, merita in me tua; quæ tamen duo certe maxima haud satis exhibeat centena etiam vox.

29 *Fibra*] Fibram poni pro intimis viscerum et cordis maxime partibus, dixi Sat. I.

30 *Cum primum pavido, &c.*] Hactenus prooemium ac prolusio duntaxat: deinceps autem recenset Persius quid et quantum debeat Cornuto Præceptori pro sedula ejus institutione.

Pavido] Id est, pudibundo, vel timenti imminentes adolescentiæ difficultates, et virtutis in ea ætate impedimenta.

Custos purpura] Id est, toga, cui prætexta erat purpura, ut (quod ait Macrobius) 'ex ejus rubore ingenuitatis pudore tegerentur pueri.' Hinc a Persio vocatur *custos*, scilicet innocentiæ ob colorem purpureum, qui symbolum est pudoris. Adde quod prætexta veluti sacros facit, quos et violare sit nefas. Unde Plin. IX. 36. ait purpuram 'pueritiæ esse pro majestate,' id est, sanctitate. Et Fabius Declamat. ait, 'prætexta infirmitatem pueritiæ sacram fieri et venerabilem, non secus ac Sacerdotes vestibus suis.' Vel *custos* vocatur prætexta, quia tempore pubertatis pueri sunt sub tutela alterius, nempe Custodis seu Pædagogi. Horat. in Arte, 'Imberbis juvenis tandem custode remoto.'

Cessit] Cum jam prætexta dedit concessitque locum togæ virili, quæ sumebatur post pubertatem, seu anno ætatis decimo sexto.

31 *Bullaque*] Hinc Persii nobilitatem argui diximus in Prologo, contra nonnullos. Nimirum pueri nobiles ante pectus auream bullam cordis effigie gestabant collo appensam: 'Quam inspicientes' (inquit Macrob. Saturnal. I. 6.) 'ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent.' Juv. Sat. V. ad finem, *Etruscum aurum* vocat, quasi ab Etruscis pro-

Cum blandi comites, totaque impune Subura
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo;

faciles aderant, *et clypeus albus tunc sinebat* me *injicere oculos sine metu* in *omnem*

NOTÆ

fluxerit mos bullæ gestandæ. De eo multa et varia Macrobius loco citato mox, ubi et sic habet: 'Tullus Hostilius Rex Romanorum tertius debellatis Hetruscis, sellam curulem, lictoresque, et togam pictam, atque prætextam, quæ insignia Magistratuum Hetruscorum erant, primus ut Romæ haberentur, instituit. Sed prætextam illo sæculo puerilis non usurpabat ætas. Postea vero Tarquinius Priscus—filium suum annos quatuordecim natum, quod hostem manu percusserat, pro concione laudavit, et bulla aurea prætextaque donavit, insigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis et honoris.—Alii putant eundem Priscum, cum statum civium solertia providi Principatus ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua dixisse: instituisseque ut Patricii bulla aurea cum toga cui prætexitur purpura uterentur, duntaxat illi quorum Patres Curulem gesserant Magistratum,' &c. Asconius, 'Bulla,' inquit, 'suspendi in collo ingenuis solet aurea, libertinis scortea, quasi communiens pectus puerile.' Alex. ab Alex. II. 19. sic habet: 'Prætextatis bullam pendere pro pectore affirmant nonnulli, ut ibi cordis insigne maneret, ubi sedes erat consilii.' Et ejusdem lib. c. 25. 'Romani pueros prætexta donabant, et bulla. Hæc aurea erat, insigne nobilitatis, figuram cordis habens, ut signarent eam ætatem alterius consilio regendam. Bulla primum a Tarquinio Prisco donatum suum filium tradunt, quem in prætextæ annis hostem dicunt occidisse.—Lorum vero erat insigne libertorum, plebeiorum et pauperum. Propius vero est, fœdere icto cum Sabinis et Tatio, cautum fuisse, ut bulla prætextaque, per eas tempestates Sabinorum ornatu, raptarum filii uterentur.' Posteriorem hanc rationem attingit et Plutarchus, in Quæst. Centur. Rom. et alias quasdam adjungit, cur bullam gestarent nobilium filii.

Succinctis] Succinctas vestes habentibus, more militari. Vett. Gloss. 'Gabino habitu cinctuque Dii Penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo.'

Donata pependit] Bullam simul cum prætexta Laribus consecrabant adolescentes, cum togam virilem sumerent; sicut puellæ pupas Veneri donare solitæ: quemadmodum jam observavi Sat. II. et docet Alex. ab Alex. v. 18.

32 *Cum blandi comites*] Non asperi monitores aderant amplius, quales patruus, aut pædagogus, qui sumta virili toga removebatur.

Subura] Ubi meretrices diversabantur, in regione seu vico infami sub antiqua urbe, unde nomen: vocabatur et summœnium, quasi sub mœnibus. Vide Juv. Sat. III. vs. 5.

33 *Permisit sparsisse oculos*] Quando mei juris factus, nemine jam observante me aut castigante, libere poteram in meretricum domicilia respicere, et per suburam vagari. Ovid. 'Oculi sunt in amore duces.' Terent. Andr. Act. I. Scen. 1. 'Postquam excessit ex ephebis, liberius Vivendi fuit potestas:—antea vero, ætas, metus, magister prohibebant.'

Candidus umbo] Tyronibus dabatur clypeus purus seu vacuus, id est, sine

Cumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes;
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos

Suburram; et quando via anceps est, et error imperitus vivendi dividit animos incertos in plateas multiplicis viæ: jam tum *me tibi submisi.* Tu vero, o *Cornute,*

36 In vetere Bongarsii legitur *Me tibi seposui;* et apposita est interpre-

NOTÆ

insignibus, ut ibi signanda facere monerentur. Virgil. Æn. IX. 'Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.' Vel intellige togam virilem candidam in umbonis similitudinem aptatam: 'synecdochicos,' inquiunt vett. Gloss. 'alioquin et in prætexta candidus umbo est.' Sic et locum hunc explicat Just. Lips. Elector. I. 13. ubi et monet Tertull. de pallio; item Apuleium l. XI. in palla umbones agnoscere, et eleganter describere.

34 *Cumque iter ambiguum est*] Quando mens adolescentis hæret incerta quid sibi potissimum agendum sit; similis viatori in bivium incidenti, qui valde torquetur anxius, utram inire viam debeat. Quod et Herculi accidisse refert Cic. Offic. I. 117. ex Xenophonte, qui rursus ex Prodico Sapiente rem narrat, l. II. de Fact. et Dict. Socrat. memorab. non longe ab initio.

Et vitæ nescius error] Ut Philosophia magistra vitæ est; ita ex adverso ignorantia rerum, *error* denique egregie Persio dicitur *vitæ nescius,* id est, eorum quæ conducunt ad recte vivendum. Sic igitur imperitia ducit adolescentes et abripit in id omne quod videtur ipsis facile, jucundum, splendidum, quasi perinde sit illud rectum et bonum: fallitque eos literæ Pythagoricæ Y latior pars læva quæ eligitur, præ dextra arctiori quidem sed tamen meliori. Hinc pronam illi sequuntur ad vitia viam; deserunt autem virtutis iter arduum, præceps, ac præruptum.

35 *Diducit*] Legunt alii, *deducit;* alii, *traducit.* Sensus est, in hanc et illam sententiam impellit, distrahit, cruciat, *trepidas mentes,* id est, ancipites, dubias, titubantes inter varias instituendæ vitæ rationes. Auson. Edyll. 15. de Pythagorico eligendæ vitæ dubio: 'Quod vitæ sectabor iter, si plena tumultu Sunt fora; si curis domus anxia; si peregrinos Cura domus sequitur; mercantem si nova semper Damna manent: cessare vetat si turpis egestas: Si vexat labor agricolam, mare naufragus horror Infamat, pœnæque graves in cœlibe vita: Sanguineum si Martis opus: si turpia lucra Fœnoris, et velox inopes usura trucidat? Omne ævum curæ,' &c.

Ramosa in compita] Quæ multas se in vias scindunt, ut truncus in ramos; id est, multos exitus et calles habent. Pariter etiam imprudens juvenis in varias deliberationes dilapsus sæpe id amplectitur quod pejus, ex judicii consiliique imbecillitate. Hic rursus alludit Persius ad literam Pythagoricam, de qua paulo ante; et Sat. III. vs. 56.

36 *Me tibi supposui*] Instituendum me tradidi. Quidam legunt, *seposui,* id est, segregavi. Sed prior lectio videtur retinenda.

Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere solers
Apposita intortos ostendit regula mores;
Et premitur ratione animus, vincique laborat;

mollem ætatem excepisti gremio Socratico. Tunc norma decipere perita mihi *adhibita pravos mores emendat; et animus domatur ratione, et ægre fert superari, et*

tatio, ad te segregavi. *Casaubon. Posui* C.—37 *tum fallere* Ms. R. *tu fallere* Ms. Gal.—38 Pro *ostendit*, Casaubon. legit *extendit*, et Ms. R. et C.—40 Ex verbis

NOTÆ

37 *Suscipis Socratico sinu*] Admisisti me in tuam disciplinam, Morali Philosophia et Stoicis dogmatis imbuendum; me vero excepisti non studio solum paterno, sed quasi materno affectu abblandiens ac demulcens. Sunt et qui interpretentur, integritate Socratica et sanctitate educandum: nec omnino displicet. Cur autem Socraticam vocat Persius Stoæ scholam? Nimirum, Socratis discipulus Antisthenes Diogenem instituit: hunc Crates Thebanus audivit. Hic demum edocuit Zenonem scholæ Stoicæ conditorem. Plutarch. Laërt. Cic. Unde Socrati non abs re tribuuntur, quæ ab eo velut a primo fonte profluxere instituta. Vide Sat. III. vs. 1. et ibid. Annot.

Tunc fallere solers apposita, &c.] Hunc locum varie varii intelligunt, et suo quisque sensui accommodant. Alii, quos inter Casaubonus, sic explicant: tu fraude innoxia me circumveniens suaviter ad rectum flexisti, solerter et sensim ita domans pravas affectiones, ut novæ disciplinæ austeritas non offenderet aut deterreret. Alii puerilem vocant hanc interpretationem, et sic Persii voces aptant et sensum: *Tunc regula apposita, solers*, id est, ostendens, *mores intortos fallere*, id est, errare; *extendit*, id est, reformat eos ac corrigit. Alii putant allusum ad intervallum quod sæpe exiguum est virtutem inter ac vitium, quodque propterea fallit. Unde Horat. in Arte, 'Decipimur specie recti.' Et Juvenal. Sat. XIV. 'Fallit enim vitium specie virtutis et umbra.' Prima quidem sententia acutior: secunda in quibusdam durior, ut cum, *solers*, explicat, ostendens, &c. Tertia videtur ad solitum Persii loquendi modum paulo audaciorem accommodatior. Nobis sensus hic erit, et ordo verborum: *tunc regula solers mores fallere, apposita extendit intortos*. Id est, præcepta morum falsas virtutum species mihi detegendo, docuerunt me omne vitium declinare; et sinceram virtutem sequi. Itaque *intortos mores extendere*, significat rectum id facere quod curvum erat, ducta metaphora a fabrilibus.

39 *Et premitur ratione animus*] Jamque sub tua disciplina proficiens, animi motus coërcere didici, et rationis sequi imperium coëgi. *Sicut equus a sessore domatur*, inquit Plato, *ita animus ratione*. Per animum itaque ne mentem intellige, seu partem animi superiorem, sed potius inferiorem quæ expers est rationis, vocaturque appetitus. Tull. Offic. I. num. 100. 'Duplex est vis animorum atque naturæ. Una pars in appetitu posita est, quæ est, ὁρμὴ, Græce; quæ hominem huc et illuc rapit: altera in ratione, quæ docet et explanat quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit ut ratio præsit, appetitus vero obtemperet.' Hor. Epist. I. 2. 'Animum rege, qui nisi paret, Imperat: hunc

Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus et requiem pariter disponimus ambo,

formam sumit sub digito tuo solerti. Nam recordor transegisse tecum dies integros, et cibos tecum carpsisse initio noctium. Ordinabamus ambo eosdem labores, similiter et quietem: et res *serias temperabamus cœna modesta. Certe illud ne tibi*

Juvenalis VII. 237. non sine ratione aliquis putet legendum in nostro *ducit seu pollice;* sed nihil mutandum. *Casaubon.* Casaubonus putat Persium scripsisse *artificis* seu *artifici;* sed emendatione nihil est opus. *Kœnigius.*—41 *et* pro *etenim* C.—43 Casaubonus mavult *una*, quod tamen hoc loco non convenit; non enim dicere vult Noster, se eodem tempore studiis vacasse quo Cornutus, sed easdem res cum illo et eodem tempore tractasse. cf. Virg. Geo.

NOTÆ

frænis, hunc tu compesce catena.' Plaut. Trinumm. Scen. 5. 'Homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo.—Tu si animum vicisti potius quam animus te, est quod gaudeas.'

Vincique laborat] Ægre superatur natura ad malum proclivis. Unde mens et ratio contra appetitum pugnans, quasi secum ipsa luctatur, laborat tamen et studet ut vincatur etsi repugnans et reluctans.

40 *Artificemque tuo, &c.*] Hypallage, pro, *artifici.* Potest et legi, *artificis;* ut docte monet Casaubonus. Sensus est: animus meus a te molliter et scite tractatus eam omnem induit speciem tandem et formam, quam dare et inducere voluisti, velut artifex peritus in argillam aut ceram. Juvenal. Sat. VII. vs. 237. 'Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat, Ut si quis cera vultum facit.'

Pollice] Macrob. VII. 13. pollicem dictum ait a pollendo, quippe qui non minus quam tota manus semper in officio est. Unde et Græcis vocatur ἀντίχειρ, quasi manus altera. Pasitter quidem asserit Græcam hanc etymologiam Gal. Alii tamen aliter sentiunt.

41 *Tecum etenim longos, &c.*] Die nocteque a te non discedebam. Virg. Ecl. IX. 'Sæpe ego longos Cantando puerum memini me condere soles.'

42 *Et tecum primas epulis decerpere noctes*] Est qui interpretetur, initium etiam noctis dabamus studio Philosophiæ, idque temporis decerpebamus quieti et epulis, id est, rescindebamus, adimebamus. Sed melius est cum aliis prope omnibus, intelligere de frugali mensa studiosis necessaria, quod verbum *decerpere* indicat satis: ut sensus sit, non dies noctibus epulando jungebamus, quod faciunt helluones; sed pauculas tantum horas, idque vesperi; et quasi raptim cibum carpebamus, quem porro honestis sermonibus condiebamus, ut est paulo post.

43 *Unum opus, et requiem, &c.*] Simul labori, simul quieti indulgebamus. *Una opus et requiem, &c.* legi velit Casaubonus: at videtur tamen Persius respexisse illud Virgilii Geo. IV. 'Omnibus una quies operum, labor omnibus idem.'

Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci:
Nostra vel æquali suspendit tempora Libra

dubium sit nostram *amborum vitam statuta societate convenire, et regi ab eodem astro.* Nam *aut Parca veritatis retinens nostros dies librat æquali lance: vel hora*

IV. 184. *Kœnigius.*—46 Ita omnes codices, non *consentire deos,* quod afferunt

NOTÆ

44 *Verecunda laxamus seria mensa*] Graves occupationes, et diurnam studii et animi contentionem relaxamus inter cœnandum ac remittimus tantillum jocis ac salibus innoxiis. Agellius XIII. 11. ait, 'convivarum sermones debere esse jucundos, et cum illecebra quadam et voluptate utiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat et amœnius. Quod profecto eveniet, si de id genus rebus ad communem vitæ usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non est otium.' Vide Athenæi Deipnosophistas: et Macrob. VII. 1.

45 *Non equidem hoc dubites, &c.*] Consensio nostra non levis aut fortuita, immo ea est quæ naturalibus causis producta et conflata dubitari non possit.

Amborum] Mei tuique, Persii discipuli, et Cornuti præceptoris.

Fœdere certo] Non otiose hoc ait Persius, (inquit Marcilius,) nam qui sub piscibus nascuntur, non ita certum fœdus inter se habere æstimantur. Unde Manil. l. II. 'At quibus in lumen pisces venientibus adsunt, His non una manet semper sententia cordi; Commutant animos interdum, et fœdera rumpunt, Ac repetunt.'

46 *Consentire dies*] Marcilius ex Servio ad Æneid. I. legit, *Deos,* id est, Genios horoscopi comites, juxta Horat. Epist. II. 2. 'Scit Genius natale comes qui temperat Astrum.' Ut sensus Persii sit, consentientes Genios nostros constat summam hanc inter nos amicitiam et consensionem peperisse. Alii tamen omnes legunt, *consentire dies,* id est, tempora, nativitates, unde non mirum, nos sub eadem constellatione genitos, ab iisdem siderum aspectibus pares habere et accipere affectiones. Notat Casaubonus Hebræos, quando quempiam alteri amicum indicare volunt, solitos dicere, filius est stellæ ipsius. Vide infra, ad ea verba, *nescio quod certe est, &c.*

Ab uno sidere duci] Natalitio scilicet et horoscopo: sive illud sit Libra, sive Gemini. Horat. l. II. Od. 17. 'Utrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum.'

47 *Nostra vel æquali, &c.*] Id est, vel fatum æquavit nostra tempora; vel eædem constellationes nostræ amborum vitæ præsidentes, easdem in nobis affectiones, eadem studia, summam animorum conjunctionem et consensionem pariunt.

Libra] *Libra* æquitatis symbolum est ac justitiæ. Est et Zodiaci signum, quod sol aggressus circa diem Septembris vicesimam æquinoctium facit autumnale. Horat. cit. lib. II. Od. 17. 'Seu Libra, seu me Scorpius aspicit Formidolosus, pars violentior Natalis horæ, seu,' &c. Vide quæ mox infra ad vocem *Geminos.*

Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.
Nescio quod certe est, quod me tibi temperat, astrum.

fidelibus exorta partitur in duos congruentia geminorum fata: et malignum Saturnum pariter nostro Jove temperamus. Est profecto nescio quod sidus, quod me tibi

nonnulli. *Casaubon.*—49 *facta* Ms. Gal.

NOTÆ

48 *Parca tenax veri*] Fatum ineluctabile: indeclinabilis rerum series, ut ait Chrysippus. Deæ fatorum a Poëtis finguntur sorores tres, Clotho, Lachesis, Atropos. 'Prima orditur,' inquit Sidonius, 'secunda texit, tertia finit.' Virgil. Ecl. IV. 'Talia sæcla, suis dixerunt, currite, fusis Concordes stabili fatorum Numine Parcæ.'

Seu nata fidelibus hora] Hora qua fideles amici nascuntur, æqualiter nobis partitur omnia.

49 *Geminos*] *Gemini* Castor et Pollux, quos magna concordia vixisse, regnasseque, et inter sidera relatos fabulantur. Aiunt porro Astrologi sub Geminis et Libra natos amicos fieri, et consentire in studiis et affectionibus. Manil. l. II. de Geminis sic habet, 'Magnus erit Geminis amor et concordia duplex.' De Libra vero, ibid. 'Quosque dabunt chelæ (id est, *Libra*) et quos dat Aquarius ortus, Unum pectus habent, fideique immobile vinclum.' Et l. v. 'Felix æquato genitus sub pondere Libræ.'

Duorum] Quidam legunt, *Deorum*, scilicet Castoris et Pollucis. Utrovis modo legas, perinde est.

50 *Saturnumque gravem*] Infestum sidus et noxium ob frigiditatem, siccitatem, et tarditatem. Horat. l. II. Od. 17. citatis jam: 'Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit.' Propertius l. IV. Eleg. 1. 'Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis, Et grave Saturni sidus in omne caput.' Juvenal. Sat. VI. 'Quid sidus triste minetur Saturni.'

Nostro Jove frangimus una] Jovis sidus amicum et propitium ob suam temperiem. Plin. II. 8. 'Saturni sidus gelidæ ac rigentis naturæ.' Et paulo post de Jove ait, 'Martis ardore nimio, et rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Jovem, salutaremque fieri.' Macrob. de Somn. Scip. I. 19. investigat cur Martis et Saturni stellæ noxiæ dicantur et maleficæ; cur e contrario magna Jovis ac Veneris benignitas inter Genethliacos habeatur: et rationem affert deductam e numeris, quam apud unum Ptolemæum reperiri affirmat ibidem.

Frangimus] Benignus Jovis aspectus avertit ac discutit malignitatem Saturni alias valde nocituri.

51 *Nescio quod certe est, &c.*] Quodcumque tandem sit e sideribus amicantibus, quod nostræ præfuit nativitati, vitæque nostræ partes ac tempora similia facit, certum est aliquod ex illis nobis affulsisse, ab eo nos regi, alterum alteri attemperari, et fieri nos per illud in omnibus simillimos et conjunctissimos. Vult Casaubonus mentem non esse Persii, horoscopum eundem ipsi et Cornuto

Mille hominum species, et rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, et pallentis grana cumini:

accommodat. Millenæ sunt *hominum formæ, et varius rerum usus. Suam habet quisque voluntatem, nec vita ducitur eodem desiderio. Ille sub sole novo Italicis mercibus commutat piper scabrosum, et frustula cumini pallidi. Iste cibis ingurgi-*

NOTÆ

fuisse, qui diversæ fuerint ætatis, sed videri duntaxat, ob similitudinem inter eos morum ac vitæ summam. Verum strenue repugnat Marcilius, ostenditque variis exemplis, non coævos idem tamen dici habuisse natalitium sidus: ut Hermodorum ac Demosthenem; Archilochum et Pindarum, &c. Quicquid sit, saltem constat potuisse pares siderum aliquot aspectus occurrere in natalibus Cornuti et Persii, quamvis ætate non æqualium: et hoc sufficit ad explicandum commode satis locum hunc Auctoris nostri. Nam primo de Libra et Geminis, nulla est difficultas. Deinde quid vetat etiam Jovem, qui intra duodecim annorum spatium, quo periodum absolvit, bis peculiarem sibi domum ingreditur, ubi multum prævalet adversus Saturnum?

52 *Mille hominum species*] Jam Persius, per comparationem dissimilium, singulare Cornuti vitæ virtutisque genus commendare aggreditur. *Mille hominum species, &c.* Id est, varia sunt hominum studia, diversa genera atque instituta vitæ. Horat. l. II. Serm. Sat. 1. 'Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia.'

53 *Velle suum cuique est, &c.*] Pro diversitate animorum ac judiciorum alius aliam artem et exercitationem sectatur. Cassiodor. 'Quot homines, tot sententiæ, et unicuique mos suus est.' Virgil. Ecl. II. 'Trahit sua quemque voluptas.'

Nec voto vivitur uno] Ut diversæ mentes, sic diversa consilia propositaque. Lucilius: 'Quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet.'

54 *Mercibus hic Italis, &c.*] Quidam negotiantur apud exteras gentes, et ad eas deportant merces ex Italia. Horat. Epist. I. 1. 'Impiger extremos curris mercator ad Indos.'

Mutat] Ante usum æris, per rerum commutationem mercatura fiebat. Testis Plin. qui mercaturas a Pœnis inventas ait l. VII. c. 56. et l. XXXIII. c. 1. 'Utinam,' inquit, 'totum e vita posset abdicari aurum, sacra fames, ad perniciem vitæ repertum. Quantum feliciore ævo, cum res ipsæ permutabantur inter se, sicut et Trojanis temporibus factitatum, Homero credi convenit. Ita enim, ut opinor, commercia victus gratia inventa,' &c. Lege Alex. ab Alex. IV. 15.

Sub sole recenti] In Orientali Regione, ubi sol hemisphærium ascendens renasci quotidie videtur. Casaubonus hic unus Alexandriam urbem notat, quasi inde Romani solerent merces petere; sed quo jure hoc affirmat? Quin potius Horatium Sat. I. 4. Persius imitatur, 'Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio.'

55 *Rugosum piper*] Quod ab Indis petitur, quod gignunt arbores juniperis nostris similes, quod a sole tor-

Hic satur irriguo mavult turgescere somno:
Hic Campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris: sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi:

satur amat augescere somno irriguo: ille Campo Martio delectatur: istum absumit ludus: hic in Venerem est solutus. At quando chiragra calculosa fregerit manum

56 est, in Ms. R. deest; et is a manu secunda. In Ven. putris. at cum C.

NOTÆ

senta rugas contraxit. Plin. XII. 7.

Pallentis grana cumini] Synecdoche. Species pro genere. Id est, varia aromata in Indiis nascentia.

Pallentis] Quippe comentibus pallorem ingenerat, ut habet Plin. XX. 14. *Horatius Epist.* I. 19. ita stultos imitatores deridet: 'Quod si Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.'

56 *Hic satur, &c.*] Ille inhiat lucro, hic otio et voluptatibus indulget.

Irriguo mavult turgescere somno] Resoluti et dispersi a cerebro humores crassi, post crapulam inprimis, obturant meatus, obruunt sensus, et somnum faciunt, quo pinguescit corpus. Virgil. *Æneid.* III. '*Fessos sopor irrigat artus.*'

57 *Hic Campo indulget*] Hic se dat ambitioni, et quærendis honoribus, qui obtinentur et dantur per suffragia populi in Campo Martio congregati: vel, gaudet exercitiis illic assuetis. Horatius ad Pisones: 'Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.' Nimirum post ejectos Tarquinios, campus hic qui illorum fuerat, Marti consecratus est. In eo Romana se juventus exercebat; ibi etiam habebantur comitia creandis Magistratibus. Tit. Liv. II. 5. Alex. ab Alexand. III. 23.

Alea decoquit] Rem familiarem exedit, facultates absumit, inopem reddit. Herodotus (ut notavi Satir. III. vs. 46.) inventam ait aleam, per annonæ difficultatem, a Lydis, ad discutiendam famem. Porro decoctores dicebantur, qui cum solvendo non essent, versuram faciebant. Horat. Epist. I. 18. 'Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat.'

58 *Ille in Venerem est putris*] Libidine et nimio infamis voluptatis usu sic enervatur, ut etiam putidos contrahat morbos. Hippocrates, Celsus, alii. Hinc facit quod Casaubonus, et alii quidam legunt, *in Venerem putret*, id est, putrescit. Vel simplex est imitatio Horat. Od. I. 36. 'Omnes in Damalim putres Deponent oculos.'

Lapidosa chiragra] Ἡ ἄγρα τῆς χειρὸς, quasi manus vinculum seu captatio: morbus articularis, quo tenentur manus captæ veluti ac irretitæ.

59 *Fregerit articulos*] In articulis digitorum calculi, lapilli, nodi generantur e crassis humoribus concreti, quibus cruciantur arthritici, digiti quandoque distorquentur manusque, et quasi franguntur. Horatius autem l. II. Sat. 7. 'Postquam illi justa chiragra Contudit articulos.' Et Epist. I. idem Horatius vocat *nodosam chiragram.*

Veteris ramalia fagi] Cum senectus et luxuriosa vita debilitarint hominem, qui est similis arbori inversæ; et cum ejus membra tam inutilia et arida fecerint, quam sunt rami arboris se[illegible]

Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis juvat impallescere chartis.
Cultor enim juvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc, juvenesque senesque,

velut *ramos annosæ fagi, tum dolent præposteri dies caliginosos, et fœdum tempus præteriisse, et vitam sibi deinceps residuam. Tu vero delectaris pallorem contrahere libris noctu* legendis. *Nam adolescentum institutor, Cleanthis fructum ingeris auribus defæcatis. Istinc*, o *juvenes*, pariter *et senes, quærite stabilem*

Melius *Cheragra* quam *chiragra* ob metrum. *Casaubon.*—60 *Tum crassos* Edd. plur.—64 *pueriq.* Ms. Gal. et C.

NOTÆ

60 *Tunc crassos transisse dies*] Tum dolent annos transactos in turpi cæcitate, in crassis tenebris, sine ulla virtutis aut veritatis cognitione: quæ duo sunt animi cibus ac veræ deliciæ. S. Aug. 'Quid magis desiderat anima, quam veritatem?'

Lucemque palustrem] In libidinum sordibus ac luto; an et in balneis, ubi aër crassus et impurus, qualis palustrium locorum?

61 *Seri*] Cum jam nullus medendi locus.

Vitam ingemuere relictam] Jam lugent quod olim peccarunt; et senes facti ac debiles dolent vitam sibi superstitem esse velut ad ferendas tot ægritudines ac miserias, quæ luxuriam sequuntur: damnant igitur errores et flagitia prioris vitæ, dolent quod obscuri et inglorii egerint; at sero.

62 *At te nocturnis, &c.*] Tu vero, Cornute, contemtor divitiarum, honorum, voluptatum, totus sapientiæ studio diu noctuque incumbis; quin et studiosi laboris ac vigiliarum tuarum fructus cum aliis ultro et liberaliter communicas.

Nocturnis juvat impallescere chartis] Pallorem contrahere, incumbendo libris et assiduæ lectioni, etiam ad lychnum, et noctu. Horat. Epist. ad Pisones: 'Vos exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna.'

63 *Cultor enim juvenum*] Bonis ac sedulis institutionibus, ad virtutem et honestatem juvenes incitas ac formas. Quo laudabilius nihil est aut fructuosius. Cic. II. de Divinat. c. 4. 'Quod enim,' inquit, 'munus Reipublicæ afferre majus meliusve possumus, quam si doceamus atque erudimus juventutem?' Et Tuscul. Quæst. II. n. 13. 'Cultura animi Philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.'

Purgatas inseris aures] Postquam vitiis purgasti, præcepta morum et virtutum ornamenta ingeris et conaris inducere in discipulorum animum, si modo culturæ patientem commodarint aurem, ut habet Horat. l. I. Epist. 1. Namque ut est ibidem, 'Virtus est, vitium fugere; et sapientia prima, Stultitia caruisse.'

64 *Fruge Cleanthea.*] Philosophia Morali, quam Cleanthes Zenonis discipulus et successor docuit, cum magna Atheniensium utilitate. Is, urgente inopia, noctu suam operam locabat tum hauriendæ aquæ, tum pinsendis panibus, ut liceret interdiu

Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.
Nescio quod certe est, quod me tibi temperat, astrum.

fidelibus exorta partitur in duos congruentia geminorum fata: et malignum Saturnum pariter nostro Jove temperamus. Est profecto nescio quod sidus, quod me tibi

nonnulli. *Casaubon.*—49 *facta* Ms. Gal.

NOTÆ

48 *Parca tenax veri*] Fatum ineluctabile: indeclinabilis rerum series, ut ait Chrysippus. Deæ fatorum a Poëtis finguntur sorores tres, Clotho, Lachesis, Atropos. 'Prima orditur,' inquit Sidonius, 'secunda texit, tertia finit.' Virgil. Ecl. IV. 'Talia sæcla, suis dixerunt, currite, fusis Concordes stabili fatorum Numine Parcæ.'

Seu nata fidelibus hora] Hora qua fideles amici nascuntur, æqualiter nobis partitur omnia.

49 *Geminos*] *Gemini* Castor et Pollux, quos magna concordia vixisse, regnasseque, et inter sidera relatos fabulantur. Aiunt porro Astrologi sub Geminis et Libra natos amicos fieri, et consentire in studiis et affectionibus. Manil. l. II. de Geminis sic habet, 'Magnus erit Geminis amor et concordia duplex.' De Libra vero, ibid. 'Quosque dabunt chelæ (id est, *Libra*) et quos dat Aquarius ortus, Unum pectus habent, fideique immobile vinclum.' Et l. V. 'Felix æquato genitus sub pondere Libræ.'

Duorum] Quidam legunt, *Deorum*, scilicet Castoris et Pollucis. Utrovis modo legas, perinde est.

50 *Saturnumque gravem*] Infestum sidus et noxium ob frigiditatem, siccitatem, et tarditatem. Horat. l. II. Od. 17. citatis jam: 'Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit.' Propertius l. IV. Eleg. 1. 'Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis, Et grave Saturni sidus in omne caput.' Juvenal. Sat. VI. 'Quid sidus triste minetur Saturni.'

Nostro Jove frangimus una] Jovis sidus amicum et propitium ob suam temperiem. Plin. II. 8. 'Saturni sidus gelidæ ac rigentis naturæ.' Et paulo post de Jove ait, 'Martis ardore nimio, et rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Jovem, salutaremque fieri.' Macrob. de Somn. Scip. I. 19. investigat cur Martis et Saturni stellæ noxiæ dicantur et maleficæ; cur e contrario magna Jovis ac Veneris benignitas inter Genethliacos habeatur: et rationem affert deductam e numeris, quam apud unum Ptolemæum reperiri affirmat ibidem.

Frangimus] Benignus Jovis aspectus avertit ac discutit malignitatem Saturni alias valde nocituri.

51 *Nescio quod certe est, &c.*] Quodcumque tandem sit e sideribus amicantibus, quod nostræ præfuit nativitati, vitæque nostræ partes ac tempora similia facit, certum est aliquod ex illis nobis affulsisse, ab eo nos regi, alterum alteri attemperari, et fieri nos per illud in omnibus simillimos et conjunctissimos. Vult Casaubonus mentem non esse Persii, horoscopum eundem ipsi et Cornuto

Mille hominum species, et rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, et pallentis grana cumini:

accommodat. Millenæ sunt *hominum formæ, et varius rerum usus. Suam habet quisque voluntatem, nec vita ducitur eodem desiderio. Ille sub sole novo Italicis mercibus commutat piper scabrosum, et frustula cumini pallidi. Iste cibis ingurgi-*

NOTÆ

fuisse, qui diversæ fuerint ætatis, sed videri duntaxat, ob similitudinem inter eos morum ac vitæ summam. Verum strenue repugnat Marcilius, ostenditque variis exemplis, non coævos idem tamen dici habuisse natalitium sidus: ut Hermodorum ac Demosthenem; Archilochum et Pindarum, &c. Quicquid sit, saltem constat potuisse pares siderum aliquot aspectus occurrere in natalibus Cornuti et Persii, quamvis ætate non æqualium: et hoc sufficit ad explicandum commode satis locum hunc Auctoris nostri. Nam primo de Libra et Geminis, nulla est difficultas. Deinde quid vetat etiam Jovem, qui intra duodecim annorum spatium, quo periodum absolvit, bis peculiarem sibi domum ingreditur, ubi multum prævalet adversus Saturnum?

52 *Mille hominum species*] Jam Persius, per comparationem dissimilium, singulare Cornuti vitæ virtutisque genus commendare aggreditur. *Mille hominum species, &c.* Id est, varia sunt hominum studia, diversa genera atque instituta vitæ. Horat. l. II. Serm. Sat. 1. 'Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia.'

53 *Velle suum cuique est, &c.*] Pro diversitate animorum ac judiciorum alius aliam artem et exercitationem sectatur. Cassiodor. 'Quot homines, tot sententiæ, et unicuique mos suus est.' Virgil. Ecl. II. 'Trahit sua quemque voluptas.'

Nec voto vivitur uno] Ut diversæ mentes, sic diversa consilia propositaque. Lucilius: 'Quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet.'

54 *Mercibus hic Italis, &c.*] Quidam negotiantur apud exteras gentes, et ad eas deportant merces ex Italia. Horat. Epist. I. 1. 'Impiger extremos curris mercator ad Indos.'

Mutat] Ante usum æris, per rerum commutationem mercatura fiebat. Testis Plin. qui mercaturas a Pœnis inventas ait l. VII. c. 56. et l. XXXIII. c. 1. 'Utinam,' inquit, 'totum e vita posset abdicari aurum, sacra fames, ad perniciem vitæ repertum. Quantum feliciore ævo, cum res ipsæ permutabantur inter se, sicut et Trojanis temporibus factitatum, Homero credi convenit. Ita enim, ut opinor, commercia victus gratia inventa,' &c. Lege Alex. ab Alex. IV. 15.

Sub sole recenti] In Orientali Regione, ubi sol hemisphærium ascendens renasci quotidie videtur. Casaubonus hic unus Alexandriam urbem notat, quasi inde Romani solerent merces petere; sed quo jure hoc affirmat? Quin potius Horatium Sat. I. 4. Persius imitatur, 'Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio.'

55 *Rugosum piper*] Quod ab Indis petitur, quod gignunt arbores juniperis nostris similes, quod a sole tor-

Hic satur irriguo mavult turgescere somno:
Hic Campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris: sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi;

tatus amat saginari somno irrigante: ille Campo Martio *delectatur: istum absumit ludus: hic in Venerem est solutus. At quando chiragra calculosa solverit membra*

58 *est,* in Ms. R. deest; et *is* a manu secunda. *In Ven. putris, et cum* C.

NOTÆ

rente rugas contrahit. Plin. XII. 7.

Pallentis grana cumini] Synecdoche. Species pro genere. Id est, varia aromata in Indis nascentia.

Pallentis] Quippe sumentibus pallorem ingenerat, ut habet Plin. XX. 14. Horatius Epist. I. 19. ita stultos imitatores deridet: 'Quod si Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.'

56 *Hic satur, &c.*] Ille inhiat lucro, hic otio et voluptatibus indulget.

Irriguo mavult turgescere somno] Resoluti et dispersi a cerebro humores crassi, post crapulam inprimis, obturant meatus, obruunt sensus, et somnum faciunt, quo pinguescit corpus. Virgil. Æneid. III. 'Fessos sopor irrigat artus.'

57 *Hic Campo indulget*] Hic se dat ambitioni, et quærendis honoribus, qui obtinentur et dantur per suffragia populi in Campo Martio congregati: vel, gaudet exercitiis illic assuetis. Horatius ad Pisones: 'Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.' Nimirum post ejectos Tarquinios, campus hic qui illorum fuerat, Marti consecratus est. In eo Romana se juventus exercebat; ibi etiam habebantur comitia creandis Magistratibus. Tit. Liv. II. 5. Alex. ab Alexand. III. 23.

Alea decoquit] Rem familiarem exedit, facultates absumit, inopem reddit. Herodotus (ut notavi Satir. III. vs. 48.) inventam ait aleam, per annonæ difficultatem, a Lydis, ad discutiendam famem. Porro decoctores dicebantur, qui cum solvendo non essent, versuram faciebant. Horat. Epist. I. 18. 'Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat.'

58 *Ille in Venerem est putris*] Libidine et nimio infamis voluptatis usu sic enervatur, ut etiam putidos contrahat morbos. Hippocrates, Celsus, alii. Huc facit quod Casaubonus, et alii quidam legunt, *in Venerem putret,* id est, putrescit. Vel simplex est imitatio Horat. Od. I. 36. 'Omnes in Damalim putres Deponent oculos.'

Lapidosa chiragra] 'Η ἄγρα τῆς χειρὸς, quasi manus vinculum seu captatio: morbus articularis, quo tenentur manus captæ veluti ac irretitæ.

59 *Fregerit articulos*] In articulis digitorum calculi, lapilli, nodi generantur e crassis humoribus concreti, quibus cruciantur arthritici, digiti quandoque distorquentur manusque, et quasi franguntur. Horatius autem l. II. Sat. 7. 'Postquam illi justa chiragra Contudit articulos.' Et Epist. I. idem Horatius vocat *nodosam chiragram.*

Veteris ramalia fagi] Cum senectus et luxuriosa vita debilitarint hominem, qui est similis arbori inversæ; et cum ejus membra tam inutilia et arida fecerint, quam sunt rami arboris annosæ et emorientis.

Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.
  At te nocturnis juvat impallescere chartis.
Cultor enim juvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc, juvenesque senesque,

velut *ramos annosæ fagi, tum dolent præposteri dies caliginosos, et fœdum tempus præteriisse, et vitam sibi deinceps residuam. Tu vero delectaris pallorem contrahere libris noctu* legendis. *Nam adolescentum institutor, Cleanthis fructum ingeris auribus defæcatis. Istinc,* o *juvenes,* pariter *et senes, quærite stabilem*

Melius *Cheragra* quam *chiragra* ob metrum. *Casaubon.*—60 *Tum crassos* Edd. plur.—64 *pueriq.* Ms. Gal. et C.

NOTÆ

60 *Tunc crassos transisse dies*] Tum dolent annos transactos in turpi cæcitate, in crassis tenebris, sine ulla virtutis aut veritatis cognitione: quæ duo sunt animi cibus ac veræ deliciæ. S. Aug. 'Quid magis desiderat anima, quam veritatem?'

Lucemque palustrem] In libidinum sordibus ac luto; an et in balneis, ubi aër crassus et impurus, qualis palustrium locorum?

61 *Seri*] Cum jam nullus medendi locus.

Vitam ingemuere relictam] Jam lugent quod olim peccarunt; et senes facti ac debiles dolent vitam sibi superstitem esse velut ad ferendas tot ægritudines ac miserias, quæ luxuriam sequuntur: damnant igitur errores et flagitia prioris vitæ, dolent quod obscuri et inglorii egerint; at sero.

62 *At te nocturnis, &c.*] Tu vero, Cornute, contemtor divitiarum, honorum, voluptatum, totus sapientiæ studio diu noctuque incumbis; quin et studiosi laboris ac vigiliarum tuarum fructus cum aliis ultro et liberaliter communicas.

Nocturnis juvat impallescere chartis] Pallorem contrahere, incumbendo libris et assiduæ lectioni, etiam ad lychnum, et noctu. Horat. Epist. ad Pisones: 'Vos exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna.'

63 *Cultor enim juvenum*] Bonis ac sedulis institutionibus, ad virtutem et honestatem juvenes incitas ac formas. Quo laudabilius nihil est aut fructuosius. Cic. II. de Divinat. c. 4. 'Quod enim,' inquit, 'munus Reipublicæ afferre majus meliusve possumus, quam si doceamus atque erudimus juventutem?' Et Tuscul. Quæst. II. n. 13. 'Cultura animi Philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.'

Purgatas inseris aures] Postquam vitiis purgasti, præcepta morum et virtutum ornamenta ingeris et conaris inducere in discipulorum animum, si modo culturæ patientem commodarint aurem, ut habet Horat. l. I. Epist. 1. Namque ut est ibidem, 'Virtus est, vitium fugere; et sapientia prima, Stultitia caruisse.'

64 *Fruge Cleanthea.*] Philosophia Morali, quam Cleanthes Zenonis discipulus et successor docuit, cum magna Atheniensium utilitate. Is, urgente inopia, noctu suam operam locabat tum hauriendæ aquæ, tum pinsendis panibus, ut liceret interdiu

Finem animo certum, miserisque viatica canis.
'Cras hoc fiet.' Idem cras fiet. 'Quid? quasi magnum,
Nempe diem donas?' Sed cum lux altera venit,

mentibus scopum et commeatus senectuti ærumnosæ. Illud faciam die crastina, inquis. *Crastina die idem facies,* inquam ego. *Ecquid? Concedis* mihi unam *dieculam scilicet velut* aliquid *grande? At quando illuxit dies postera, jam contri-*

66 *idem cras fiat* Ms. R. et C.

NOTÆ

vacare sapientiæ studio, apud Zenonem, cujus etiam dicta, deficiente papyro, boum ossibus ac testis inscribebat. Improbo et pertinaci labore superabat ingenii sui tarditatem, quæ fecit aliquando ut per ludibrium, asinus vocaretur. Nec abnuebat ille, immo Zenonis sarcinam ferre se posse, aiebat. Cum vero alias probro illi verteretur, quod timidus esset; at ideo, inquit, minus pecco. Hæc et alia de Cleanthe Diogen. Laërt. l. VII. et Tull. ejus meminit de Natura Deorum, l. I. num. 37. Item Valer. Maxim. VIII. 7.

Petite hinc] E Philosophia Stoica, vel e Cornuti disciplina petite bene vivendi rationem et modum: *finem animo certum,* beatam vitam; honestatem, virtutem; rectum et stabile propositum: quod, ut ait Horatius l. I. Epist. 1. 'Æque pauperibus prodest, locupletibus æque, Æque neglectum pueris senibusque nocebit.' Et eodem l. I. Epist. 2. 'Certum voto pete finem.'

65 *Miserisque viatica canis*] Solatia et præsidia, quæ prosint in senectute, quam nunquam non comitantur miseriæ, inopia, dolores, &c. ad quæ ferenda facilius Pholosophia non parum juvat. Hinc M. Tull. Ciceronis consolatio, item Boëtii.

Viatica] *Viaticum* dicitur id omne quod ad faciendum iter opus est et necessarium. Unde innuit Persius, nos peregrinari velut in vita hac, et ad aliquid aliud tendere. Apud Laërtium l. I. Bias Prieneus monet, viaticum ab adolescentia ad senectutem sapientiam esse comparandam, quippe cum ea sola sit certa veraque possessio. Et Tull. de Senect. n. 9. ait, 'Aptissima omnino sunt arma senectutis, artes exercitationesque virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cum multum diuque vixeris, mirificos afferunt fructus, non solum quia nunquam deserunt, ne extremo quidem tempore ætatis (quanquam id maximum est), verum etiam quia conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio jucundissima est.'

Canis] Id est, capillis canescentibus, qui contingunt senescenti; quanquam refert Plin. VII. 2. Indos quosdam in juventa candido esse capillo, qui in senectute nigrescat.

66 *Cras hoc fiet*] Fingit Persius ignavum aliquem adolescentem sibi respondere: etiam, verum est quod mones; at expecta paululum; cras faciam, et sapientiæ studium amplectar; finem animo certum constituam, &c.

Idem cras fiet] Instat Persius; atenim cum illuxerit dies crastina, o piger, facies et dices iterum id quod mihi dicis hodie, quodque pridem facis. Lege S. August. Confess. VIII. 10. et 11. Martial. Epig. V. 59. 'Cras te victurum, cras dicis, Posthume, semper. Dic mihi cras illud, Post-

Jam cras hesternum consumsimus : ecce aliud cras
Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, et in axe secundo.

vimus cras hesternæ diei ; *en aliud cras protrudit hos annos, et aliquantulum ulterius continuo erit.* Tu *enim quando* velut *rota posterior, et in altero axe converteris, incassum* tamen *prosequeris orbile licet tibi proximum,* et *licet volvens sese sub*

NOTÆ

hume, quando venit? Quam longe cras istud ubi est, aut unde petendum? Numquid, &c.—Cras vives : hodie jam vivere, Posthume, serum est. Ille sapit quisquis, Posthume, vixit heri.'

Quid? quasi magnum, Nempe diem donas] Reponit ignavus juvenis, tantine est vel unam differre diem, quam et largiri dubitas?

67 *Sed cum lux altera venit*] Immo, inquit Persius, nec una die differre te volo. Sin autem crastinum expectas, nihil omnino facies ; et pariter differendo, dies altera consumta erit ac perdita.

69 *Egerit hos annos*] *Egerit*, ab *egerere*, non ab *ago :* id est, expellit, emittit. Sensus est, una dies integros annos trahit procrastinando, exhaurit, absumit. Horat. Od. II. 18. 'Truditur dies die, Novæque pergunt interire Lunæ.'

Et semper paulum erit ultra] Erit semper paululum temporis ultra illud crastinum, quod petisti. Quocirca consumes ætatem sensim senescendo : singulis diebus rogabis adhuc unam diem duntaxat velut aliquid non magnum tibi donari ; sic nunquam differre desines, donec oppressus annis, senio, doloribus, cum Phrygibus sero sapiens, eas omnes miserias experiere, quas prædixi, et *tunc crassos transisse dies* frustra dolebis, &c.

70 *Nam quamvis prope te, &c.*] Priorem sententiam Persius confirmat a simili ; quasi diceret : aspice in curru seu rheda binos axes uni temoni annexos, quibus suæ rotæ circumvolvuntur : quæro utrum rota posterioris axis et ordinis attingere aliquando possit rotam axis prioris? Minime certe. Ita prorsus dies hodierna non assequetur unquam crastinum illud, quo te sapere velle spondes et prædicas.

Prope te] Dies enim hodierna crastinæ conjuncta est.

Temone sub uno] Totum vitæ tempus diebus continuis comprehenditur : hodie et cras pariter se consequuntur, et uni vitæ spatio annectuntur, sicut temoni axis prior et posterior.

Temone] *Temo* est lignum illud oblongum in curru, cujus extremitati jugum alligatur.

71 *Canthum*] Circulus est ferreus, quo rotæ orbile seu curvatura cingitur ac munitur, et quo tota compages constringitur. Vox peregrina et Barbara, seu Afra seu Hispana, qua tamen velut recepta in Latio utitur Persius, ut observat Quintil. I. 5. Ponitur hic pro rota, per synecdochen. Sic et Martial. Epig. XIV. 168. 'Inducenda rota est, das nobis utile munus. Iste trochus pueris ; at mihi canthus erit.'

72 *Cum rota posterior curras, &c.*] Quamdiu tu diem hodiernum agis, quo nondum vis mores corrigere, cui re-

Libertate opus est, non hac, quam ut quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far

eodem temone. Libertas necessaria est, non illa per *quam statim atque quilibet Publius manumissus est, frumentum corruptum obtinet per tesseram Velinam.*

73 *hac ut quisque* Edit. Steph. et C. *hac quam quique* Ms. R. *hac qua quisque* Edd. quæd.

NOTÆ

spondent axis secundus et rota posterior; nunquam attinges diem illum crastinum, quo statuis meliora, qui significatur per rotam priorem, quæ volvitur semper ante posteriorem, neque unquam attingitur ab ea, quamvis ei proxima.

73 *Libertate opus est*] Obstinatum in vitiis juvenem aggreditur Persius nova quadam et subtili ratione, scilicet libertatis amore ac necessitate: et ex occasione tractat eleganter et fuse paradoxum illud Stoicorum: solos sapientes esse liberos: de quo et Tull. parad. 5.

Non hac] Ergone, o Romani adolescentes, libertatem adeo jactatis, dum servi estis cupiditatum ac vitiorum? An vobis videmini satis esse ac vere liberi et ingenui, modo libertatem duntaxat civilem possideatis, qualem sibi vindicat ostentatque servus heri vel hodie manumissus? Immo libertate animi opus est, nec aliter quisquam liber et ingenuus censeri debet. Tertull. lib. de Resurr. 'Libertate opus est ad virtutem, inquit Persius, non ea qua servi donantur, et ascribuntur uni Tribuum, puta Velinæ.'

Ut quisque Velina, &c.] Statim ac in libertatem assertus quisque in aliquam e Romanis Tribubus transcribebatur, v. g. Esquilinam, Palatinam, Velinam: tum jure publico gaudebat, et communibus civium emolumentis; qualis est annona, seu frumentatio. Triplex libertatis genus lege apud Alex. ab Alex. XIV. 10.

Velina] 'Qui Velinum circa lacum habitabant, Romam translati sunt; et Velina tribus numero aliarum accessit.' Vett. Gloss. Vide Alex. ab Alex. I. 17.

74 *Publius emeruit*] Quasi tempore servitutis exacto, libertatem merito suo consecutus, Patroni sui prænomen (ut fit) assumit, quod servi nullum habebant: et dictus v. g. Publius Licinius Velina. *Emeruit*. Metaph. a militibus, qui honesta de causa mittuntur domum, et immunes fiunt deinceps a bellando.

Scabiosum far] Immundum, putre, gurgulionibus exesum. Forte intelligit panem acerosum, sordidum, caninum. Legunt alii, *scabrosum*, id est, asperum, vile, præ vetustate rugosum.

Tesserula far possidet] 'Qui ex manumissione cives Romani efficiebantur, in numero civium Romanorum frumentum publicum accipiebant.' Vett. Gloss. et quidem gratis, ex lege lata a Publio Clodio Tribuno Plebis, Pisone et Gabinio Consulibus, ut notat Pædianus ad Orat. Tullii in Pisonem. Scilicet annonæ Procurator magnam quotannis frumenti vim colligebat, et erogabat iis pauperibus qui tesseram seu notam ante datam repræsentarent, qua cives Romanos esse constaret. In ea scribebatur nomen hominis et Tribus, v. g. Pub-

Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama est non tressis agaso,
Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit

Eheu veritate vacui vos, apud quos unica circumactio efficit Romanum! Ille est Dama, non mulio trium assium, vappa, et lippus, et fraudulentus in exigua farragine. Illum dominus circumagat, puncto circumactionis prodit Marcus Dama.

78 *momento temporis* Ms. R. et C.

NOTÆ

lius, Velina, id est, e Velina Tribu. Casaub. Tesseram illam fuisse ligneam, nimirum e ligustris, colligere licet e Plinio xvi. 18. Tesserarum et frumenti populo dati meminit et Suetonius in Augusto cap. 41. et 42. Item in Domitiano. Vide Lipsium Elect. i. 8.

75 *Heu steriles veri*] Quam longe distatis ab eo quod verum est! Quam turpiter aberratis et hallucinamini! Quam vestra vos fallit mens et opinio!

Quiritem] Cives Romani a Quirino *Quirites* dicti. Hic abusive nomen hoc usurpatur, ut notant vett. Gloss.

76 *Una vertigo facit*] Manumissurus servum dominus coram Prætore eum sistebat; mox in orbem circumactum dimittebat, ac suæ velut relinquebat potestati, his verbis, *hunc esse liberum volo.* Appian. Alex. ab Alex. iv. 10. Plaut. Menæch. Scen. 19. 'Liber esto, atque ito quo voles.'

Hic Dama est] Verumenimvero, inquies, hic etsi modo servus fuit, at jam sui juris est; et Marcus Dama appellatur. Vel, ut ait Autumnus non perperam, hic servus est frugi, non, ut ceteri, pravus et vilis.

Dama] Servile nomen. Vide infra, vs. 161. ad vocem *Davœ.* Horat. Sat. ii. 7. 'Prodis ex Judice Dama Turpis.' Observat Casaubonus inter nomina servilia fuisse quædam honestiora, a quibus liberi non abhorrerent, quamvis magna esset in nominibus apud Romanos ambitio. Hinc est quod magnifice hic, *Dama*, vocatur, et paulo post repetetur, *Marcus Dama.*

Non tressis agaso] Non est homo nullius pretii aut industriæ, nec infimæ sortis ac ministerii, qualis jumentorum curator.

77 *Vappa, lippus*] Non corruptus et nequam, velut vappescens vinum: nec imperitus ac animo cæcutiens, similis ei qui lippos habet oculos et male affectos. Horat. Sat. i. 1. 'Non ego avarum Cum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.'

Et in tenui farragine mendax] Neque est fraudulentus in minutis etiam rebus, et ex genere eorum qui jumentis, quæ curant, pabula mentiuntur data, cum tamen ea furto subripere soleant. 'Farrago est,' inquit Festus, 'quod ex pluribus satis, pabuli causa, datur jumentis.' Plin. xviii. 16. ait, ex Catone, idem olim fuisse quod ocymum. Varro de Re Rust. i. 31. dicit esse pabulum, quo jumenta verno tempore purgantur et saginantur. Virgil. Georgic. iii. 'Tum demum crassa farragine corpus Crescere jam domitis sinito.'

78 *Verterit hunc dominus*] Ex more et ritu manumissionis, de quo supra.

Momento turbinis exit Marcus Dama]

Marcus Dama. Papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit: ita est. Assigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas: hoc nobis pilea donant.
'An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam

Papæ! Marco satisdante, tu renuis committere pecuniam? Times sub Marco judice? Marcus affirmat, sic se res habet: o Marce, tabulis subscribe. Illa est vera libertas: illam nobis concedit pileus. Estne aliquis alius sui juris, præterquam ille,

---

82 *hanc nobis* Edit. Steph. *hæc nobis* Ms. R. *Hoc* omnes scripti habent, non *hanc*. Casaubon.

NOTÆ

Cum primum apprehensus a domino ac rotatus fuerit: post circumactionem aliosque ritus legitimos, repente fit sui dominus, honore dignus et fide, immo et munerum capax.

79 *Marco spondente*] Sæpe repetit hoc prænomen Satiricus, ironice: quippe, ut habet Horat. Sat. II. 5. 'Quinte puta, aut Publi, (gaudent prænomine molles Auriculæ).' Immo et admirationem ironicam addit, *papæ!* Tam bono sponsore ac stipulatore, an recusas pecuniam credere? Scilicet Marco Damæ fidem derogas! &c.

80 *Marco sub judice palles*] Cum sit vir probus, et Judex integerrimus, tu nihilominus times in judicium venire? Obiter hic perstringi corruptionem Romanæ Reipublicæ, apud quam fiebant Judices etiam liberti, observat Casaubonus.

81 *Marcus dixit*] Αὐτὸς ἔφη, ut de Pythagora.

Assigna, Marce, tabellas] Subscribe et signa tanquam testis rogatus. Scilicet apud Romanos adesse testamentis oportebat et subscribere ac signare testes septem, qui cives essent Romani, et puberes. Ut habetur lib. XXI. paragraph. 1. D. de Testamentis.

82 *Hæc mera libertas*] Non alia sane est libertas, quam ea, qua licet prænomen assumere, pro alio stipulari, Magistratum adipisci, testis esse, et fidem habere, quæ omnia sunt negata servis. Hæc etiam Sarcastice.

Pilea donant] Servi nudo capite et promissis capillis incedebant: at cum manumittebantur, raso capite, insigne libertatis pileum accipiebant in Templo Feroniæ Libertatis Deæ. Supra Sat. III. 106. 'Hesterni capite induto subiere Quirites.' Plaut. Amphitr. act. I. scen. 1. vs. ult. 'Faxit Jupiter, ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum.' Cœl. Rhod. XX. 12. ait excusam a Bruto monetam, in qua pugionibus duobus erat impositus pileus: quibus significaretur vindicata ferro libertas. Tit. Liv. XXXIV. 52. 'Præbuerunt,' inquit, 'speciem triumpho capitibus rasis secuti qui servitute exemti fuerant.' Cur autem manumissorum capita raderentur? 'Qui liberi fiebant,' inquit Nonius, 'ea causa calvi erant, quod tempestatem servitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati solent.'

83 *An quisquam est alius liber, &c.*] Etiam argumentari audet Marcus Dama, et syllogismo probare quod affirmavit; *hæc mera libertas.*

Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sim
Liberior Bruto?' Mendose colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc reliquum accipio: *licet* illud et *ut volo* tolle.

cui fas est vitam ducere ad libitum. At *mihi fas est vitam ducere ad arbitrium.* Numquid igitur *non fuero Bruto liberior? Falso concludis, ait ille Stoicus*, habens *aurem purgatam acri aceto.* *Cetera* quidem *illa admitto*, sed *apage* tuum *hoc*

84 *libuit* R. et Gal. Mss. et C.—87 *licet, ut volo, vivere, tolle* Edit. Steph. et quæd. aliæ.

NOTÆ

84 *Cui licet, ut voluit*] Genuina est libertatis definitio, e qua majorem propositionem conficit Marcus. Sic enim Tull. Parad. 5. Item Offic. I. 'Est potestas vivendi ut velis.' Desumtum vero videtur e Laërtio in Zenone, ubi sic habetur: *ἔστιν ἡ ἐλευθερία ἐξουσία αὐτοπραγίας.* Et Epictet. apud Arrian. cap. 1. lib. II. et IV. *ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται.* Pergit Dama; *Licet ut volo vivere.* Et hæc est minor propositio. Ergo, inquit, *non sim liberior Bruto?* Conclusio syllogismi.

85 *Liberior Bruto*] M. Junius Brutus Rempublicam Romanam a Regum servitute ac tyrannide vindicavit, pristinam libertatem restituit: ejusque firmandæ causa, nec propriis pepercit filiis, quos ei insidiantes necavit. Tit. Liv. in fine lib. I. et initio lib. II. Valer. Maxim. V. 8. Flor. I. 9.

Mendose colligis] Redarguitur M. Dama, ejusque syllogismus retexitur, hoc fere modo: transeat propositio: ea quidem bene intellecta certa est. Negatur assumtio; quam tamen ille mox asserere conabitur. Vide infra errorem syllogismi.

86 *Mordaci lotus aceto*] Instructus morali disciplina severiori; vel acri judicio simul et dialectica. Nam ut ait Cicer. de Finibus III. 8. 'Stoicorum subtile fuit vel potius spinosum disserendi genus.'

87 *Hoc reliquum accipio, &c.*] Admitto libertatis definitionem in propositione contentam: inquit Stoicus: non vero cetera. Legunt alii, *Hæc reliqua accipio: licet illud, et, ut volo, tolle.* Alii restituunt, nec sine probabili ratione, *Hæc reliqua accipio: licet, ut volo, vivere, tolle.*

Licet *illud et* ut volo *tolle*] Assumtionem ut falsam amove: hanc ego respuo; et paucis evincam, te non vivere ut vis, et ut libet; nec tibi licere quod optas et quod placet: tu enimvero potius ageris et raptaris quocumque trahunt te cupiditas, libido, aliaque vitia. Unde servum te contendo, liberum pernego. Horat. Sat. II. 7. 'Tu mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque Duceris, ut nervis alienis mobile lignum. Quisnam igitur liber? Sapiens, sibique imperiosus.' Tull. Parad. 5. 'Improbos non ita dicunt esse servos ut mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu, aut aliquo jure civili: sed, si servitus sit, sicut est obedientia fracti animi et abjecti, et arbitrio carentis suo, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat, leges imponit, vetat quod videtur?' &c.

'Vindicta postquam meus a prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?'

licet, et, ut volo. Verum enimvero, *ex quo meus prodii a Prætore,* per *virgam, quare non mihi licitum sit quicquid placuit arbitrio* meo, *excipio si Masurii scrip-*

NOTÆ

88 *Vindicta postquam, &c.*] M. Dama necdum advertens paralogismi sui vitium et errorem: seque a Stoico vapulare, ob æquivocam libertatis acceptionem, pergit argumentari porro a libertate corporis ad animi libertatem: quocirca non sine ludibrio excipitur.

Vindicta] 'Virga est, quæ manumittendi a Prætore in capite pulsantur, ideo dicta, quod eos vindicat libertati.' Vett. Gloss. Titus autem Livius II. 5. ita nuncupatam ait a Vindicio servo, qui primus libertate simul et civitate donatus ob detectam conjurationem. Hinc vero sancitum, ut quoties servus aliquis manumitteretur, caput ejus baculo tangeretur, in memoriam conservatæ Populo Romano per servum libertatis.

Meus a prætore recessi] Mei juris factus sum liber et civis Romanus. Prætor enim servi caput virgula feriens pronuntiabat, *esto liber:* porro qui vindicta manumissus, is una cum libertate civitatem Romanam consequebatur. Tit. Liv. Alex. ab Alex. locis jam citatis lib. IV. cap. 10. &c.

89 *Cur mihi non liceat, &c.*] Adverte arrogantiam et superbiam in verbis Marci Damæ.

90 *Excepto si quid, &c.*] Excipio illa, quæ legibus et jure sunt vetita.

Masuri] 'Masurius hic Sabinus Legis Consultus fuit.' Vett. Glos. Eques erat Romanus, Tiberii Imperatoris tempore, doctrina clarus; ceterum valde pauper. Ejus meminit Agellius V. 19. et alibi. Apud Athenæum lib. XIV. ut vir longe optimus et sapiens legumque Interpres eximius celebratur.

Rubrica] Quid proprie sit *Rubrica*, dixit Sat. I. 'Rubricas vocari minium quo tituli legum annotabantur;' aiunt hic veteres Gloss. et Turneb. IV. 5. scilicet ob similem colorem rubeum. Juvenal. Sat. XIV. 'Perlege rubras Majorum leges.' Neque vero legum tantum, sed et omnium quæ scribebant olim, tituli, capita et initia rubra erant, seu minio seu purpurisso notata. Patet ex Ovid. Trist. lib. I. eleg. 1. 'Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.' Et Martial. Epigramm. III. 2. 'Et cocco rubeat superbus Index.' Quod autem hic Casaubonus de cera miniata comminiscitur, non perperam videtur reprehensum a Marcilio, qui notat eam signationi non scriptioni idoneam. Quid autem? Viro vir occinere non veretur cum Satirico; *Disce! sed ira cadat.* Certe favet Critico adversus Criticum Vitruvius IX. 3. ubi ait Democritum annulo signare solitum ea quæ expertus esset, cera ex milto; id est, minio, seu cera miniata. Nam ut habet Plin. XXXIII. 7. 'Milton Græci vocant minium.' Quid sit etiam cera miniata, et quod notationi et censuræ utilis esset, non scriptioni, aperte declarat Tullius ad Atticum. Sic habet lib. XVI. epist. 11. 'Nostrum opus tibi probari lætor, ex quo ante ipse posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa judicio tuo. Cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam.' Et lib. XV. epist. 14.

Disce! sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.

tura rubra aliquid prohibet? Accipe; at a naribus tuis *recedat indignatio, et irrisio rugis notata, quando expungo tibi de corde antiqua deliria. Ad Prætorem non pertinebat insanis concedere subtilia officia* in *rebus, et donare potestatem vitæ*

NOTÆ

adhuc apertius, cum ait: 'His literis scriptis, me ad *συντάξεις* dedi, quæ quidem vereor ne miniatula cerula tua pluribus locis notandæ sint.'

91 *Disce! sed, &c.*] Assumtionis probationem refellit Philosophus Stoicus: simul vero Damam orat, ne irascatur, dum aperiet ipsi fortasse non placituras veritates: ceterum ne ridendum putet in re tam seria.

Ira cadat naso] Theocritus iratum Pana significare volens, in ejus naso bilem sedere ait, Idyll. I. χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Plaut. Amphitr. Act. IV. Scen. 3. 'Vetustum adagium: fames et mora bilem in nasum conciunt.'

Rugosaque sanna] Ridentis nasus osque corrugari solent. 'Sanna,' inquit Nonius Marcellus, 'os distortum cum vultu.' Vide Sat. I. ad ea verba, *posticæ occurrite sannæ*.

92 *Veteres avias*] Aniles fabulas, opiniones falsas, errores, quales vetulæ filiis ac nepotibus sæpe suggerunt: quales et forte de libertate, avia pridem tua tibi inculcavit. Explicant alii vanam ac ventosam nobilitatis opinionem, qualem fere habebant Romani; et arrogantiam, cujus in pulmone sedes.

De pulmone revello] Hæc licet radicitus inhæreant cordi et animo tuo, si tamen extirpari sinas et expungi, etiam cum aliquo dolore tuo, docebo te distinguere civilem libertatem, communem quidem omnibus, a libertate animi, quæ soli propria est sapienti. Ergo attende.

93 *Non prætoris erat, &c.*] Quærebas modo, o Marce, cur libero tibi ac civi Romano non liceat, &c. En disce: Prætor quod sui fuerat officii præstitit sane, jus Quiritium dedit, a domini potestate vindicavit. Sed liberare te a nexu et servitute cupiditatum ac vitiorum, penes eum non erat. Hoc vero sola præstat Philosophia.

Stultis] Apud Stoicos: *Stulti omnes servi:* item; *Insaniunt omnes præter sapientem*.

Dare tenuia rerum officia] Dare tibi non potuit scientiam rerum bene agendarum, 'recta, recte facta, κατορθώματα, quæ omnes numeros virtutis continent;' ut ait Tullius, III. de Finibus, n. 24.

Tenuia] Minuta certe et subtilia, eoque difficilia. Aristoteles Ethicor. II. 'Quemadmodum non cujusque est invenire centrum circuli, sed tantum Geometræ: sic nec assequi virtutis mediocritatem, nec ad eam pertingere potest, nisi sapiens.' Deinde per singulas rerum, temporum, personarum differentias, videre 'quid deceat, quid non,' ut ait Horatius ad Pisones; dijudicare specialia viri boni officia: in his etiam aliquando laborant vel sapientissimi. Ergo, Masurii rubrica, leges, ostendunt quidem graviora et grandia peccata atque officia: verum *tenuia* ista, de quibus dixi, et quibus tota ferme vita honesta continetur, minime.

94 *Atque usum rapidæ permittere*

Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem,

præcipitis. Caculæ procero facilius accommodabis citharam. Ratio repugnat, et

NOTÆ

vitæ] Te tibi relinquere, idoneo velut ac perito τοῦ ἀνέχειν καὶ τοῦ ἀπέχειν, discernere rectum vitæ rerumque usum, quid fugiendum, quid indulgendum tibi et aliis; nihilque optare, nihil metuere, nisi ex rationis præscripto. Hæc lubrica quidem, rapida, ardua sunt: hæc non confert una Prætoris vertigo, et brevis circumactio; sed longa sedulaque Magistri morum institutio. Is certe postquam in omni virtutum genere diu te exercuerit et affectibus purgarit, te tibi permittere potest, vereque liberum per omnia pronuntiare; non item Magistratus, aut Prætor.

95 *Sambucam citius, &c.*] Facilius sane fuerit efficere ut agrestis servus, qui nec Musicam didicit nec citharas vidit, eas ex arte pulset, quam facere ut Dama rationem sequatur, et tenuia rerum officia norit, et præstet. Proverb. *Asinus ad lyram:* item, *Sambucam caloni.*

Sambucam] Vox Syriaca, inquit Casaubonus. Galli harpam vocant, Turneb. xx. 1. Latini Græcique lyram et citharam, item nablum seu nablium. Musicum est instrumentum triangularis formæ. Athenæus iv. 23. Sambucam lyrophœnicem vocari ait, ejusque inventorem fuisse Ibycum Rheginum. Et xiv. 8. acutum esse ejus sonum, fidibus quatuor tensum primo fuisse. Et c. 9. ejusdem Libri, sambuca primam usam fuisse Sibyllam, atque ita vocatam a Sambyce quodam. Casaub. in Athen. 'Certum est,' inquit, 'vetustissimos Orientis populos eo organo esse usos: inde transiit ad Græcos et res et nomen.' Ejus instrumenti musici meminerunt Propheta Daniel c. 3. Vitruv. l. vi. Spartianus in Adriano, &c. Est etiam *Sambuca* belli instrumentum, quod funibus intenditur, ut chordis cithara: unde nomen. De eo Vitruv. l. x. Plutarch. in Marcelli Vita. Polyb. l. viii. Lips. Poliorcet. l. i. Dialog. 6. Vegetius et alii. Scilicet, e turre prope urbem obsessam extructa, trabs ingens funibus ac trocleis ad muros laxata, erat pro ponte, et per eam transeuntes milites urbem invadebant. Athenæus loco mox citato xiv. 8. ejusdem meminit, aitque *Sambucam* esse machinæ bellicæ genus oppugnandis urbibus idoneum: hostium mœnibus duabus suculis admoveri, et cum erectum fuerit, simile esset navium scalis foras projectis et expansis: Romanorum esse machinam; denique fabricam ejus et formam inventam esse ab Heraclide Tarentino.

Caloni] *Calo* servus militis, cui vallum defert et ligna, Græce κᾶλα; vel ex eo dictus quod ligneam clavam gereret. Festus, Servius. Lignatores Athenæus *Calones* vocat, seu καλοφόρους. Horat. Epist. i. 14. 'Invidet usum Lignorum tibi calo.'

Aptaveris] Prius inserueris crassis manibus hominis agrestis ineptique, licet graciles et agiliores digiti manusque desiderentur tangendis scite ejusmodi instrumentis, hoc, inquam, potius feceris, quam, &c.

Alto] Prægrandis staturæ, qualis in Calonibus amatur, magnæ molis homines sæpe bardi ac soluti. Aristoteles in Physiognom. οἱ ἄγαν μεγάλοι βραδεῖς. Homerus Ulyssem staturæ brevis et prudentiæ magnæ exhi-

Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto

clam in aurem insusurrat, ut licitum non sit agere illud, quod faciendo quispiam corrumpet. Jus commune hominum et natura complectitur istam legem, ut ignorantia impotens abstineat ab actionibus sibi prohibitis. Si *helleborum misces, im-*

96 *garrit* Ms. R.—97 *Non liceat* Ms. Gal. *vitiavit* Ms. R. et C.

NOTÆ

bet, Ajacem vero procerum et stolidiorem: unde Apuleius l. x. 'Præfertur Ulysses modicus Ajaci maximo.'

96 *Stat contra ratio*] Debent enim fabrilia fabri tractare, de bobus arator narrare, nec ultra crepidam sutor, nec quivis alter ultra quam didicit artem. Cic. Tusc. Quæst. I. Athenæus VIII. 10. refert Stratonicum Citharœdum Regi Ptolemæo de citharisandi arte ambitiose disputanti respondisse; *O Rex, aliud est sceptrum, aliud plectrum.*

Et secretam garrit in aurem] Intus, in animo suæ indolis conscio reclamat, monetque Damam semper esse Damam; et servo servilem, abjectum, nequam fore semper animum. Altius interpretationem promit Casaubonus; an et verius? Nimirum Philosophiæ Stoicæ austera ratio clam admonet, quia apud plebem et Proceres male accipitur, suis volentes indulgere cupiditatibus, quod illa vetat. Unde nonnisi subtimide agit, suaque clam proponit dogmata.

Gannit] Legunt alii, *Garrit.* Proprie garriunt aves vulpes autem et canes ganniunt, dum levibus susurris quasi gemunt.

97 *Ne liceat facere, &c.*] Ut nemo sibi negata tentet. Alias enim, quod ait Persius, *vitiabit agendo.* Quod quidem semper accidit imperitis. Pingere aggrediatur faber; lapides secare et aptare rusticus; hortum et florum areolas disponere statuarius; plus nocebit eorum opera, quam juvabit: immo alter alterius opus bene inchoatum disperdet.

98 *Publica lex hominum, &c.*] Expolitio est prioris sententiæ. Hoc est, id non continet rubrica Masurii, nec scripta, sed nata lex nobiscum, adeoque in hoc consentiunt omnes homines, quod et naturæ lumen ostendit, et jure gentium cautum est.

99 *Ut teneat vetitos, &c.*] Ut quisque abstineat a moliendo eo opere, quod agendo ac tentando vitiare continget, ob inscitiam rei, ob imperitiam, adeoque impotentiam ejus præstandæ.

100 *Diluis helleborum*] Exemplis confirmat Stoicus quod dixit. Si pharmacum et periculosum quidem, quale est helleborum, temperare velit ac præparare quispiam Medicæ rei ignarus, adversus eum clamat lex medendi.

Helleborum] Herba est medicinalis, de qua jam ante non semel. Vide Gell. XVII. 15. Et Plin. XXV. 5. ubi recenset hellebori species, vim, usum.

Certo compescere puncto nescius] 'Non ad trutinam, sed ad stateram retulit, quæ punctis et unciis signatur.' Veteres Gloss. Est enim statera, libra sine lancibus.

Nescius examen? vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo

peritus sistere stateram debito termino, ratio medicinæ id prohibet. Si agricola ocreatus sibi navim postulet regendam *non cognoscens Luciferum;* statim *Melicerta exclamabit, nullum* jam *pudorem esse in rebus.* An vero *disciplina tibi con-*

NOTÆ

Certo puncto] Habita diligenter ratione morbi, naturæ viriumque ægrotantis, item medicamenti seu pharmaci, ut certa mensura et proportione, certo pondere misceatur ac detur, alioqui nociturum.

101 *Examen*] Jam diximus esse in statera stylum qui eodem vergit quo pondus inclinat, unde et pro regula est.

Natura medendi] Vel ars quæ est imitatio naturæ; vel potius vis et natura medicinæ. Vult enim naturæ ordo, ut fiant omnia rite ac scite, quod rudes et imperiti præstare nequeunt.

102 *Navem si poscat, &c.*] Alterum exemplum ab imperito rei nauticæ. Horat. Epist. II. 1. 'Navem agere ignarus navis timet,' &c.

Peronatus] Indutus peronibus, qui rustici calcei sunt e crudo corio, vel e pellibus, qui supra genua protenduntur, ad arcendum lutum, nives, imbres. Virgil. Æn. VII. 'Vestigia nuda sinistri Instituere pedis; crudus tegit altera pero.' Juv. Sat. XIV. vs. 186. 'Nil vetitum fecisse volet quem non pudet alto Per glaciem perone tegi, qui summovet Euros Pellibus inversis.'

103 *Luciferi rudis*] Ignorans astra cuivis nota, qualis est φωσφόρος, seu stella Veneris, quæ mane Lucifer, vespere Hesperus vocatur. Nautis certe necessaria Astrologiæ cognitio, inprimis olim, quando nonnisi ad astra noctu navigabatur: at nunc id facilius multo, opertis etiam tempestate sideribus, ad acum magnete illitam a paucis inventam sæculis. Virgil. Æn. III. de Palinuro noctu surgente, 'Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo, Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones, Armatumque auro circumspicit Oriona. Postquam cuncta videt cœlo constare sereno, Dat clarum e puppi signum,' &c.

Melicerta] Deus marinus, qui et Palæmon, et Portunus, eo quod portubus præest. Lege Ovid. Metam. IV. Fab. 12. De eo sic Virgil. Ge. I. 'Votaque servati solvent in littore nautæ Glauco, et Panopeæ, et Inoo Melicertæ.' Huic Isthmii ludi magnis sumtibus a conventu totius Achaiæ fieri consueverant. Vide Alex. ab Alex. V. 8. Fabulam ejus perstrinxit Sanctus Cyprianus, cum dixit, 'Melicerta et Leucothea præcipitantur in maria, et fiunt postmodum maris Numina.'

104 *Perisse frontem de rebus*] Frons pudoris sedes. Horat. Epist. II. 1. 'Clament periise pudorem Cuncti pæne Patres.'

Tibi recto vivere talo ars dedit] Age vero, Marce Dama, dic an didiceris ὀρθοποδεῖν, *recto ire pede:* id est, bene agere in omnibus, nulla viri probi officia prætermittere? Metaphora ab iis, quibus pedes obtorti aut claudi, nec recte possunt incedere. Horat. Epist. II. 1. jam cit. 'Securus cadat, an recto stet fabula talo.'

Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæque sequenda forent, et quæ vitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone, notasti?
Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
Jam nunc astringas, jam nunc granaria laxes?

tulit vitam agere calce directa? An *etiam nosti discernere imaginem veritatis*, et *an aliqua* species *tinnitum edat absurdum*, *ære sub auro* latente. Numquid observasti *tum quæ sectanda essent*, *tum quæ alias fugienda*; atque *illa primo signasti creta*, *deinde hæc carbone?* Esne *moderatus* in *desideriis*, *frugali domo*, *sua-*

****

105 *specimen* Ms. R. Et Bongarsii et Puteani vetera exemplaria omnia *specimen* non *speciem:* utrumque feras: sed melius *speciem*. Casaubon.—106 *ne qua sub ærato.* Apud Priscianum variis locis ita semper distincte; non ut in aliis libris *subærato;* quod Græcorum est ὑπόχαλκον.—107 *quæque*

NOTÆ

Talo] Pars ima pedis *talus;* sive os, quod juxta calcaneum, et ad pedis juncturam.

105 *Ars*] Philosophia, quæ vitæ magistra, lex, regula, passim vocatur; et recte agendi præcepta continet.

Veri speciem dignoscere calles] Quandoquidem primus ad sapientiam gradus est cognitio honesti, dic utrum optime noris discernere similitudinem veri, speciem falsam, ab ipso vero; id quod est honestum, ab eo quod videtur. Nam ut ait Ovidius: 'Et mala sunt vicina bonis; errore sub illo, Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.' Et Horat. ad Pisones: 'Decipimur specie recti.'

106 *Ne qua subærato, &c.*] Ne ulla subsit hypocrisis adeoque mera sit boni species, non ipsum bonum aut verum. *Subærato:* similitudo a nummo adulterino, in quo sub aliqua auri superficie æs absconditum, aut cum auro confusum tinnitu probatur; dignoscitur autem ex sonitu rauco et absurdo.

Mendosum tinniat] Sic enim virtus vera *solidum crepat;* falsa vero *maligne respondet*, ut ante Persius dixit. *Tinniat*, propria vox metallis, quorum exprimit sonitum, quando pulsantur.

107 *Quæque sequenda, &c.*] Hi duo sunt vitæ honestæ cardines, declinare a malo, et facere bonum.

108 *Illa prius creta, mox hæc carbone, notasti*] Quod malum damnasti, quod bonum approbasti. Vide Sat. II. vs. 1. Ubi fuse egimus de lapillis nigris et albis. Pythagoras dicebat ea quæ candidi essent coloris, ad naturam boni pertinere; quæ vero atra et nigra, ad naturam mali.

109 *Es modicus voti*] Sic plurimi Codices habent, non *et*. Perinde esse videtur, id est, si paucis es contentus, et parva postulas a Diis, non qualia stulti et avari, de quibus Sat. II. 'Si,' ut ait Plautus, 'est animus tibi modicus, continens, ambitionis expers.'

Presso lare] Rebus domi angustis, tua tamen sorte contentus: vel melius, si frugalis in victu, vestitu, supellectile; sine luxu, sine luxuria.

Dulcis amicis] Benignus, facilis; non durus, tetricus, asper, superbus.

110 *Jam nunc astringas*] Si is es qui modo te contineas et coërceas, cum ratione parcus et moderatus, ut nec

Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
'Hæc mea sunt; teneo;' cum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, prætoribus ac Jove dextro,
Sin tu, cum fueris nostræ paulo ante farinæ,

vis erga *familiares;* ut *modo claudas, modo aperias horrea: et queas transilire numisma in cœno defixum; et avidus non* sis *deglutire salivam Mercurii? Quando vere pronuntiaveris, mea sunt ista;* hæc *possideo:* tum *sis et tui juris, et sana mente, Prætoribus et Jove faventibus. At quandoquidem aliquantum antea tu fuisti*

vitanda Ms. R.—112 *gluto* Edit. Steph.—116 Membranæ *retinens.* Casaubon.

NOTÆ

prodigus sis, nec videaris ambitiosus.

Jam nunc granaria laxes] Modo liberalitatem exercere noveris, sumtuosus et magnificus cum res postulat: aperiendo velut et exponendo quibuslibet opes tuas, arcam, horrea, in quibus frumentum, &c.

111 *Inque luto fixum possis transcendere nummum*] Si pecuniæ et avaritiæ contemtor, obvium et objectum in itinere nummum sponte relinquas, ita ut puerorum ludibrium non incurras. Nimirum ut nunc interdum, sic et olim pueri in via publica nummum clavo humi figebant, vel exponebant in luto projectum quasi, funiculo vero alligatum non sine jocis retrahebant, si quis prætereuntium æris splendore allectus ac delusus colligere attentaret. Horat. Epist. I. 16. 'In triviis fixum qui se demittit ob assem.' Et l. II. Od. 2. 'Quisquis ingentes oculo irretorto Spectat acervos.'

112 *Nec glutto sorbere*] Si nec es plus æquo lucri cupidus. Si congerendis, data occasione, nummis non inhias avidior, sicut gulosus epulis lautioribus devorandis.

Salivam Mercurialem] Mercurius lucri præses et Deus, ut innuit Plautus in Prologo Amphitr. Hinc cupiditas lucri dicitur *saliva Mercurialis*, metaphora ducta a gustu; quia cum objicitur cibus palato jucundus, catilloni præsertim et guloso, suboritur statim et affluit ad linguam ejus saliva, ex appetitu lautitiarum; eamque sorbet, et quasi spe jam præcipit ac devorat delicatiores cibos.

113 *Hæc mea sunt; teneo, &c.*] Cum verum fuerit te virtutes eas habere, quas modo enumeravi, teque parem esse calcandis vitiorum assilientium motibus ac lenociniis: tum certe pronuntiandus eris vere liber, immo et sapiens: nunquam autem secus.

114 *Sapiens*] Quos sapientes appellant Latini, homines nimirum rerum præstantissimarum cognitione claros, ut ait Tullius; hi vocabantur Græcis Philosophi, Gallis Druidæ, Persis Magi, Sacerdotes Ægyptiis, Indis Gymnosophistæ, Assyriis et Babyloniis Chaldæi, Judæis Prophetæ.

Prætoribus ac Jove dextro] Prætore libertatem corporis seu civilem largiente; animi vero Jove, qui liberator nuncupatus, et cujus e cerebro Minervam, id est, sapientiam prodisse fabulantur.

115 *Sin tu cum fueris, &c.*] Verum enimvero cum fueris paulo ante nequam, pessimus; an factus sis derepente optimus? Numquid cum libertate civili nuper accessit et sapientia singulari quodam Jovis beneficio, sine

Pelliculam veterem retines, et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem;
Quæ dederam supra, repeto, funemque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas.

conditionis nostræ, si conservas adhuc *cutem antiquam, et facie excultus retines vulpeculam dolosam sub corde corrupto;* ego a te *reposco* ea *quæ mox attribuebam, et funiculum retraho. Sapientia nihil tibi contulit:* si vel *digitum extendis, facis pec-*

polita C.—117 *servas in pectore* Edd. quæd. *servans sub pect.* C.—118 *relego, funemq.* R. et Gal. Mss. et C.—119 *Nil tibi.* Sic omnes membranæ, non *Ni tibi;* quod Justus Lipsius, meo judicio, appositissime reponebat: etsi vulgata

NOTÆ

labore, sine studio?

Farinæ] Metaphora a panibus, quibus inest idem sapor, idem color, et paria omnia, ex eadem farina factis.

Nostræ] Per modestiam, inquit Casaubonus, ait, *nostræ*. Alii interpretantur sic: tu modo vitiosus, quemadmodum et nos, antequam per Philosophiæ Stoicæ acetum purgaremur.

116 *Pelliculam veterem retines*] Mores, ut olim, improbos necdum exuisti. Vel alludit ad serpentes pellem vere novo deponentes: vel ad Æthiopes colorem non mutantes.

Fronte politus] Externa quidem specie bonus, modestus, honestus, comis.

117 *Astutam vulpem*] Pravam indolem servas ac retines, vafer ut ante, versipellis, dolosus, similis vulpi, cui astutia, ut audacia leoni attribuitur. Horat. ad Pisones. 'Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.'

Vapido sub pectore] Metaphora a vino corrupto, quod vappa dicitur, cujus et vapores tetri et graviores. Perperam aliqui legunt, *pavido*.

118 *Quæ dederam supra*] Nimirum ut esses liber ac sapiens. Hæc enim nonnisi sub conditione tibi largiebar.

Repeto] Placet nonnullis, *relego*, quorsum vero, haud patet.

Funemque reduco] Allusum volunt ad Græcorum puerilem ludum nescio quem, per funiculorum intentionem et attractionem, Aristot. σπαρτίων ἀνάσπασιν. Sed quid opus? σχοινόφιλον, ἑλκυστίνδαν, διελκυστίνδαν relinquamus Hesychio, Eustathio, Julio Polluci, IX. 7. Magis ad rem, ut videtur, dixerimus, et ad mentem Persii eo propius, quo simplicius: funem servitutis, quem videbar exemisse, rursum injicio; ut prius innexum traho; servum te et Damam pronuntio. Aut certe metaphora est a bestiis vel etiam aviculis, quas, cum aufugere et avolare tentant paulo longius, funiculo innexas revocamus. Horat. Epist. I. 10. pecuniam servire oportere sic edicit: 'Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.'

119 *Nil tibi concessit ratio*] Sapientia nihil tibi de se aut de suo concessit, ut ex ratione posses agere: proindeque male et perperam agis omnia.

Digitum exere, peccas] Levissima quævis actio tua peccatum est, et grave quidem. Æqualia quippe sunt peccata omnia apud Stoicos.

Digitum exere] Epictet. Enchirid. 'Vel digitum vetatur extendi temere.' Quo sane respexit Persius, et satis contextus probat et sensus; ut mirer non paucos, post veteres Gloss. ex-

Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas: nec, cum sis cetera fossor,
Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.

catum. Quid vero est ita exiguum? At omni thure non obtinebis, ut dimidia virtutis uncia maneat in insanis. Non licet ea conjungere: et quandoquidem fueris alioqui fossor, nequidem ad tres duntaxat modos Bathylli Satyri rite *saltaveris.*

ferri potest. *Casaubon.*—120 *ture* Ms. R.—124 *datum hoc sentis* Ms. R. et C.

NOTÆ

currisse ad gladiatorum morem, qui victi veniam a populo precabantur, digitum exerendo. *Digitum exere*, id est, fatere te victum a vitiis, inquiunt illi Interpretes plus æquo sagaces. At quæ esset consecutio, quod addit Persius, *peccas?* Verum quibus insanire libet, his et liceat.

120 *Et quid tam parvum est*] Reponit M. Dama; itane vero peccarem, tam simplici et levi actione?

Sed nullo thure litabis] Ita est, ut dixi; inquit Stoicus: nec omni thure, votis omnibus ac sacrificiis impetrare posses, ut aliter se res habeat: atque, &c. infra mox.

Litabis] Vide Sat. II. vs. ultimo.

121 *Hæreat in stultis, &c.*] Ut qui non sapit omnino, vel minimam habeat sapientiæ virtutisque particulam. Nam, quisquis sapiens non est, stultus est: et virtutes omnes adeo sunt connexæ, ut aut habeas omnes necesse sit, aut nullam: duo Stoicorum dogmata sunt. Laërt.

122 *Hæc miscere nefas*] Servire vitiis, simul et animi libertate frui, nefas est. Sapientiæ et stultitiæ consortium nullum. Stulte facis omnia, si non sapienter. Si sapis, liber es: si stultus es, eris etiam continuo servus. Hæc omnia Stoice admodum. Vide Tull. in Paradox.

Nec, cum sis cetera fossor, &c.] Illustrat et confirmat a simili.

Cum sis fossor] Tam longe abes a sapientia et vera libertate, quam rudis et rusticus *fossor* a scita saltatione: *fossor*, inquam, terræ fodiendæ colendæque tota vita addictus, nullius rei ceteroquin peritus.

123 *Tres tantum ad numeros*] Si fueris stupidus agricola, non modo perfecte saltare non poteris, sed nec duas aut tres pedum scite dimensiones exequere: quippe modulationis ignarus, Musicæ modos ac numeros qui posses gesticulatione et saltatione æmulari et exequi, quod vix ex arte facit et perfecte artis peritus? Sic igitur, cum sapientiæ nihil habeas, nec movere digitum sapienter et ex ratione potes.

Ad numeros] Tullius Paradox. III. 'Histrio si paulo se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur: in vita, quæ omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debet, ut in syllaba, te peccare dices? Poëtam non audio in nugis; in vitæ societate audiam civem, digitis peccata dimetientem sua?' &c.

Satyri] Pedibus tam agilis, ut *Satyrus* esse videatur. *Satyrorum* nempe Deorum agrestium caprinis pedibus, villoso corpore, lascivientes motus imitabantur in Scena Pantomimi. Virgil. Eclog. v. 'Saltantes Satyros imi-

'Liber ego.' Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
'I, puer, et strigiles Crispini ad balnea defer:'

At *ego* sum *liber*. *A quo* tibi *concessum illud usurpas, tot rebus obnoxius?* Nullumne *dominum agnoscis præter* eum *a quo vindicat Prætoris virga?* *Si clamitet* dominus: *vade, serve, et porta strigiles ad Crispini thermas:* sique urgeat, *mo-*

125 *relaxet* Ms. Gal.

NOTÆ

tabitur Alphesibœus.' Horat. ad Pisones: 'Mox etiam agrestes Satyros nudavit.' Et Epist. II. 2. 'Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.' Ex occasione loci hujus Horatiani suspicatur Casaubonus legendum esse, *Satyrum*, hoc loco Persii: ut sensus sit, *moveare Satyrum*, id est, motu corporis et saltatione exhibeas et æmuleris Satyrum saltantem scite et agilitate summa. Quasi vero Persius debeat esse perpetuus ubique et passim Horatii imitator, ac veluti servum pecus. Maneat igitur *Satyri*, donec mutandi ratio major afferatur.

Moveare] Id est, saltationem numerosam præstes: nam *moveri* pro *saltare* ponitur, ut probant loci Cic. Parad. et Hor. Epist. II. 2. mox citati. Adde Horat. ad Pisones: 'Ut festis matrona moveri jussa diebus.'

Bathylli] Hic fuit Pantomimus Alexandrinus, Augusti tempore, immo, ut volunt alii, etiam sub Nerone, insignis, egregia forma, et saltandi peritia: 'Mæcenatis libertus,' inquiunt veteres Gloss. Ejus meminit Juvenalis, Sat. VI. 63. ut molliter saltantis. Athen. I. 17. ait *Bathyllum* cum Pylade primum invexisse Italicam saltationem, quæ quidem hilarior ceteris esset, eo quod saltationi gesticulationes corporis rite accommodaret.

124 *Liber ego*] Insurgit Dama, et allatas a Stoico rationes parum capiens, veterem cantilenam, et rem de qua controvertitur, insulse occinit, et clamitat: atqui liber sum, liber sum, inquam; quicquid contra cavillari pergas, o Stoice, concessam mihi libertatem non auferes. Horat. Sat. II. 7. 'Eripe turpi Colla jugo: liber, liber sum, dic age,' &c.

Unde datum hoc sumis] Redarguit Stoicus Damam; unde vero tu habes libertatem, quam jactas, ac tibi arrogas? *Tot subdite rebus*, nimirum, id est, cum tot vitiis servias velut mancipium.

125 *An dominum ignoras*, &c.] An nescis præter externum illum corporis dominum, cujus e potestate ac dominio solutus abiisti, per vindictam et manumissionem, restare tibi totidem intus dominos ac tyrannos, quot pravos affectus atque libidines animo tuo imperitantes?

Vindicta relaxat] Vide supra, vs. 88.

126 *I, puer*] Explicat diserte Philosophus duplex genus libertatis, per prosopopœiam.

Strigiles] Dentatum est e ferro, argento, aliave materia instrumentum, dictum a *stringendo*, seu *radendo*. Hoc in balneis seu aureo seu argenteo divites utebantur ad sudorem destringendum seu detergendum. Sueton. in Augusto c. 80. refert maculosum ei fuisse corpus, et callis quibusdam ex prurigine, assiduoque et vehementi *strigilis* usu concretis, ad impetiginis formam, notatum.

Si increpuit, 'cessas nugator?' servitium acre
Te nihil impellit: nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet: sed si intus et in jecore ægro
Nascantur domini, qui tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?

raris etiam, *o nugax?* Tum certe *dura servitus nullatenus te adigit, nihilque ab externo ingreditur, quod nervos exagitet. At si domini intrinsecus oriantur, et in hepate male affecto; quomodo tu abis minus punitus quam ille, quem flagellum et*

127 *increpui* Edit. Steph.—130 *quin tu importunior* Ms. R.—131 *quem* abest in C.

NOTÆ

Crispini ad balnea] Opulenti quilibet sibi et amicis habebant domi thermas et balnea: ergo et Crispinus, qui ex servo factus Eques jamque delicatior arguitur. Juvenal. Sat. I. 'Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi Crispinus,' &c. Hic sub Claudio Imperatore Prætorio præfectus dicitur, et Consularibus Insignibus donatus; sub Nerone vero in Sardiniam Insulam relegatus semet interfecisse. Cornel. Tacit.

Defer] Vir delicatus notatur et potens, qui non communibus utitur strigilibus, sed proprias sibi deferri jubet ad balnea.

127 *Cessas nugator*] Imperiosa utraque vox: unde et sequitur, *servitium acre.*

Servitium acre te nihil impellit] Nihil jam te torquet illud imperium, et pœnarum metus, nimirum quia civili servitute liberatus es, nec ullum corporis dominum habes amplius.

128 *Nec quicquam extrinsecus intrat*] Externa vox civilis domini parum te movet aut agit, quia liber es per Prætorem.

129 *Quod nervos agitet*] Non, ut prius, vox herilis per aures intrans, cogit te nervos totumque corpus agitare, ad obediendum, et illuc quo jubet, properandum, ne forte vapules tanquam cessator et deses.

Sed si intus] Si exteriori quidem et corporis servitute liberatus, pateris tamen et servis interiorem vitiorum servitutem.

In jecore] *Jecur* sedes appetitus concupiscentis: vel, ut alibi, ponitur hic pro corde, quod est fons et origo omnium affectuum. *Ægro:* scilicet ob inveteratam in malo consuetudinem, qua fit ut affectus ingravescant, et magis magisque tabe sua animum corrumpant.

130 *Nascantur domini*] Imperiosæ libidines te quolibet vel invitum raptantes, pigritia, avaritia, luxuria, &c. ut mox patebit exemplo et experientia.

Qui tu impunitior exis] Quomodo tu serviles pœnas non subis; et cur impune libertatem ostentas in tam acri duroque servitio, quo quidem civile et externum pejus non est. Horat. Sat. II. 7. 'Tergo plector enim: qui tu impunitior?'

131 *Atque hic, quem, &c.*] Cur minus plecteris, quam ille servus, qui sub herili potestate pœnarum metu adigitur ad facessendum domini civilis imperium, v. g. ad strigiles, ad balnea sine mora deferendas, &c.?

Scutica] Flagellum e loris. Græce, τὸ σκύτος pellem et corium significat.

Mane piger stertis: Surge, inquit avaritia; eia
Surge. Negas: instat: Surge, inquit. 'Non queo.' Surge.
'Et quid agam?' Rogitas? saperdas advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa.

timor domini impulit ad strigiles deferendas? Matutino tempore dormis, o ignave. Quin *expergiscere, ait pecuniæ cupiditas;* agedum *expergiscere.* Quod si *renuis, urget, ait*que, *lectum desere. Non possum,* inquis. Instat illa, *exsurge. Et quidnam faciam? Quæris? E Ponto huc apporta saperdas, castoreum, vile linum, ebenum, thus,* vina *fluentia* ex Insula Co. *Defer ante alios piper novum e camelo.*

NOTÆ

132 *Mane piger stertis*] Dialogismus est Damam inter et avaritiam, luxuriam, aliaque vitia: ubi clare indicantur et sigillatim Tyranni intus dominantes, huc illucque distrahentes, et miserum quasi distorquentes discerpentesque; per prosopopœiam elegantem avaritiæ, luxuriæ, &c.

Surge, inquit avaritia] Quin divitiis studes accumulandis? Age, labora.

133 *Non queo*] Pigritia nempe retineor.

134 *Et quid agam*] Cur otium meum interturbas? inquit Dama piger: quid me facere vis?

Rogitas] Instat urgetque avaritia, donec desidem e cubili excusserit: docetque rationem quæstus faciendi certissimam.

Saperdas advehe Ponto] Negotiare, naviga, perge in Pontum, peregrinas merces huc advehe, mercaturis faciendis opes compara.

Saperdas] Piscis est, qui in Pontico mari capitur. Synecdoche, pro omni piscium genere. *Saperdam* a sapore eximio dici quidam volunt: at repugnat Athenæus, III. 30. ubi Ponticum obsonium *saperda,* vile et ignobile edulium appellatur.

Ponto] *Pontus* proprie vocatur illud mare quod a Mæotide palude ad Tenedum Insulam continetur: complectitur itaque Bosphorum utrumque, Propontidem, et Pontum Euxinum, qui Herodoto l. IV. describitur, vocaturque dignus admiratione inter omnia maria. Sic et proxima regio *Pontus* vocatur.

135 *Castoreum*] Quidam interpretantur Castoris pellem, e cujus villis galeri conficiuntur exquisiti. Alii testiculos, e quibus pharmaca valde utilia. Herodot. l. IV. Plin. VIII. 30. et XXXII. 3. Virgil. Geo. I. 'Virosaque Pontus Castorea.' Juvenal. Sat. XII. 'Imitatus Castora, qui se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculorum; adeo medicatum intelligit inguen.' Aiunt nempe Castorem seu fibrum, animal aquaticum, lutræ speciem, cui piscis cauda, alias Ponticum canem, insequentibus venatoribus, ea corporis parte, propter quam expetitur, horrendo (quod ait Plinius) morsu abscissa, sese redimere. Negant vero doctiores et periti Medicinæ viri, testiculos amputare sibi Castorem; quod sine vitæ damno fieri non possit: sed folliculos geminos ex uno nexu dependentes, quibus inest vis medica ad plures morbos. Quicquid sit, sive hoc sive illud Castoreum passim vocatur.

Stuppas] Pars lini, cortici proxima, *stuppa* dicitur. Virgil. 'Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.'

Ebenum] Arbor est spississima nigri coloris, quam Æthiopiæ tribuit Herodotus, Indiæ vero Plin. XII. 4. ex Virgilio: ubi et Romæ conspectam ait primum in triumpho magni Pompeii Mithridatico. Virgil. Geo.

Tolle recens primus piper e sitiente camelo.
Verte aliquid: jura. 'Sed Jupiter audiet.' Eheu!
Baro, regustatum digito terebrare salinum

sitibundo. Quidpiam commuta, jusjurandum interpone. At Jupiter auscultabit, Eheu, stupide, si contendis vivere amice *cum Jove,* vitam *ages, satis habens perfo-*

—138 *Varo* Ms. Gal. Omnia exemplaria simplici *r Varo:* cum apud Tullium et alios hoc nomen scribatur *varro.* Nec pauci libri sunt, ubi scribitur *Baro,* quæ vox barbara in antiquis legibus Francorum et Allemannorum, marem significat: hodie in Campania et aliis Galliæ locis mulieres suos viros nominant *barones;* sed legant studiosi quæ de his vocibus *varro* et *baro,* viri præ-

NOTÆ

II. sic habet: 'Divisæ arboribus patriæ: sola India nigrum Fert ebenum: solis est thurea virga Sabæis.'

Thus] Plin. XII. 14. ait in sola nec universa quidem Arabia reperiri, sed in ea tantum regione, cui nomen Saba. Virgilius loco mox citato astipulatur. Et alibi: 'India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.' Apud Athenæum III. 21. Syriæ fructus vocantur myrrha et thus. Et XV. 10. Thus inter secundæ mensæ apparatum recensetur.

Lubrica Coa] Vina mollia, lenia, alvum solventia; ex Insula Co, quæ est in Ægæo mari, e Cycladibus una, Hippocratis clara natalibus. Horat. Sat. II. 4. 'Si dura morabitur alvus, Mytilus, et viles pellent obstantia conchæ, Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.'

136 *Tolle recens primus*] Anteverte alios mercatores, et cave ne illi præoccupantes, quæstus occasionem præripiant. Horat. Epist. I. 6. 'Cave ne portus occupet alter, Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.'

Piper] Plin. XII. 7. 'Passim quæ piper gignunt, juniperis nostris similes,' inquit.

Tolle e sitiente camelo] Id est, exonera camelum variis ejusmodi mercibus onustum, longa fessum et sitibundum via, et venales expone. *Sitiente.* Dicitur camelus sitim tolerare ad quatriduum. Plin. VIII. 18. ubi et alia ad cameli naturam et indolem pertinentia fuse persequitur.

137 *Verte aliquid*] Vetus Scholiast. 'Negotiare, speciem pro specie commuta,' inquit, ne deses amplius mane; divitias congere labore, immo et perjurio ac fraudibus, si opus est.

Jura] Bonas esse merces affirma, etiam falso: pejerare ne dubita. Certe qui cum mercatoribus jurat sæpe, sæpe et pejerat. Vide Tull. Offic. 3. ad finem.

Sed Jupiter audiet] Avaritiæ Dama respondet. Scilicet me jubes rem augere mendaciis passim ac perjuriis, ut solent mercatores. At Jupiter vindex aderit. Sapientum est axioma: *Ita vivendum, tanquam sub Dei oculis.*

Eheu] Jungendum cum præcedentibus, inquit Casaubonus, ut Dama imminentem perjuris vindictam vereatur, ad quam se quasi necessitate adigi intelligit. Legunt alii *heu, heu,* essetque attribuendum sequenti sententiæ, per quam Damæ religio risu excutitur.

138 *Baro, regustatum, &c.*] Avaritia instat, et paupertatis metum incutit Damæ, ut religionem elevet adimatque. Adeo stolidus es, inquit, ut miser esse malis, quam mentiri et ju-

Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem succinctus et œnophorum aptas:

rare digito salinum delibatum. Mox autem *expeditus accommodas famulis manti-*

NOTÆ

rare, formidine scilicet Jovis!

Baro] Vetus Schol. 'Lingua Gallorum barones vel varones dicuntur servi militum, 'qui utique stultissimi sunt, servi videlicet stultorum.' Est igitur, *baro*, idem ac bardus et vecors. Cicer. lib. IX. Epist. Famil. ultima. Item l. II. de Divinat. sub finem, et alibi, *baronem* ponit pro stupido. Legunt alii, *vare*, id est, distorte, et aberrans a recta ratione, sed perperam. Habetur enim *varo* in vetustis codicibus.

Regustatum digito terebrare salinum] Scilicet, o baro, modico victu contentum esse te oportebit: adeoque inops eris, ut micas salis colligas in fundo salini sæpius appositi, et proinde sordidi.

Digito terebrare] Emphatice omnia. Digito premere, ut perforare videaris: vel, primoribus digitis delibans salis pauxillum, notas digitorum relinques. Quæ omnia egestatem summam arguunt.

Salinum] Plin. XXXI. 7. de sale sic habet: 'Varro pulmentarii vice usos veteres auctor est: esitasse enim salem cum pane et caseo, ut Proverbio apparet.' Nimirum, salem lingere dicuntur, qui tenuiter admodum et parce victitant. Plaut. Curcul. act. IV. scen. ult. 'Hic hodie apud me nunquam delinges salem;' id est, ne minimum quidem cibi capies. Horat. Od. II. 16. 'Vivitur parvo bene, cui paternum Splendet in mensa tenui salinum.' Constat certe pauperrimis olim cibum fuisse salem cum pane; sicut et Eremicolarum Christianorum nonnullis.

139 *Contentus*] Frustra legunt aliqui, *contentus*.

Perages] Per totam vitam pauper et egenus.

Si vivere cum Jove tendis] Si Jovem habere placatum et amicum intendis, integer vitæ, scelerisque purus, ac morum sanctitate.

140 *Jam pueris pellem, &c.*] Dama tandem Jovis et conscientiæ metum ac stimulos prætergressus avaritiæ se tradit, ejus victus argumentis. Verum iter parantem ad Indos, et navi proximum jam et expeditum aggreditur luxuria, deterret retrahitque ostentans laborum duritiam et longinquæ navigationis molestias et pericula.

Pueris] Legunt quidam, *puer is*, id est, tu jam avaritiæ servus pergis quo vocat illa. Sed perperam. Nec melius, quod suspicatur nonnemo legendum postea, *aptus*, pro, *aptas*. Jam profecto nugis nugas suunt aptantque et somnia somniis, qui aliis insomnia objiciunt. Hic sane non bene sanus Marcilius videatur, et male Casaubono insidiari alias perspicax et solers, semper autem eruditus.

Pellem] Sarcinas, sacculum, in quo itineri necessaria: vel e pellibus hirsutis vestem ad frigus arcendum: de qua Juvenalis ante citatus Sat. XIV. 186. 'Qui summovet Euros Pellibus inversis.' Et Ovid. Trist. III. Eleg. 10. 'Pellibus, et sutis arcent mala frigora braccis.'

Succinctus] Collectas et præcinctas, more viatorum, jam vestes habens. Horat. Sat. II. 6. 'Veluti succinctus cursitat hospes.'

Œnophorum] Vas vinarium. Vox tota Græca est: *Οἶνος, vinum, φέρω,*

Ocyus ad navem: nihil obstat, quin trabe vasta
Ægæum rapias, nisi solers luxuria ante
Seductum moneat: Quo deinde, insane, ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis

cam, et vini lagenam; et properas *statim ad navem: nihil remoratur quominus rapide subeas* mare *Ægeum ingenti nave, præterquam si luxuria cauta dehortetur te prius ductum seorsum;* dicens, *quo deinceps properas,* o *demens? Ecquo? Quid tibi quæris?* Nempe *efferbuit sub corde ardenti bilis virilis, quam amphora cicutæ*

stantissimi annotaverunt. *Casaubon.*—141 *puer. is* (sic) Ms. R. *obstet* Ms. R.

NOTÆ

porto. Horat. Sat. I. 6. 'Pueri lasanum portantes, œnophorumque.'

Aptas] Ad navem deferenda imponis.

141 *Ocyus ad navem*] Forte verba sunt Damæ imperantis puero, ut deferre festinet impositum onus: vel sunt Poëtæ ad Damam.

Nihil obstat] Omnibus jam ad id comparatis.

Trabe vasta] Synecdoche. Sic Horat. Od. I. 1. 'Trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare.'

142 *Ægæum rapias*] Rapide percurras mare Ægeum, et quodlibet aliud. Synecdoche.

Ægæum] Maris Mediterranei sinus est amplissimus, Græciam inter et Asiam minorem. Ita vocatur, vel ab Ægeo Thesei patre, vel ab Ægea Amazonum Regina, qui in eo perierunt. Vel ab urbe Euboica *Ægæ*, ut vult Strabo. Plinius IV. 11. sic habet: 'Ægeo mari nomen dedit scopulus Tenedum inter et Chium, verius quam Insula, Aex nomine, a specie capræ, quæ ita Græcis vocatur, (αἴξ) in medio mari repente exiliens.'

Solers luxuria] Blanda, callida, providens te sibi velut prædam eripi, velut mancipium et servum elabi et perire sibi, si semel naviges, et avaritiæ te mancipes et addicas.

Luxuria] Morum dissolutio, inquit Festus, sicut luxa membra appellantur, quæ soluta et suo loco dimota sunt.

143 *Seductum*] Deceptum antea corruptumque suis illecebris et voluptatibus. Vel sensus est: nisi luxuria, antequam navim conscendas, monitis ab incœpto cursu dehortetur ac revocet: ductum vero separatim te alloquitur, quia habet aliquid pudendum, unde et arbitros removet. At non ita lucri cupiditas, immo aperte agit; eo quod neminem pudet rem facere, et augere.

Quo deinde, insane, ruis, &c.] Verba sunt luxuriæ Damam a navigando deterrentis.

Insane] Qui tot molestias et discrimina non vereris.

144 *Quid tibi vis*] Quæ mens, quæ ratio te ducit? Immo quis furor abripit?

Calido sub pectore, &c.] Unde vero hæc tibi insania? An ex effervescente bili? Forte his duobus versiculis indicatur Dama adversus luxuriam fatigantem obluctatus, ad iracundiam usque.

Mascula bilis] Effœminatos animos amat luxuria, non mirum ergo si damnat *masculam bilem,* velut furorem; et Damam velut furiosum. Porro sicut Virg. Eclog. VIII. dixit *mascula thura,* sic Persius *bilem masculam,*

Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ?
Tun' mare transilias? tibi, torta cannabe fulto,
Cœna sit in transtro? Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice fissilis obba?

non sedaverit. *An* vero *tu mare transcurras?* An *tu cœnam capies in transtro, nixus fune intorto?* An *et vas sedere potens emittat* tibi odorem vini *subrubri Veientani pice fœtida corrupti?* *Ecquid intendis?* An *ut nummi, quos hic alueras*

—145 *quod non* Ms. Gal. et C.—147 *nunquam Veienta* Ms. Gal.

NOTÆ

id est, fortem et validam, quam Stoïci *cotem fortitudinis* vocabant, modo tamen ea non ut duce, sed ut milite uterentur.

145 *Quam non extinxerit urna cicutæ*] Quamvis contraria contrariis curentur, at ardentem istam bilem vix levare aut sedare potuerit succus cicutæ copiosissimus, et plena urna, vas capacissimum; quamvis ille sit adeo frigidus, ut mortem pariat vel modicus. Vide supra, Sat. IV. ad vs. 2.

146 *Tun' mare transilias*] Te nimirum committes tam infido elemento, in quo sis 'digitis a morte remotus quatuor aut septem, si sit latissima tæda:' ut ait Juvenalis Sat. XII. 58. Tria refert Plutarchus, quorum pœniteret Catonem Censorium, *arcanum uxori revelasse; diem inutilem transegisse; et eo transmisisse navi, quo pedestre iter esse posset.* Ex adagio Græco, *θαλάσσῃ, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ κακὰ τρία.*

Tibi, torta cannabe fulto, &c.] Tune, o Marce Dama, tu vir honoratus jam et liber, poteris cibum in navi capere, ita ut pro sedili habeas funem nauticum, pro mensa transtrum, permixtus scilicet cum remigibus et nautis squalidis et agrestibus, qui solitus es mollius sedere, beatius vivere, domi, in otio, inter familiares, nitide, honeste?

Torta cannabe] *Cannabis* est genus plantæ, e qua funes fiunt, et rudentes: immo et vestes apud Thracas, tam subtiles, ut lineæ videantur. Herodot. l. IV. num. 155.

147 *Transtro*] Trabs est transversa, scamnum et sedile remigum. Virgil. 'Considite transtris.'

Veientanum rubellum] Vinum ignobile, saporis injucundi ex agro circumjecto Veios urbem Hetruriæ, non procul urbe Roma. Horat. Sat. II. 3. 'Qui Veientanum festis potare diebus Campana solitus trulla, vappamque profestis.'

148 *Exhalet vapida*] Tetros vapores tibique insolitos emittens, fastidium creet et ægritudines, et fortasse mortem extra patriam. Heu quo ruis? Lucelli scilicet aliquantuli gratia perdas quietem, voluptates, vitam?

Læsum pice] Infectum ex odore picis qua navis pariter et obba illitæ et obturatæ. Mos erat porro picandi vinum, id est, picem et resinam interdum adhibendi et immiscendi, ad condiendum veluti, addendasque vires, aut frangendas. De quibus Plin. XIV. 1. et 20. Plutarch. Convival. Quæst. V. 3. Illis autem ipsis condimentis vinum aliquando corrumpebatur, unde Martial. Epig. III. 76. 'Resinata bibis vina, Falerna fugis.'

Fissilis obba] *Poculi genus, vel ligneum, vel ex sparto,* inquit Nonius Mar-

Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio; carpamus dulcia: nostrum est,

quincunce moderato, pergant tibi *exudare deunces cupidos? Da te voluptati: rapiamus jucunda. Nostrum est* munus, *quod vitam ducis.* At paulo post, *eris favilla*

150 *peragant avido* Puteani Codex et C. et quædam Editiones. Potest ferri utraque lectio: sed quæ ex utraque sunt mixtæ, omnes repudiandæ: *pergere sudare,* pro *sudare,* ut *facere incipere* pro *facere* et similia. *Sudare* autem *deunces* usuras dixit ut opponeret quincuncibus usuris, quæ nullo labore

NOTÆ

cellus. Alii legunt *sessilis obba,* et sic rem explicant: vas latum habens fundum et ventrem, ita ut per se facile stet et sedeat, unde *sessilis obba* dicitur. Volunt aliqui esse doliolum, in quo navigantes plerumque sedeant.

149 *Quid petis? ut nummi, &c.*] Quis vero finis tibi propositus? Nimirum usura ingens et infinita, qualis maritima esse solet, sed labore et periculo perinde magno.

Hic] Romæ, sine labore, sine periculo.

Quincunce] *Quincunx,* uncias quinque significat.

Quincunce modesto] Fœnore modico, legibus licito, et avaritiæ notam haud metuente; nimirum quinis annuis, pro centenis. Leg. Tutor. Paragraph. 10. Digest. et Leg. 17. Dig. de usuris et fructibus. At vox ista, sicut et sequens, *deunx,* ampliori eget elucidatione. Itaque observa. Gravissima pridem usura erat *centesima,* qua pro centum nummis mutuo acceptis pendebantur duodecim annui, singuli pro mensibus singulis. Huic vero proxima *deunx,* cum undecim reddebantur pariter pro centenis: sic et *dextana* erat, cum decem: *dodrana,* cum novem: *bessalis,* cum octo: *septunx,* cum septem: *semis,* cum sex: *quincunx,* cum quinque: *triens,* cum quatuor: *quadrans,* cum tres: *sextans,* cum duo: denique *unciaria* usura vocabatur, qua pro nummis centum unus duntaxat in fœnus solvebatur quotannis. Et hæc lege decemvirali potissimum probata, ut testatur Cornel. Tacit. Annal. l. v. Quæ tamen ob fœneratorum fraudes post abrogata, et ad semiunciariam redacta est. Vide infra mox ad vocem, *deunces.*

150 *Nutrieras*] Fœnore auxeras, multiplicatas. Horat. Epist. I. 18. *pascere nummos* eodem sensu dixerat.

Pergant] Alii codices habent, *peragant.*

Avidos sudare deunces] Nimium fœnus et immodicum afferre, sudore et molestia pariter ingenti, ob navigationis tædia et pericula.

Avidos] Cupiditatem lucri nimiam in fœneratore arguit.

Deunces] *Deunx* pondus est seu mensura undecim unciarum, quasi una demta parte e libra seu asse, qui duodecim uncias continet. *Deunx* autem usura significat undenam annuam pro centenis; seu qua pro centum nummis annuo fœnore, undecim nummi dantur, ut dixi paulo ante. Hoc vero sane referendum videtur ad usuras maritimas, quibus lex nulla modum ponit, immo quæ culpa carent quantumvis magnæ, scilicet ob pericula maris, et ærumnas.

151 *Indulge genio*] Vide Sat. II. vs. 3.

Carpamus dulcia] Fugientes cum

Quod vivis: cinis et manes et fabula fies.
Vive memor leti: fugit hora: hoc, quod loquor, inde est.

et umbra, et sermo. Vitam age, mortem recordatus: tempus effluit. Id quod elo-

proveniebant.—153 *et quod loquor* Ms. Gal.

NOTÆ

vita et annis arripe voluptates. Hor. Od. I. 11. 'carpe diem.' Epicuri apud Lactantium: 'Voluptatibus,' inquiunt, 'quoquo modo possumus, serviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur, ne, quia ipsi quandoque perituri sumus, idipsum quod vixerimus, pereat.'

Nostrum est, quod vivis] Βίος βίου δεόμενος οὐκ ἔστι βίος, inquit Proverbium Græcum. Unde luxuria ait sibi acceptam referri oportere Damæ vitam hilarem, jucundam, quietam, voluptuosam, eo quod sine gaudiis ac voluptatibus vivere, non sit vivere.

152 *Cinis et manes et fabula fies*] Antequam moriaris fruere vita vitæque deliciis; nam brevi de te actum erit. Hæc ad mentem Epicureorum, qui cum corpore et animam interire putant; ut mox dixi: quod satis convenit loquenti luxuriæ: an vero potius secundum Stoicos, e quorum gremio Persius? Cic. Tuscul. Quæst. I. num. 77. 'Stoici,' inquit, 'usuram nobis largiuntur tanquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper autem negant.' Et paulo post, c. 78. 'aiunt manere animos, e corpore cum excesserint, sed non semper.' Erit igitur sensus, *fies cinis*, nimirum ex more cremato corpore tuo, post mortem, et in favillam per ignem redacto: deinde eris *manes*, id est, anima tua per aliquod tempus manebit et durabit apud Inferos. Postea veró *fies fabula*, id est, redibis in prius nihilum: hæc enim catastrophe est vitæ et conditionis humanæ, quæ fabulæ in mundo velut in theatro et scena peractæ comparari solet.

Manes] Pro locis inferioribus *Manes* accipit Macrob. Saturnal. I. 3. Virgil. Æneid. VI. pro pœnis, quæ sunt apud Inferos. Alii, pro Diis tantum bonis; nam Varro l. v. bonum antiquis manum vocari ait; hinc per antiphrasim quasi minime boni, (si Servio fides) Dii Inferi *Manes* appellantur. Porro animum a corpore separatum Antiqui *Manem* Deum vocabant. Hic sumitur pro anima corpore soluta. Horat. Od. I. 4. 'Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam. Jam te premet nox, fabulæque manes.' Vide infra vs. 185. ad vocem, *Lemures*.

Fabula fies] Interpretantur vulgo locum hunc, sicut et Horat. mox cit. de Inferis, de quibus et Poëtæ et Philosophi tot et tanta narrant et fabulantur. Atque ita duæ voces, *manes*, *fabula*, idem significant. Potest etiam ita intelligi, *fabula fies*, id est, sola tui memoria restabit, et sermo de te forsan faciendus. Vide supra tertiam hujus loci interpretationem, ad hanc vocem, *cinis*.

153 *Vive memor leti*] Horat. Sat. II. 6. 'Vive memor quam sis ævi brevis.'

Fugit hora] Vita sensim elabitur, ut tempus. Hor. Od. II. 5. 'Currit enim ferox ætas.' Virgil. 'Fugit irreparabile tempus.'

En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos; alternus oberres.

quor, exinde est. Ecce quid facis? Hamo gemino distraheris in diversas partes. *An illum sectaberis, an istum? Necesse est* ut *subjaceas* duobus *dominis vicissim,*

155 *Huccine* Edit. Steph.

NOTÆ

Hoc, quod loquor, inde est] Temporis et vitæ fugientis partem etiam absumo aliquam loquendo tecum. Horat. Od. I. 11. 'Dum loquimur, fugerit invida Ætas: carpe diem.' Læva paulum mens erat Turnebo, cum XX. 1. hunc locum sic intellexit; *quia perit sensim vita, inde tibi loquor ut te moneam jubeamque carpere gaudia, antequam tibi pereant.* Multo aliter, et cum aliis, magisque ad sensum Horatii Persiique D. Hieronym. Comment. in Epist. ad Galat. III. 6. 'Breve est,' inquit, 'vita istius curriculum: hoc ipsum quod loquor, quod scribo, quod relego, de tempore meo, mihi aut crescit, aut deperit.'

154 *En quid agis*] Hactenus Prosopopœia illa et dialogus perelegans. Jam vero Stoicus ad Damam: En igitur ad diversa contrariaque traheris, huc ad quietem et voluptates a luxuria, illuc ad lucrum et laborem ab avaritia, quid igitur facies? Quo te convertes? Jamne sentis et fateberis te esse servum, et duram sub duris dominis servire servitutem?

Duplici in diversum scinderis hamo] Varia duplicis servitutis necessitate oppressus quasi discinderis.

Hamo] Prorsus ad rem est quod initio Libri de invidia et odio Plutarchus ait; *vitium hamis esse quasi pluribus instructum et armatum, πολυάγκιστρον*: certe pura virtus rara avis: qui luxuriæ sordes effugerit, et fœda voluptatum cavebit lenocinia, is hamo capietur avaritiæ; vel contra. Metaphora est a piscatione, in qua pisces hamo seu esca diversa et multiplici quandoque inescantur, ut capiantur alterutro.

155 *Hunccine an hunc sequeris*] An avaritiam, an luxuriam? otium, an sudores? lucrum, an voluptates?

Subeas alternus oportet] Quid si utrique serviendum? modo huic, modo illi obtemperans, quam miser! haud profecto simpliciter fueris!

156 *Ancipiti obsequio dominos*] Binas dominatrices vicissim sequens, dubius interim, utri potissimum te addicas.

Obsequio] Reconditum in hac voce sensum vulgus haud expiscari, monent doctiores: non est obsequium, ut putant, famulatus, vel opera alicui navata; sed patientia et indulgentia erga alios nimia, qua eorum voluntati et libidini plus æquo obsecundatur, etiam contra fas et rationem, ut vulgo faciunt assentatores. Terentius in Andria, *obsequium* opponit *veritati*, qua vel amici nonnunquam offenduntur, adeo nolunt homines proprios nævos et errores videre, vel audire. 'Obsequium amicos, veritas odium parit.' Quem locum et sententiam illustrat Cicero in Lælio, num. 91. 'Molesta,' inquit, 'veritas est, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit.'

Nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, Rupi jam vincula, dicas.
Nam et luctata canis nodum abripit: attamen illi,
Cum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores

dubio servitio, et vicissim obambules circa illos. *Et quando tu repugnaveris semel, et recusaveris obedire urgenti mandato, ne* propterea *dicas, modo catenas fregi. Etenim canis etiam obagitando vinculum aufert: nihilominus quando aufugit, longa pars catenæ raptatur abs cervice* illius. Sic *Chærestratus rodens unguem vivum dicit ista: o Dave, volo* ut *his fidem habeas: cogito*

157 *nec cum tu* Mss. Gal. et R.—159 *et tamen* Ms. Gal. et C. *arripit, ast tamen* Edit. Steph. *abrumpit tamen* Ms. R.

NOTÆ

Et paulo post: 'in obsequio comitas adsit; assentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur.'

Oberres] Perpetua discursatione circa utrumque dominum, ut satisfiat contraria etiam imperantibus; non sine gravi immo intolerabili molestia.

157 *Nec tu, cum obstiteris semel*] Ne vero dicas te alteri repugnaturum, vel utrique, nimium sævienti; sicque liberum fore a servitute illa vitiorum durissima.

Semel] 'Hirundo una non facit ver,' inquit Aristoteles, 'nec parit aut tollit habitum, ἕξιν, unus aut alter actus.'

158 *Rupi jam vincula, dicas*] Non rupisti, inquam, sed rejecisti mox tibi rursum injicienda. Ovid. Amor. Eleg. III. 10. 'Scilicet asserui jam me, fugique catenas.' Hor. Sat. II. 7. 'O toties servus! Quæ bellua ruptis, Cum semel effugit, reddit se prava catenis.'

159 *Luctata canis, &c.*] Probat a simili. Canis cum diu multumque catenam excussit, aut dente morsuque aliqua parte fregit, fugitque; attamen quia pendentem collo catenæ partem trahit, non difficile reducitur, religaturque firmius et arctius quam antea. Sic plane tecum agetur homine longa vitiis ac diuturna servitute mancipato. Semel iterumque forsan aliquando resistes, eorum importuna solicitatione fatigatus; at paulo post iis te ultro addices turpissime, aut occasione, aut vehementia abstractus et impulsus, nimirum propensionem ad ea retines et circumfers longo usu conflatam, quam frangere non ita facile est et promtum.

Nodum] Catenæ nodos, vincula. Synecd.

160 *Trahitur pars longa catenæ*] Vulgo dicimus de eo, quisquis instans exitium aut periculum eluctatus est semel, aut etiam aliquoties; is non est liberatus qui suam catenam trahit. Locum hunc Persii integrum adumbravit Seneca, de Vita beata: 'Ei qui ad virtutem tendit, etiamsi multum jam processit, opus est aliqua fortunæ indulgentia, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exsolvit, et omne vinculum mortale.' 'Qui ad superiora progressus est, laxam catenam trahit, nondum liber, jam tamen pro libero.'

161 *Dave, cito, &c.*] Confirmat exemplo e Menandri Eunucho, quem, personis et quibusdam immutatis, transtulit Terentius. Huic Phædria,

Præteritos meditor: (crudum Chærestratus unguem
Abrodens ait hæc.) An siccis dedecus obstem

finem imponere quamprimum prioribus molestiis. Numquid ego *probrum obsistam*

163 *arrodens* Ms. Gal.

NOTÆ

illi est Chærestratus, huic Parmeno est, illi Davus, Personæ Comicæ. Quod et annotavit vetus Schol.

Dave] Nomen servi apud Menandrum Atheniensem Comœdiarum scriptorem. Servis apud Romanos nomina hæc frequentia, Statius, Dionysius, Stichus, Hera: sicut Athenis, Davus, Geta, ex quo Daci, qui antea Davi, bello subacti fuerant: apud Syros, Dama: in Paphlagonia Tybius: apud Phryges, Manes, Mida: Lacedæmoniis, Helota: Argivis, Gymneta: Cretensibus, Epharmiota, Clarota, Mnota: Thessalis, Penesta: Syracusanis, Eustatonus: Sicyoniis, Corynephorus: Mariandinis Bithyniæ populis, Doryphorus, &c. Alex. ab Alex. III. 20.

Finire dolores] Nuntium remittere amoribus, qui mihi sunt tot dolorum causæ. Hos Plautus in Mercator. Prologo sic perstringit: 'Amorem hæc cuncta vitia sectari solent, Cura, ægritudo, nimiaque elegantia, &c. Sed amori accedunt etiam hæc quæ dixi minus, Insomnia, ærumna, error, terror et fuga, Ineptiæ, stultitiaque, adeo et temeritas; Incogitantia excors, immodestia, Petulantia, cupiditas et malevolentia. Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria, Inopia; contumelia et dispendium, Multiloquium, pauciloquium.' Virg. Ecl. III. 'Quisquis amores Aut metuet dulces, aut experietur amaros.' Sed ipsum Phædriam amatorem miserum audire, immo spectare veluti ne pigeat, ut ipsius etiam nos misereat. Is apud Terent. Act. I. Scen. 1. sic loquitur: 'Indignum facinus! Nunc ego et illam scelestam esse, et me miserum sentio: Et tædet; et amore ardeo: et prudens, sciens, Vivus vidensque pereo; nec quid agam scio.'

Finire dolores præteritos meditor] Relinquendo Chrysidem meretricem, quæ me *properat amando perdere*. Ut est apud Hor. Od. I. 8. Idem Sat. II. 3. scripserat de Phædria Terentiano, cujus locum integrum ibidem expressit. 'An potius mediter finire dolores?'

162 *Crudum Chærestratus unguem abrodens*] Præ dolore, quod ab amica exclusus: vel præ ancipiti incertoque consilio, cogitabundus totus, et secum ipse luctabundus, num ad eam quæ exclusit redeat, an deserat quam perdite amat. Pers. Sat. I. vs. 106. 'Nec demorsum sapit unguem.' Hor. Sat. I. 10. 'Vivos et roderet ungues.'

Chærestratus] Juvenis amator Chrysidis meretriculæ, apud Menandrum, ut dixi.

163 *Ait hæc*] Ad Davum nempe fidum sibi famulum.

An siccis dedecus obstem cognatis] An fœdis ego amoribus eam, ut ante, perditum bonam famam gentis meæ, in qua, præter me, sunt omnes honesti, casti, sobrii?

Siccis] *Siccus* temperantem virum, madidus ebriosum ac vinolentum sæpe indicat. Plaut. utrumque ponit Asinar. Scen. XIV. 'Ego præter alias virum meum fui rata Siccum, frugi, continentem.' Et paulo post: 'Scito illum madidum, nihili, incontinentem.' Horatius Epist. I. 19. Item Od. I. 18.

Cognatis? an rem patriâm rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores extincta cum face canto?

consanguineis meis sobriis? Numquid patrimonium elidam ad portam impuram, mala fama, quando ego temulentus cano ante humidam Chrysidis januam, tæda ex-

165 *odas;* sed Mss. habent *udas* pro v. l. cum gloss. *inunctas.* Ms. Gal.

NOTÆ

siccis posuit, pro *sobriis* et *jejunis.* Tullius pariter *horridam et aridam* vocat vitam hominis frugalis; pro Quintio, num. 93. Item Sexti Roscii Amerini probat innocentiam, e *victu arido.* n. 75.

164 *Rem patriam frangam*] Patrimonium dilapidem et effundam in meretricios amores. Quod *expatrare,* vocabulo sane significantissimo, vocat Catullus Epigram. XXX. in Cæsarem. 'An hæc sinistra liberalitas Parum expatravit? An parum helluatus es? Paterna primum lancinata sunt bona,' &c. Hor. Sat. I. 2. 'Bonam deperdere famam, Rem patris oblimare malum est,' &c.

Rumore sinistro] Qui jam de me spargitur et volat: quanquam, ut habet Ovidius, 'Turpis amor surdis auribus esse solet.'

165 *Limen ad obscœnum*] Ante fores, vel in domo impuræ et flagitiosæ mulieris, ad quam velut ad scopulum frangor et illidor; et mea mecum deperduntur bona, fortunæ, fama, &c.

Obscœnum] Vox a *cœno* facta, ut volunt aliqui: at Varro a *scena,* ubi turpia quævis dicuntur, trahit originem: alii ab Oscis populis Italiæ in Campania, turpi libidine et spurcitia famosis.

Chrysidis] Famosum erat scortum, cujus est mentio apud Athen. XIII. 3. Porro nomen ab auro, forte ob *poscinummia oscula* meretricum, quod ait Apuleius l. X. de Asino aureo.

166 *Ebrius*] 'Comessatio sequitur epulas; Cererem et Bacchum Venus.

Udas ante fores] Seu lacrymis; seu unguento, ex more amantium: ut notat vetus Schol. vel etiam vino, ut abunde probat Plaut. Curcul. sc. 1. et 2. ubi lenæ fores vino amator conspergit, et odore vini illecta illa januam pandit, et prodit foras, amantique abblanditur. Interpres quoque Aristophanis in Plutum, ait Laidem a multis adamatam Thessalis, qui præ amore vestibulum ejus vino irrigabant. Parum ad rem est quod affert nonnemo, solitos aqua perfundi januæ cardines a mulieribus, ad fallendos maritos; Chrysis enim marita non erat. Melius fortasse, ne strepitum ederet aperta janua, et a vicinis audiretur. Nam apud Plaut. loco mox citato adolescens laudat 'ædes festivissime apertas,' quibus 'nec mutit cardo:' dein jubet servo: 'tace; occultemus lumen et vocem.'

Extincta cum face canto] Cum pervenerant amatores ad ædes amicarum, facem extinguebant, ne agnoscerentur; et ante januam, nocte sæpe integra, amatoria carmina cantabant. Plautus, loco citato. Horat. Sat. I. 4. 'Ebrius, et (magnum quod dedecus) ambulet ante Noctem, cum facibus.' Quod vero Marcilius extinctam facem vult esse signum exclusionis, videtur hic non habere locum, ut si facem projectam aut jacentem Persius dixisset, quemadmo-

'Euge, puer, sapias: Dis depellentibus agnam
Percute.' Sed cense'n', plorabit, Dave, relicta?
'Nugaris: solea puer objurgabere rubra,

tincta? Macte animo, o puer, sapiens esto, et *agnam macta Numinibus averruncis. At,* o *Dave, putasne* quod Chrysis a me *deserta lacrymabitur? Nugas agis.* Certe, o *puer, castigaberis sandalio rubeo, ne* deinceps *vacillare cupias, et angustos*

NOTÆ

dum Propert. Eleg. I. 1. 'Semper et exclusi signa jacere faces.'

Canto] Insignem et elegantem ejusmodi cantilenam scripsit Horat. Od. III. 10. ubi sic est, 'Extremum Tanaim si biberes Lyce, Sævo nupta viro, me tamen asperas Porrectum ante fores objicere incolis Plorares Aquilonibus. Audis quo strepitu janua,' &c. Et in fine. 'Non hoc semper erit liminis, aut aquæ Cœlestis patiens latus.' Ovid. Fast. 5. 'Ebrius ad durum formosæ limen amicæ Cantat.' Hoc Plautus dicit, 'occentare ostium.' Mercat. scen. 4. Pers. scen. 15.

167 *Euge, puer*] Gratulatur Davus Chærestrato saniorem mentem, quam testatur. *Sapias,* perge in tam bono consilio, errorem aliquando tandem agnoscens.

Dis depellentibus] Diis insaniæ averruncis, et fatuum amorem amoventibus: forte Castori et Polluci, qui valere plurimum credebantur ad avertenda mala: *agnam percute,* sacrifica, tam pro gratiarum actione, quam ut faxint te perstare in laudabili proposito. Horat. Od. II. 17. 'Nos humilem feriemus agnam.'

168 *Sed cense'n', plorabit*] Jam vacillat juvenilis animus: veretur scilicet ne doleat Chrysis si eam relinquat, jam proprii oblitus mali. Cæcus amor!

Plorabit, Dave, relicta] Sunt pro armis mulieri, meretrici vero inprimis, lacrymæ. His libertati amantium insidiantur; his meliora cogitantes expugnant. Unde Terent. Eunuch. scen. 1. 'Hæc verba mehercule una falsa lacrumula, Quam oculos terendo misere vix vi expresserit, Restinguet: et te ultro accusabis; et ei dabis Ultro supplicium.'

169 *Nugaris*] Siccine vis finire dolores, qui tam parum tibi constas? inquit servus frugi ad herum amore insanientem: profecto nugas agis in re seria. Vix ungues malæ bestiæ meretricis effugies: et dolebit tibi gravius quam ante. Quod si illa te intellexerit, actum est, eludet, peristi.

Solea puer] Quod bis jam Davus ad Chærestratum dominum ait, *puer,* non vacare putandum est. Hinc nimirum suam ei servitutem blande objicit, qua libidini servit, miserum plusquam Davus ipse mancipium. *Soleæ* crepidæ muliebres, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, ceteris prope nudis, et teretibus habenis vinctis. His etiam usi homines mulierosi non sine dedecore, ut testatur Gell. XIII. 20. Alex. ab Alex. V. 18. Tull. act. 7. in Verrem n. 85. et in L. Pisonem n. 18. utrique exprobrat quod prodirent *soleati:* et de harusp. resp. num. 44. P. Clodio *crocotam, mitram, muliebres soleas,* objicit.

Objurgabere] Etiam audebit petulans meretrix verberare te, solea pulsare nates, ut est apud Juvenal. Sat. VI. vs. 611. atque ut habet Terentius in Eunucho: 'Tibi commitigabitur sandalio caput.' S. Chrysost. Homil. 14. ad populum Antioch. et alibi sæpe enarrat, quam et quot indignis modis

Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.
Nunc ferus et violens: at, si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum arcessor, et ultro
Supplicat, accedam? Si totus et integer illinc

laqueos arrodere. Tu quidem *modo ferox* es *et vehemens. Verum si accersat* te, *statim dices: Ergo quid agam? An non ibo ad* eam, *tunc quando* me *vocat, et sponte rogat? Si totus et integer inde recesseras, neque tunc* ire debes. *Ille ille,*

unctus C.—170 *nec trepidare* Ms. Gal.—172 *nec nunc cum arcersor* Ms. Gal.—173 *supplicet* Edit. vulg.

NOTÆ

abuti soleant meretrices stolida amatorum patientia.

Rubra] Delicatulæ mulieres purpureas amabant soleas, auro etiam distinctas, interdum et gemmis.

170 *Ne trepidare velis*] Chrysis te objurgabit; ut ita castigatus, deinceps non tentes ullum suis e laqueis effugium. Alii sententiam hanc a priori sejungunt, interjecto puncto: ut sensus sit; frustra est quod trepidas, et videris quærere libertatem, immo vero plane irretitus, ut es, et captus, malis assuesce. Terent. jam cit. 'Te redimas captum quam queas minimo: Et ne te afflictes,' &c.

Trepidare] Videtur positum hic pro *festinare*, ut apud Horatium sæpe, et alios. Od. II. 4. 'Octavum trepidavit ætas Claudere lustrum.' Si tamen propius rem intueamur, hic non significat *properare*, ut citato Horatii loco: *nec tremere et cunctari*, ut vulgo: sed *luctari et jactare se*, quasi ad excutiendum jugum. Ita Casaub. Quo sensu usurpatur a Seneca l. III. de Ira. 'Sic laqueos fera dum jactat astringit: sic aves dum viscum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.' Et Propert. Eleg. II. 3. mox citandis.

Arctos rodere casses] Metaphora a feris retia, quibus captæ sunt, frangere conantibus.

171 *Nunc ferus et violens*] O Chrysestrate, nunc quidem absente Chryside virum te præstas, audacem, fortem. At ubi illa te accerset, heu fractus et mollis videbere. Propertius Eleg. II. 3. 'Ac veluti primo taurus detrectat aratra; Mox venit assueto mollis ad arva jugo. Sic primo juvenes trepidant in amore feroces: Dehinc domiti post hæc æqua et iniqua ferunt.'

At, si vocet, &c.] Ubi primum Chrysis te revocabit, sine mora, sine cunctatione, dices, an igitur deseram? Nimirum te vinci et expugnari etiam gaudebis, et apud te inquies, numquid ego tam blande ab illa accersitus rogatusque possum non redire?

172 *Ne nunc, cum arcessor, &c.*] Ex Menandro Terentius, Eun. scen. 1. 'Quid igitur faciam? Non eam, ne nunc quidem Cum accersor ultro,' &c. Et ex utroque Horatius, Sat. II. 3. jam cit.

173 *Si totus et integer illinc Exieras*] At ego Davus tibi fidelis, o here, respondeo: te nec oportere ad Chrysidis servitutem reverti, etiamsi revocet, et ultro supplicet; siquidem ab illa non corpus tantum extulisti, sed et animum, cor, affectum; adeoque integer et totus evasisti. 'Anima magis est ubi amat, quam ubi animat.' Plaut. Asinar. scen. 3. 'Fixus hic apud nos est animus tuus clavo cupidinis.'

Exieras, ne nunc.' Hic, hic, quem quærimus, hic est,
Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.
Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem

quem investigamus, ille est: non vero is *quem apparitor vanus agitat in vindicta. An sui dominium possidet adulator ille, quem avidum trahit ambitio candidata?*

175 *lictor quem* Ms. R. *iniquus* Ms. Gal.

NOTÆ

174 *Ne nunc*] Alii explicant: si prorsus excusseras meretricis et libidinis jugum, signa dabis certissima tuæ libertatis, cum nec rogantem audies. Alii legunt, *nunc nunc;* et jungunt cum sequentibus; sed multo minus placent, videnturque truncare priora. Itaque concludit hic Stoicus syllogismum per aposiopesim, quæ suppleri potest sic: ergo, o M. Dama, tandemne capis discrimen ingens inter libertatem animi, et libertatem corporis? præterea, videsne non eum esse continuo liberum animo, qui semel aut iterum reluctatus est vitiis, et importunam eorum servitutem tentavit excutere? Spectasti certe Chærestratum illum corpore liberum, sed libidini servientem frustra trepidasse, et Chrysidis haud potuisse declinare aut frangere laqueos, quamvis id conatus sit facere, et jugum amoliri.

Hic, hic, quem quærimus, hic est] Qui oblatam spernit occasionem aut libidinis explendæ, aut faciendi lucri, &c. hic, hic, inquam, vere animo liber est, hic est, quem quærimus, et quem in te, o Dama, non invenimus.

175 *Non in festuca, &c.*] Talis vero non est, quem Prætor vindicta facit liberum civili, quod unum potest, libertate.

Festuca] Quidam accipiunt pro virga, seu bacillo, adeoque vindicta, quam Lictor Prætori offerebat, inquiunt, e fascibus extractam, ut ea, de more, manumittendi caput pulsaret, ut supra explicavimus. Alii vero pro stipula, quam dicunt in corpus ejus qui liberabatur, injici et inspergi solitam a Lictore, teste Plutarcho, de sera Dei vindicta. Plaut. Mil. Glor. IV. 1. 15. 'Quid? Ean' ingenua, an festuca facta e serva libera est?'

Lictor] Apparebant Prætori sex ministri seu Lictores, tum honoris causa, tum ministerii.

Quam] Sic legunt alii, et ad *festucam* referunt, quam a lictore jactari mos esset: alii, *quem*, et referunt ad eum, qui asserebatur in libertatem, eo modo quo mox diximus.

Jactat] Hoc etiam alii explicant aliter; vel *jactat*, id est, festucam injicit; vel *jactat Lictor*, id est, ostentat populo hominem e servo liberum derepente factum.

Ineptus] Vel Lictoris epitheton, contemtum indicans: vel significat non valere ad conferendam animi libertatem, sed tantum ad civilem.

176 *Jus habet ille sui, &c.*] Aliud exemplum de ambitioso, quod rursum incutit Damæ Stoicus, ad eum plenius convincendum. An, inquit, talis homo habet sui potestatem, et animi libertatem? Seneca dicit, *avaros non habere divitias, sed a divitiis haberi.* Et de Laide jactabat Aristippus, ἔχω, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι.

Palpo] Sunt qui ablativum dicant a nomin. *palpum*, id est, illicium, blandimentum: at cum aliis melius accipies in nominativo, *palpo, onis*, id est,

Cretata ambitio? Vigila, et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint

Vigil esto: atque abundanter cicer elargire plebi jurganti, ut vetuli ad solem expositi commemorare queant nostra Floræ festa. Quidnam honestius? sed quando

177 placebat *evigila*: sed nihil muto. *Casaubon.*

NOTÆ

adulator. *Palpare,* proprie est, manu mulcere, tractare, explorare; et per metaphoram, significat explorare hominum mentes, prætentare voluntatem, ad gratiam ab iis surripiendam. Hic ponitur pro ambitioso, qui prensat cives, et auram popularem captat, ut eorum suffragia demereatur, et sic ad honores et dignitates perveniat.

Ducit] Per Tribus circumducit, ad gratiam populi Romani aucupandam. Alii legunt, *tollit*, perinde est. *Hiantem*, anhelantem ad honores, ac velut aperto ore appetentem.

177 *Cretata ambitio*] Mos erat Magistratum aliquem ambientibus circumire in veste candore splendida. Non enim illi contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem, ut candesceret, immo splenderet. Unde κατ' ἐξοχὴν dicti *Candidati*: hinc et a vulgo discreti, cui alba quidem sed non candida toga erat. Hæc erudite Just. Lips. Elect. I. 13. ubi et citat Isidorum, XIV. 24. 'Fit toga addito quodam cretæ genere candidior:' et hæc ipsa Persii verba affert, multaque alia, ut probet quotidianam olim Romanis togam fuisse albam, quamvis certis diebus candidiores et splendidiores prodirent ob vestem seu recentem, seu cretatam. Hinc porro discrimen jubet poni inter vestem pullam, quæ funebris tantum; et sordidam, sive sordidatam, id est, contractis sordibus fuscam, qua utebantur supplices. De quibus omnibus ille fuse, ibidem.

Vigila, et cicer, &c.] Prosopopœia ambitionis homini honorum cupido præcipientis, quo pacto popularis fiat, et dignitates adipiscatur. *Vigila*, inquit, summo mane discurre, labora, exerce te in hac urbana militia: sic enim Tullius ad Attic. vocat Candidatorum vitam. Ante lucem ito ad cives, eisque salutem diemque prosperam apprecare, operam tuam et officium sponde, ut eorum tibi pares benevolentiam.

Cicer ingere large] Legumina varia sparge abundanter in vulgus, fabam, cicer frictum scilicet, &c. sic Æдiles viam sibi muniebant ad superiores Magistratus per missilia ejusmodi et congiaria, maxime in Floralibus. Alex. ab Alex. VI. 8. Horat. Sat. II. 3. 'In cicere atque faba, bona tu perdasque lupinis.' Martial. de impensis, in Floralibus: 'Et populare sacrum bis millia dena tulisset.'

178 *Rixanti populo*] Donaria certatim excipientibus et sæpe rixas moventibus aliis in alios, præ aviditate colligendi et plus habendi, adeo ut e rixis cædes non raro contingerent.

Nostra ut Floralia possint, &c.] Ut istius liberalitatis memoria transeat ad posteros, senibus eam ad filios ac nepotes referentibus.

Floralia] Flora, mulier impudica, arte meretricia ingentes acquisitas opes Populo Romano ex testamento legavit, ea conditione, ut natalis suus dies festus haberetur. Huic itaque, procurantibus Æddilibus, ludi quotannis celebrabantur omni lascivia pleni, *convenientes quidem memoriæ meretri-*

Aprici meminisse senes. Quid pulchrius?—At cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,

illuxit dies Herodis, et aptatæ lampades ad fenestram delibutam, ferentes violas,

180 *junctaque*, sed cum gloss. *picta*. Ms. Gal.

NOTÆ

cis, ut notat Lactantius I. 20. unde et erubuit Populus ipse Romanus ludos Florales exhiberi integros coram C. Porcio Catone, qui propterea e Theatro discessit, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret, ut refert Valer. Maxim. II. 10. Postea vero, ut tanto pudori color quæreretur, Floram dixere Deam florum, colebantque quarto Kalendas Maii, seu die 28. Aprilis, quasi ut sata felicius crescerent. Ovid. in fine IV. et in V. Fastorum. Macrob. Saturnal. I. 4. S. Augustin. de Civit. Dei, VI. 7. Alex. ab Alex. mox cit.

179 *Aprici*] Senes amant aprica loca, id est, sole tepentia, in quibus deficientem cum ætate calorem foventes, maxime circa meridiem, nugis indulgent, unde Proverb. μεσημβρινὸς λῆρος. Interdum et laudant tempora se pueris acta, ut ait Horatius ad Pisones.

Quid pulchrius] Quid gloriosius, quam se posteritati commendare per munificentiam et honores, inquit ambitio, ad animum hominis sibi mancipandum: vel ironia est Stoici ambitiosorum insaniam deridentis.

At cum Herodis venere dies] Jam et superstitio suas partes agit, sibique obnoxium vult habere hominem. Quia vero Romæ superstitionis damnabantur omnes externi ritus, omnis religio peregrina; hinc Persius exempla Judæorum accersit e Syria, et Ægyptiorum apud quos Isis celebratur; aut certe Romanorum quorundam eas religiones observantium superstitiose.

180 *Herodis*] Triplex fuit *Herodes*, primus Antipatri filius, Rex Judææ dictus a Romanis, sub quo natus Christus Dominus: qui et paulo post mortuus velut Christus et Messias est observatus a nonnullis, qui inde Herodiani vocati sunt. Alter fuit *Herodes* prioris filius, cognomine Antipas, sub quo mortuus Christus. Tertius *Herodes* Agrippa, Aristobuli filius, Jacobi Apostoli interfector, vivente Persio adhuc regnabat. Hujusne, an primi mentio fit hoc loco, nec doctissimi decernunt. Vetus Interpres sic habet: 'Herodes apud Judæos regnavit temporibus Augusti, in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis observant, ut etiam Sabbata: quo die lucernas accensas et violis coronatas in fenestris ponunt.'

Herodis dies] Dies Judæis Herodi Regi subditis festi, seu ob ejus natalem, seu ob susceptum ab eo Principatum.

Unctaque fenestra] Scilicet ob exudans oleum e lampadibus in signum lætitiæ accensis, et ad fenestras ex ordine collocatis.

181 *Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ*] Fumum densum et crassum emittunt *lucernæ* in fenestris *dispositæ: portantes violas*, floribus etiam ornatæ; ut mox dictum e vet.

Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino;
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.

exhalant fuliginem crassam; et innatat cauda thynni rubeam patinam complexa; et *vas fictile candidi* coloris *redundat vino; tunc secreto agitas labia, et expallescis*

NOTÆ

Schol. Locum hunc mire illustrat Just. Lips. Elect. I. c. 3. ubi hæc scribit: 'Mos apud Romanos receptus; in omni privata publicaque lætitia januam lauro ac lucernis ornari.—Ejusmodi lucernæ pensiles erant: et catenulis suspendebantur accensæ ad ædium januas aut fenestras. Vidimus ipsi in Italia æreas ejusmodi lucernas complures, quas intellexit etiam Poëta Princeps, *Pendent lychni laquearibus aureis.*' Quod hæ lucernæ ad januam, præter Juvenalem Tertullianus docet ad uxorem lib. II. 'Moratur Dei ancilla in laribus alienis, et inter illos omnibus honoribus Dæmonum, omnibus solennibus Regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur: et procedet de janua laureata et lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.' Quod vero ad fenestras etiam, probat ex hoc Persii loco, quem affert ibidem: Vide Juvenal. Sat. XII. 92. et ibi annotata.

182 *Rubrumque*] Miniatum, seu e terra rubra. Sic Martial. Epigramm. XI. 28. 'Paropsidem rubram posuit.' Et XIV. 114. 'Cumano rubicundam pulvere testam.'

Amplexa catinum cauda natat] Ingentem catinum implens thynni cauda in jure conditorio natat, epulantibus Judæis, et festos dies agentibus.

183 *Cauda thynni*] Piscis notus, de quo pluribus locis Athenæus: Plin. IX. 15. sic habet: 'Præcipua magnitudine thynni. Invenimus talenta quindecim pependisse. Ejusdem caudæ latitudinem duo cubita et palmum,' &c.

Tumet alba fidelia vino] Plena scilicet fidelia, vas vinarium ex argilla. Vide Sat. III.

184 *Labra moves tacitus*] Tu superstitiosus Judæis te immisces, in eorum proseuchis, seu precationibus; et concipis vota tacito murmure, de quo vide Sat. II. 6. Horat. Epist. I. 16. 'Labra movet metuens audiri.'

Recutitaque sabbata palles] Cum Judæis colis Sabbata, tremens, et stolide religiosus. Certe Judæos nimium hac in re superstitiosos quis non fateatur, cum hostes ingruentes invadentesque Sabbato repellere, ac tueri se, religioni ducerent; quin et Christum Dominum incusarent et criminarentur, quod ægros sanaret die Sabbati?

Recutita] Hypallage Judæi recutiti dicebantur ob circumcisam præputii cutem: sic et Horatio *Apella*, id est, sine pelle, scilicet in ea quam dixi corporis parte, cujus circumcisio divino jussu mandata designabat cordis separationem a cupiditatibus, ut ait Lactantius, et alii.

Sabbata] Vox est Hebraica requiem significans, et diem hebdomadæ septimam, Deo jubente per Mosem, Judæis feriatam, tum ut meminissent orbis a Deo conditi et sex diebus perfecti; tum etiam suæ ex Ægypto liberationis. Hic vero *Sabbata* quamlibet Judæorum celebritatem indicare videntur, per metonymiam.

Palles] Sive ob jejunium, quod ad vesperam Judæi servabant; seu ob metum superstitiosum; seu ob squalorem, et cinerem quo illi se conspergebant in Sabbatis saltem aliquibus.

Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Hinc grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos,

ad *sabbata circumcisa. Tum larvæ atræ, et pericula ovo disrupto: deinde Galli ingentes; et Sacerdos cocles cum crepitaculo injiciunt* terrorem *Numinum, quæ fa-*

NOTÆ

Quæ omnia ridet Juvenalis, Sat. XIV. 96. et seq. et Persius hic. Male enim audiebant Romæ Judæi, quos tumultuantes expulit Roma Imperator Claudius, Nero suppliciis coërcuit, Domitianus vexavit tributis: ut refert Suetonius.

185 *Tunc nigri lemures, &c.*] Neque solum afficit te superstitiosus pallor, sed et subigit terror vanus e lemuribus, et futilibus portentis. Horat. Epist. II. 2. 'Somnia, terrores magicos, miracula, Sagas, Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?'

Lemures] Apuleius de Deo Socratis: 'Animus virtute perfectus Genius vocatur. Animum humanum emeritis vitæ stipendiis corpore suo abjurantem vetere Latina Lingua Lemurem dictitatum reperio,' inquit. 'Ex hisce Lemuribus qui posterorum suorum curam sortitus, placato et quieto Numine domum possidet, Lar familiaris dicitur: qui vero ob adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione, seu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, id genus plerique Larvas perhibent. Cum vero incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit, an Larva, nomine Manem Deum nuncupant.' Idem Apuleius in Apologia sic habet: 'Duat tibi Deus obvias species mortuorum, quicquid Umbrarum est usquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Larvarum oculis tuis oggerat, omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.' Plin. Epist. VII. 27. multa refert id genus nocturna phantasmata, tum aliis cum sibi visa. Hic per *Lemures* significantur Umbræ nocturnæ et Larvæ domos infestantes, quæ omnia noctium terriculamenta procurabantur seu averruncabantur, fabam noctu in Sacris jactando; testantur Varro, de Vita Populi Romani lib. I. ubi ait, 'In Sacris fabam jactant noctu, et dicunt se Lemures domo extra januam ejicere:' et Ovid. Fast. V. fuse rem explicat, et morem illum superstitiosum persequitur: 'Signaque dat digitis medio cum pollice junctis, Occurrat tacito ne levis umbra sibi. Cumque manus pure fontana perluit unda, Vertitur, et nigras accipit ore fabas. Aversusque jacit:—umbra putatur Colligere,' &c.

Ovoque pericula rupto] 'Sacerdotes qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite, an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum portendebat ei pro quo factum fuerat, vel rei familiari ejus.' Hæc vetus Scholiastes. At aliud superstitionis genus de ovis ruptis narrat Plinius, XXVIII. 2. 'Huc pertinet,' inquit, 'ovorum ut exsorbuerit quisque calices, cochlearumque, protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari.' Veteres nimirum hominem lædi putabant per maleficium, si ovorum testæ acu perforarentur: quod ne eveniret, ovorum cochlearumque putamina statim frangebant ac pertundebant, ut maleficium occuparent atque averterent. Turnebus.

Incussere Deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris allî.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones;

ciunt corpora intumescere, nisi matutino tempore ter comederis caput allii præscriptum. Ista loquere apud Centuriones varicibus notatos, statim Vulfenius procerus

NOTÆ

186 *Hinc grandes Galli*] Nova palloris causa timorisque.

Grandes] Sive quia cothurnati, et hinc grandiores videntur; sive quod præcipue venerandi. Vide Fenestell. de Sacerdot. Rom. cap. 12. Alii volunt grandes appellari, eo quod illi utpote castrati grandescant potissimum, ut fere fit. Favet Juvenalis Sat. VI. 512. 'Matrisque Deum chorus intrat, et ingens Semivir, obscœno facies reverenda minori, Mollia qui rapta secuit genitalia testa.'

Galli] Sacerdotes Cybeles, ita dicti a Gallo Phrygiæ fluvio, cujus potus furorem inducit usque ad exsectionem virilium. Fenestell. loco mox citato, Plin. XI. 49. et Varro apud quem *gallare* est furere instar Gallorum. Ovid. Fast. IV. 'Inter, ait, viridem Cybelen altasque Celenas Amnis it insana nomine Gallus aqua. Qui bibit inde, furit,' &c.

Cum sistro lusca Sacerdos] Sacerdos Isidis Ægyptiorum Deæ, in cujus Sacris ferens crepitaculum ex ære vel argento: sicut Galli cymbalum. De his fuse ad Juvenal. Sat. VI.

Sistro] Σεῖστρον, a σείω, concutio.

Lusca Sacerdos] Insana, vitiosa, sicut alibi pro stulto ponitur. Vel revera uno orbata oculo, seu irato illi Isis percussisset lumina sistro, ut aiunt Juvenalis, Sat. XIII. 93. et Ovidius, lib. I. de Ponto, Eleg. 1. seu quod 'Nobiles deformes cum maritos non invenerint, ad ministeria Deorum se conferant:' quod aiunt veteres Gloss. hic.

187 *Incussere Deos*] Injiciunt metum Syriæ Deæ, Cybeles, Isidis, levibus animis occinentes, illam furore concutere, hanc plagis, ulceribus, morbisque afficere et affligere: quæ tamen incommoda et ægritudines a causis naturalibus proficiscuntur, ut erudite disputat Aretæus lib. de acutis morbis, cap. 9. ubi explicat cur Syrios Ægyptiosque tetra hæc ulcera diverxent potissimum.

Deos inflantes corpora] Tumorem in corpus immittentes, nisi placarentur, ut credebant. Martial. Epigramm. IV. 43. 'Juro per Syrios tibi tumores, Juro per Berecynthios furores.' Juvenalis Sat. XV. 2. superstitiosos Ægyptios irridet, vana quævis et ridicula pro Diis colentes, etiam porrum, cepe, &c.

Si non prædictum, &c.] Nisi observes quæ jubent Sacrificuli illi et Sacrificulæ ad placandos Deos suos.

188 *Prædictum*] Ante nominans, quem comedas, ex superstitioso ritu, inquiunt nonnulli, quibus tamen alii refragantur.

Ter mane] Superstitio elucet in singulis, et quod certo tempore, et quod certis vicibus.

Caput gustaveris alli] Quod amuletum contra incantamenta et ad multarum noxarum depulsionem valere vana credidit antiquitas, videlicet caput allii aut cepæ a jejuno comestum. Turneb. XVIII. 12. Plinius XX. 6. de allii virtutibus multa refert, aitque 'utilem quandam inflationem facere, insaniæ mederi,' &c.

189 *Dixeris hæc inter, &c.*] Hæc de vera libertate disputa coram stupidis

Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.

rustice cachinnatur, et centenos Græcos æstimat centum assibus decuriatis.

191 *Vulpenius* Edit. Steph. *Vulfennius* Ms. R. Variant scripti *Pulfennius* et *Vulpennius*. Casaubon. *Pulfenius* C.

NOTÆ

et imperitis militibus, si vis cum ludibrio et sanna excipi. Quasi vero ferant illi se dici non usquam esse liberos, sed plane servos. Prov. Græc. στρατιωτικὴ ἀλογία: *Militum more rationem haud capit.*

Varicosos centuriones] Qui habent in cruribus varices e labore militari, quique ut corpore sic animo intumescunt. Varices porro sunt venæ multo et impuro sanguine inflatæ in cruribus; quod cursoribus, bajulis, et diu stantibus accidere, ait Avicenna. Varicosi dicuntur fuisse M. Tullius Cicero, C. Marius, aliique. De Mario ipse Tullius Tuscul. Quæst. II. n. 53. sic habet: 'C. Marius rusticanus vir, sed plane vir, cum secaretur, vetuit se alligari, nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. Cur ergo postea alii? valuit auctoritas. — Crus vero alterum non præbuit. Ita et tulit dolorem ut vir, et ut homo majorem ferre, sine causa necessaria, noluit.' Plinius XI. 45. ait C. Marium, qui septies Consul fuit, stantem sibi passum varices extrahi, inter homines unum; scilicet eo sæculo: nam in aliis id factum postea, testis Cicero loco mox citato. Denique Plutarchus in Vita Marii initio refert eum crura plena varicibus habuisse, et cum deformitatem ægre ferret, accersito Medico, haud ligatum, alterum crus præbuisse, atque inter incidendum, constanti animo perstitisse: at vero crus alterum poscenti Medico negasse, subjecisseque; tantum dolorem iterum perferre, indignum se arbitrari.

Centuriones] Ductores peditum. De his, vide Vegetium de re Militari, l. II. Dionys. Halicarn. l. IV. 'Centuriones,' inquit, 'electi erant ex omnibus bello strenui, qui suos quique manipulos jussis obtemperantes exhibebant.' Ex his intelligere est alium Centurionem manipularem fuisse, qui viginti militum, et turbæ Scutatorum ductor erat, alium vero Centurionem Primipilum, qui tribus vexillis præerat; porro vexillum homines centum octoginta tres complectebatur. Vide Alex. ab Alex. I. 5.

190 *Crassum ridet*] Ingentes repente cachinnos tollit, et in risum effusum solvitur. *Vulfenius ingens*, Miles aut Centurio procerus et robustus. *Vulfenius:* fictum a Poëta nomen creditur, pro quo legitur et *Vulpennius*, et *Pulfennius*.

191 *Et centum Græcos, &c.*] Philosophos centum ea sentientes et affirmantes magno conatu totidem assibus nolit emere, nedum fidem habeat eorum dictis etsi verissimis.

Græcos] Sic Sat. I. posuit, *crepidas Graiorum;* nempe e Græcia emerserunt omnes fere Philosophi, Philosophiæ et Sapientiæ rudimenta, immo documenta et lumina.

Curto centusse licetur] Centusse mutilato, non integro, adeoque vix uno asse unum Sapientem æstimat.

Licetur] *Liceri*, est in auctione publica pretium deferre.

SATIRA VI.

AD CÆSIUM BASSUM.

ARGUMENTUM.

SATIRA hæc ad Cæsium Bassum scripta de legitimo divitiarum usu agit. In principio amicum Noster certiorem facit, se in præsentia Lunæ, Liguriæ oppido, summo otio frui procul a curis et omni invidia. 17. Alios aliter sentire, sæpeque eorum, qui eodem temporis puncto nati sint, studia esse diversissima. 19. Se, quamvis alii diversum vitæ genus sequantur, suo more vivere, parcumque et sobrium sine sordibus esse velle. 24. Annuos reditus licere consumi. 26. Si quid inopinati accidisset, non dubitandum, de patrimonio ipso aliquid detrahere. 32. In colligendis opibus hæredis, ne funus minus splendidum curet, rationem habere, stultum esse. 41. Si vel legitimus hæreditatem, sumtibus factis imminutam, se aditurum esse negasset, hæredem sibi omnino non defuturum. 56. Nihil interesse, quonam loco ille natus sit, omnes enim homines cognatione quadam inter se jungi. 60. Rem familiarem viventis esse, nihilque habere hæredem, quod jure suo postulare possit; quodcumque esset relictum, æqui bonique ipsi consulendum, lucrique insperati loco habendum esse. 71. Stulti esse, vitæ commoditatibus ipsum carere propter avaritiæ sordes, ut hæredes posteri vitam dissolutam et omni voluptatum genere plenam agant. 74. Sic enim semper existimandum, hujusmodi hominum cupiditati opes maximas, omni modo congestas, nunquam esse satis facturas, ut ne vel sic quidem sit, quod speres, fore, ut gratiam illorum hac ratione merearis.

ADMOVIT jam bruma foco te, Basse, Sabino?

O *Basse, jamne hyems te compulit ad caminum Sabinum? Numquid cithara, et*

NOTÆ

1 *Admovit jam bruma, &c.*] Avaros exagitat Persius hac Satira, quam ad amicum in Sabinis hyemantem, et lucubrandi causa secedentem scribit, ipse apud oram Ligusticam eodem consilio receptus et Roma digressus. Hinc statim intellige alia fuisse æstate domicilia, alia hyeme: et ad

Jamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,

fides jam tibi vigent plectro severo? o admirande artifex, metris intendere prin-

2 Hæc vetus est lectio, non *Tetrico;* quæ tamen eodem redit: nam Tetricus Mons Sabinorum, cujus gentis mores severiores etiam tum fuerunt, quando reliquæ Italiæ solutior jam disciplina. *Casaubon.*—3 *primordia vo-*

NOTÆ

villas non tantum valetudinis gratia, et verno tempore, secedere solitos; sed et qualibet tempestate, ut studio vel scriptioni indulgerent. Constat ex Tullio Epist. ad Attic. Sueton. in Augusto, cap. 72. Horat. Epist. I. 7. et 15. et aliis.

Brumæ] Quasi βραχεῖα ἡμέρα, inquit Festus. Dies anni brevissimi circa solstitium hyemale. Ovid. Fast. I. 'Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis.'

Basse] Ambigunt eruditi quis iste Bassus. Plures certe fuerunt hujus nominis viri, sed cognomina et artes seu instituta dissentiunt. De Aufidio Basso belli Germanici Scriptore, et de Salejo Basso Epico Poëta, quos laudat Quintilianus x. 1. non est hic mentio. Agellius III. cap. ult. item l. v. c. 7. et alibi meminit C. Bassi, qui de vocabulorum origine scite et lepide scripsit, at soluta oratione: atque adeo non est hic Persianus Bassus, etiamsi *veterum primordia vocum* legas et cum vulgo intelligas. Superest igitur ut veterem Scholiastem sequamur: sic habet: 'Hanc Satiram scribit Persius ad Cæsium Bassum Poëtam Lyricum, quem fama est in prædiis suis positum, ardente Vesuvio monte Campaniæ, et late ignibus abundanti, cum villa sua ustum esse. Hic ergo, dum viveret, Roma ad Sabinos necessario transibat, ubi brumali tempore, in calido loco carmina scribebat.' Favet Quintil. loco cit. qui Cæsium Bassum paulo ante vixisse, et 'post Horatium Lyrici Carminis laudem tulisse,' ait.

Sabino] Sabina terra agro Romano contigua veterem appellationem etiamnum retinet.

2 *Jamne lyra*] Jamne Lyricis Carminibus more tuo egregiam navas operam?

Lyra] Lyræ inventor Mercurius traditur. Vide Macrob. Saturnal. I. 19. Alex. ab Alex. II. 25.

Tetrico vivunt tibi pectine chordæ] An chordæ citharæ jam a te pulsantur pectine, et graves soni redduntur? Tetrico in gravibus ac seriis argumentis, et Stoico dignis, ut aiunt aliqui. Fuit apud Sabinos mons nomine *Tetricus*, sed nihil ad rem.

Vivunt] Dum muta jacet lyra, velut mortua est: at cum pulsatur moveturque, tum loqui et vivere videtur.

3 *Mire opifex numeris, &c.*] Tu qui peritus es fidibus aptare, et Carmine Lyrico describere primordia et origines seu rerum, seu vocabulorum, &c.

Veterum primordia vocum] Legit Casaubonus, *primordia rerum*, ut intelligatur historia primi temporis; nec enim legitur usquam, inquit, scripsisse Cæsius Bassus de Originibus vocum. Explicant alii de vocibus antiquatis et obsoletis, quas Bassus versibus suis insereret non sine arte et decore. Alii *veterum primordia vocum* dicunt esse ipsam Poësim,

Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ;
Mox juvenes agitare jocos, et pollice honesto
Egregius lusisse senes! Mihi nunc Ligus ora

cipia antiquorum vocabulorum, et masculum sonitum Latinæ chordæ; deinde agere ludos juvenum, et canere senes illustres digito decoro. Mihi vero jam tepescit cu-

rum Ms. R.—5 *aptare* Ms. Gal.—6 *Egregios* Edd. vulg.

NOTÆ

quippe quæ ante prosam a Scriptoribus usurpata fuerit. Ex Plin. VII. 56. et Horat. ad Pisones, qui ait, 'Fuit hæc sapientia quondam, Publica privatis secernere, sacra profanis.—Dictæ per carmina sortes; Et vitæ monstrata via est,' &c. Verum utraque hæc interpretatio longe petita videtur. Malim igitur cum Casaubono, et aliis quibusdam, *θεογονίαν* et *μυθιστορίαν* intelligere, per *veterum rerum primordia*.

4 *Atque marem strepitum, &c.*] Solers scribere forte et generosum Carmen Lyricum, de quo Horatius ad Pisones: 'Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum, Et pugilem victorem, et equum certamine primum, Et juvenum curas, et libera vina referre.' Et Od. 13. l. II. ait Alcæum *plenius aureo cecinisse plectro dura navis, dura fugæ mala, dura belli.*

Marem] Sic Horatius ad Pisones: 'Post hunc insignis Homerus Tyrtæusque mares animos in Martia bella Versibus exacuit.'

Fidis intendisse Latinæ] Apud Græcos Lyrici Poëtæ novem memorantur, Stesichorus, Bacchilides, Ibicus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcæus, Sappho, quibus addunt aliqui Corynnam, ut decas impleatur; at apud Latinos duo tantum claruere, Horatius et Cæsius Bassus, ut ait Quintil. X. 1. jam cit.

Intendisse] Intensio nervorum in cithara varios varia sonos et modos facit.

5 *Mox juvenes agitare jocos*] Juveniles curas, amores, ludos, convivia describere. Horatius loco citato paulo ante.

Pollice honesto] Tangens citharam *pollice honesto*, id est, insignes virtute viros, heroum facta celebrans, nobili Carmine et glorioso conatu, *lusisse* ac cecinisse. Virgil. Ecl. I. 'Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.'

6 *Mihi nunc Ligus ora intepet*] Dum tu in Sabinis secessu gaudes et liberali otio; ego pariter urbe cessi, et quietus ago in Lunensi villa, ubi fruor aëre temperato, et tepore maritimæ regionis. Porro addunt veteres Glossæ, 'secessisse illuc Persium in Liguriæ fines, videlicet propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quæ, post mortem prioris viri, ibi nupta erat.'

Ligus ora] Liguria Italiæ pars in longum protensa versus Meridiem, a Narbonensi Gallia ad Thusciam, secundum maris littus. Hodie, *Ora Genuensis*, a Genua civitate principe nuncupata.

7 *Intepet*] Sive ob situm inter montes, sive ob agitationem vicini maris, quæ quidem major hyberno tempore: Cic. l. II. de Natura Deorum, n. 26. 'Maria agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit in tantis illis humoribus inclusum esse calorem: nec enim ille externus et adventitius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus; quod nostris quoque corporibus con-

Intepet, hybernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multa littus se valle receptat.
Lunai portum est operæ cognoscere, cives.
Cor jubet hoc Ennî, postquam destertuit esse

tremitas Liguriæ, et meum mare est in hybernis, ubi rupes protendunt amplum latus, et ora sese colligit multiplici convalle. O cives, juvat nosse portum Lunæ. Ennii cor id præcipit, posteaquam desiit somniare se esse Mæonidem Quintum ex pavone

—9 Sic Edd. plurimæ: at quædam habent *Lunai pretium*. *cognoscite* C.—

NOTÆ

tingit, cum motu atque agitatione recalescunt.'

Hybernat mare] Ut fieri solet hyeme, concitatur. Horat. Sat. II. 2. 'Defendens pisces hyemat mare.' Veteres Glossæ, id est, 'sævit, vel a navigiis vacat. Sicut enim naves hybernare dicimus; sic et mare, cum non navigatur.' Apud Vegetium l. IV. dicuntur claudi maria ab Idibus Novembris ad Idus Martias, aut circiter.

Meum mare] Id est, patrium, seu Etruscum mare, quippe cum oriundus esset Persius Volaterris oppido Hetruriæ.

Qua latus ingens dant scopuli] Loci descriptio. Scilicet prominent in mare scopuli seu rupes multiplices, et montes excelsi Lunæ portum circumcludentes. Strabo, l. v. Sic Virg. Æn. IX. 'Qua se subducere colles Incipiunt,' &c.

8 *Multa littus se valle receptat*] Ubi sinum fecit natura, et deflexum littus in formam Lunæ curvatur; nomenque inde datum. Porro Lunæ portus, ut ait Strabo, loco citato, amplus valde et capax, multos intra se portus amplectitur magnæ profunditatis universos, adeo ut omnium qui maris teneant imperium, facile fieret receptaculum.

9 *Lunai portum*] *Lunai* per diæresim, pro *Lunæ*. Sic Virgil. *aquai*, *aulai*, *pictai*, et alii diphthongum solventes. *Luna* urbs Hetruriæ antiquissima, in Liguriæ confinio, ad ostia Macræ fluvii: cui in Episcopali dignitate modo successit Sarzana, quæ nova Luna dici potest. Lunæ vero portus certe maximus, seu verius sinus Liguriæ, inter portum Veneris et portum Erycis, ambitu viginti millia passuum patens: hodie, *Golfo della Spezzia*, sic denominatus ab oppido Spetia, quod situm est in intimo recessu. Ferrar. Celsis undique montibus circumcingitur, qui prospectum longe pelagi præbeant: nam et Sardiniæ et magna utriusque littoris pars cernitur. Strabo. *Primum oppidum Hetruriæ, Luna, portu nobile*, Plin. III. 5. et XIV. 6. ait Lunensia vina palmam ferre inter Hetrusca. Celebratur etiam Lunense marmor, l. XXXVI.

Est operæ, &c.] Supple, *pretium*: id est, utile et jucundum est tam amœnum portus Lunæ situm cognoscere, ejusque descriptionem petere ex Ennio, quam in Annal. sic incipit: 'Est operæ pretium, o cives, cognoscere portum Lunæ.'

10 *Cor jubet hoc Enni*] Id est, hoc nobis imperat Ennius vir cordatus et sapiens. Nam cor vitæ fons et radix ponitur etiam pro mente et sapientia. Porro versum hunc ad suum carmen de Ennii carminibus translatum a

Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hic ego securus vulgi, et quid præparet Auster

Pythagoræ. Ego Persius *isthic dego non anxius* sermonum *plebis; et parum*

NOTÆ

Persio notant veteres Glossæ.

Enni] *Ennius*, Epicus Poëta inter Latinos post Liv. Andronicum vetustissimus, Annales Populi Romani scripsit, et alia quædam, quorum fragmenta duntaxat supersunt. In Ennio elucebat ingenium acre, eruditio multiplex, cultus, modestia, comitas, probitas, fides, &c. Et cum triplicem linguam calleret, Græcam, Oscam, Latinam, dicere solitus erat tria se corda habere. Crinitus, Gellius, XVII. 17. Cic. Tusc. Quæst. I. num. 34. Epitaphium Ennii ab ipso scriptum refert: 'Aspicite, o cives, senis Ennii imagini' formam. Hic vestrum panxit maxima facta patrum. Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu Faxit, Cur? Volito vivu' per ora virum.' Horat. Epist. II. 1. 'Ennius et sapiens, et fortis, et alter Homerus, Ut critici dicunt, leviter curare videtur Quo promissa cadant, et somnia Pythagorea.'

Postquam destertuit, &c.] Tum hoc jubet, cum sapit maxime, et cum vere est Quintus Ennius, nec jam somniat esse se Homerum, seu habere se animam Homeri. Vel ut ait Marcilius, Persii mens est: postquam Annalium initio Ennius narravit somnium suum de apparente sibi Homero, et affirmante suam olim animam jam Ennii esse, &c. tum portus Lunæ descriptionem aggressus jubet attendere, hoc versiculo, *est operæ pretium, &c.* ut supra. Huc pertinet quod in Prologo scripsit Persius, vs. 2.

11 *Mæonides*] Ita dictus Homerus vel a Mæonia patria, vel quod esset Mæonis filius.

Quintus] Ennii prænomen est, quicquid nugati sint aliqui de quinta ab Homero metempsychosi. Turn. XXX. 7. Casaub. alii.

Pavone ex Pythagoreo] Id est, Postquam Ennius fingere desiit immigrasse in se animam Homeri, a quo illa in pavonem, ac deinde in Pythagoram; postea vero in Ennium transiisset. Diog. Laërt. l. VIII. ait, Pythagoram dicere solitum animam suam primum fuisse Æthalidis, qui Mercurii filius habitus est, ab Euthalide in Euphorbum, ab hoc in Hermothimum, post in Pyrrhum Delium piscatorem, denique in Pythagoram transmigrasse. Ovid. Met. XV. 3. Pythagoram ita loquentem inducit. 'Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli Panthoides Euphorbus eram,' &c. Persius hic deridet aniles illas opiniones de metempsychosi Pythagorica. Quod et fecit Tertull. Lib. de Anima, cap. 24. et seq. cap. vero 33. sic habet: 'pavum se meminit Homerus Ennio somniante: sed Poëtis nec vigilantibus credam,' &c. Et cap. 34. 'In pavone tunderetur Homerus, sicut in Pythagora Euphorbus.' Idem Tertullianus, Lib. de Resurrect. carnis, cap. 1. num. 7. 'ut in Pythagoram Euphorbus, Homerus in pavum recenseantur.' Pariter S. Hieron. Apoll. III. adversus Ruffinum, paulo ante finem. Et Lactantius Firmianus, III. 18. et VII. 23. ubi sic ait: 'Pythagoras transire animas in nova corpora disputavit, sed inepte: —et seipsum ex Euphorbo fuisse reparatum.'

12 *Hic ego*] In portu Lunæ versor, ut jam dictum. *Securus vulgi*, parum curans rumores populares; procul a vulgari strepitu, et ambitione.

Et quid præparet Auster] Quid mor-

Infelix pecori, securus et, angulus ille
Vicini nostro quia pinguior; etsi adeo omnes
Ditescant orti pejoribus; usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.

solicitus quid Notus gregibus noxius apportet mali: *et quod iste angulus vicini mei sit fertilior nostro: ac si tandem quilibet deteriorum filii divites fiant: semper renuam propterea frangi senectute incurvatus, vel capere cœnam absque* cibo *pingui, et naribus contingere signaculum in lagena corrupta. Alter istis dissentiat.* O *Ho-*

NOTÆ

borum ac mali gregibus et segetibus creet et gignat ventus Meridianus, eo quod naturæ calidæ est et humidæ, ut ait Plinius. Hinc et Virgil. Geo. I. 'Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.'

13 *Angulus ille vicini nostro quia pinguior*] Non invidens vicino meo quod agrum habeat nostro pinguiorem. Hor. Sat. II. 6. 'O si angulus ille Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.'

15 *Ditescant orti pejoribus*] Neque pariter accuso Deos, eo quod locupletari videam homines infimæ sortis, improbos, ipsosque servos ac libertos, quos ad summas opes evehit Nero. Parum et id me solicitat. Hor. Epist. I. 6. 'Ne plus frumenti dotalibus emetat agris Mucius, indignum, quod sit pejoribus ortus.'

Usque recusem, &c.] Propter hæc omnia quæ dixi, quæque solent invidos et avaros torquere, nolim ego sordidam agere vitam, et ditari.

16 *Curvus*] Humi respiciens præ tristitia et dolore.

Minui senio] Senectutis incommoda accelerare per susceptos lucri causa labores; vel præ invidia, meipsum discrucians, et animum curis exercens. Ovid. I. de Ponto, Eleg. 5. 'Jam vigor, et quasso languent in corpore vires.—Confiteor facere hoc annos, sed et altera causa est, Anxietas animi, continuusque labor.'

Sine uncto] Sine lautitiis, quasi vero, avarorum more, oleribus vesci velim et defraudare genium, ut divitias hæredibus accumulem. Horat. ad Pisones, 'Si vero est unctum recte qui ponere possit.'

17 *Et signum in vapida naso tetigisse lagena*] Vinum vapescens bibere: et admotis ad lagenam oculis, ipsoque proinde naso, observare diligenter numquid servus forte resignarit appositum ex more signaculum, atque inde furtim hauserit. Unde Horat. Epist. II. 2. 'Posset qui ignoscere servis, Et signo læso non insanire lagenæ.' Non solum vasa vinaria signabant Romani, sed et penu, ac vilia quævis obsonia, ad arcendas rapaces manus servorum. Plin. Plaut. in Persa, sc. 6. 'Nam id demum lepidum est triparcos homines vetulos, avidos, aridos Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.' Et Tullius Epist. XVI. 26. ad Tironem sic habet: 'Sicut olim matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ.'

Naso tetigisse] Forte solebant avari olfactu explorare, num corrumpi jam inciperet vinum, quod diu servabant, et parce admodum bibebant. Utrovis modo accipias, sordes et avaritiam notat Persius.

Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo
Producis genio. Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum irrorans patinæ piper. Hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar;

roscope, profers gemellos ingenio dissimili. Unus *est qui* die *nativitatis tantum herbas aridas salsugine coëmta callidus in vasculo intingat, ipse inspergens catino piper sacratum. Ille* vero *juvenis magno animo ingentes facultates dentibus consumit. Ego* meis *utar, utar,* inquam: *neque propterea prodigus* ero *apponens*

—18 *vario* Ms. Gal.—22 *peragat* Ms. Gal.—23 *scombros* Ms. Gal. *hæc scrombes*

NOTÆ

18 *Discrepet his alius*] Etiamsi longe alia erit aliis mens et vivendi ratio, non mirabor: siquidem et gemini fratres sæpe discrepant moribus.

Horoscope] Astrum natale, seu nativitati præsidens, e cujus spectatione Astrologi judiciarii divinant quid homini sit eventurum in vita.

Varo producis genio] *Varo*, id est, vario ac dissimili. Vide Sat. IV. vs. 12. ad hæc verba: *Fallit pede regula varo.* Quicquid vero Astronomi garriant, etiam sub eadem stella natis dissimilia contingere nonnunquam, certum est. Sic narrat Lampridius Commodum et Antoninum Marci Imperatoris filios geminos nihil simile in vita habuisse, quibus tamen paria omnia promiserant Mathematici. Horat. Sat. II. 1. 'Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem Pugnis.' Vide A. Gellium, XIV. 1. ubi Genethliaci egregie impugnantur.

19 *Solis natalibus est qui, &c.*] Horum geminorum fratrum alter parcus et tenax erit, et in sua parsimonia solers et vafer: et vix aliquid sibi indulgebit in festis duntaxat, v. g. natalibus, quibus genio litari mos erat, et epulis operam dare.

Natalibus] Vel urbis, vel Imperatorum, de quibus Ovid. in Fastis.

20 *Tingat olus siccum muria*] Leviter imbuat olera et herbas aliquo condimento.

Muria emta] Salsamento quod tunc emit, nec, ut alii, habet in penu: quia delicias illas et cupedias raro adhibet. Fiebat muria e thynnorum tabe, et pauperum erat et avarorum duntaxat. At garum e scombro delicatorum erat ac divitum. Vide Plin. XXXI. 8. Hinc Mart. Epig. XIII. 103. de Muria: 'Antipolitani fateor sum filia thynni: Essem si scombri, non tibi missa forem.'

Vafer in calice] Etiam callidus ad genium tunc defraudandum, quippe non nisi in vasculo muriam coëmit et comparat, unde et intincta olera sicca remanent saltem parte sui maxima.

21 *Ipse sacrum irrorans, &c.*] Cibis aspergens modicum piper, cui parcit etiam velut rei sacræ. Ipse vero aspergit, ne servus aut coquus plusculum impendat. Hor. Sat. I. 1. 'Congestis undique saccis Indormis inhians, et tanquam parcere sacris Cogeris.' Et Sat. II. 3. 'Qui nummos, aurumque recondit, nescius uti Compositis, metuensque velut contingere sacrum.'

Hic bona dente, &c.] Alter autem geminorum prodigus opes abligurit et dilapidat in conviviis et luxu, &c.

22 *Magnanimus*] Valde se generosum velut ostentans, dum profundit

Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem solers turdarum nosse salivam.
Messe tenus propria vive; et granaria, fas est,
Emole. Quid metuas? Occa, et seges altera in herba est.

rhombos libertis, neque peritus dignoscere subtilem turdorum saporem. Vescere usque ad tuum messem, et mole horrea, licet. Quid timeas? Glebas comminue.

C.—24 *tenues salivas* Ms. Gal. et C. *turdorum* Edit. Steph. *tenues sol. turd. nos.* *vapores salivas* (sic) Ms. R.—26 *metuis? occ. en* C.

NOTÆ

patrimonium in malos etiam usus.

Peragit] Id est, conficit, atterit, disperdit.

Utar ego, utar] Ego Persius nec effundere velim male bona mea, nec sordide iis parcere: sed utar iis quæ usui tantum esse consecrata, Græci proprio nomine χρήματα appellando, bene admodum ostendunt. Sanctus August. magnum in eo malum docet, si *utare fruendis, aut fruaris utendis.* Horat. Epist. II. 2. 'Utar, et ex modico, quantum res poscet, acervo Tollam.'

23 *Nec rhombos ideo*] Nolim esse adeo in mensa splendidus, ut libertini generis hominibus, servis in libertatem assertis, aliisve infimæ sortis, opipara struam convivia.

Rhombos] Sunt pisces exquisiti saporis et magni apud Romanos pretii: dicti a rotunda quasi figura; habent enim dextrum latus resupinatum, ut ait Plin. IX. 20. Vide Juvenal. Sat. IV. vs. 39. et Sat. XI. vs. 121. ibique annotata. Horat. Sat. I. 2. 'Num esuriens fastidis omnia, præter Pavonem rhombumque?' Et Sat. II. 2. 'Quid? tum rhombos minus æquor alebat? Tutus erat rhombus.'

24 *Nec tenuem solers turdarum nosse salivam*] Nolim quoque palati esse supra modum delicati, ut discernam turdorum saporem, dignoscens mares a fœminis, sylvestres ab iis qui sunt in aviario educati, cellarios a terrariis, pastos junipero ab aliis: quod norunt 'quidam gulæ dediti, tantæ subtilitatis palatum habentes, ut dignoscant turdos.' Vetus Scholiastes: qui et addit: 'turdarum dixit abusive, pro, turdorum.' Ut Horatius ponit: 'Pene macros, arsit, dum turdos versat in igni.' *Turdi* inter volatilia celebrantur. Plin. X. 24. Athenæus II. 24. ex Aristotele tria recenset turdorum genera. Horat. Epist. I. 15. 'Obeso nil melius turdo.' Martial. Epig. XIII. 92. 'Inter aves turdus, si quis me judice certet: Inter quadrupedes gloria prima lepus.'

Salivam] Quia sapor salivam ciet, hinc pro sapore saliva ponitur. Docent Varro l. VIII. de Ling. Lat. Plin. l. XXIII. Propert. Eleg. IV. 9.

25 *Messe tenus propria vive*] Quantum ex agris uno anno colligis, tantumdem impende tibi et aliis: nihilque reserva in sequentem annum.

Granaria emole] Grana prioris anni mole: utere, quantum satis erit tibi ac familiæ tuæ; reliquum vero largire indigentibus. *Fas est:* æquum est et decet sic te agere divinæ providentiæ confidentem.

26 *Quid metuas*] An dubitabis horna messe uti, et insumere conges-

Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio: jacet ipse in littore, et una
Ingentes de puppe Dei, jamque obvia mergis

Secunda etiam seges herbescit. Sed revocat me *officium.* Ecce *familiaris egenus prensat Bruttios scopulos, fracta navi: et perdidit omnia bona, et preces non exauditas: ipse* vero *prostratus est in ora* maris *Ionii, et simul magni Dii de puppe: et*

NOTÆ

tas in granario fruges, cum aliæ crescant? Scilicet metuis perire fame?

Occa] Ligone frange glebas majores; quod faciunt post sationem agricolæ. Hinc vero significari videtur, jam utendum esse granis præterita messe collectis, et de his liberaliter largiendum. Casaubonus existimat poni simpliciter, pro *labora.*

Seges altera in herba est] Messis altera jam præparatur, unde novis granis horrea rursum impleas.

27 *Ast vocat officium*] Prosopopœia avari sese excusantis: verum enimvero, inquit, non ita fas est annuum proventum singulis annis totum consumere, nihilque sepositum reservare. Nam si id fiat quod mones, unde, quæso, suppetet quo subveniatur calamitatibus amicorum, et morbis aliisve malis derepente ingruentibus? Certe officii ratio tibi parere vetat. Hæc avarus.

Trabe rupta Bruttia saxa, &c.] Reponit Persius: quin igitur age, et protinus quod dixisti exequere. Familiari naufrago ad Scyllam scopulum, rerumque omnium egenti opem fer. Vel continuatio est sermonis avari prætextum hunc afferentis, ad quem respondebit mox Poëta: 'Nunc et de cespite vivo frange aliquid: largire inopi,' &c.

Bruttia] Bruttii Italiæ populi, in tertia regione, Lucanis, ut ait Strabo, contermini: ad littus inferi maris, non procul Sicilia, in Calabria nimirum Citeriori.

28 *Prendit amicus inops*] En amicus *trabe rupta,* illisa navi, post naufragium enatans evadit in littora Bruttiorum. Virgil. Æn. VI. 'Prensantemque uncis manibus capita aspera montis.'

Surdaque vota] Vota quibus surdi fuerunt Dii Marini, et inexorabiles, in mari perdita *condidit:* sicut in penu condita non apparent.

29 *Ionio*] *Ionium* mare est ad fauces Adriatici maris, Siciliam inter et Cretam: nominatum seu ab Ionio Dyrrachii filio, quem in illud Hercules dejecit: seu ab Ionum naufragio: seu, ut vult Solinus, ab Ionia extremæ Italiæ regiuncula.

Jacet ipse in littore] Elegans hypotyposis.

30 *Ingentes de puppe Dei*] Simul cum eo jacent Dii navis tutelares ablati de puppe, ubi sacrarium habebant, et ad quos in periculis nautæ vota nuncupant. Horum ille simulacra ingentia secum eripuit e naufragio, et magno labore abstulit vir religiosus et pius, cui proinde justum est opitulari. Virgil. 'Aurato fulgebat Apolline puppis. Arma Deosque parant comites.' Horat. Od. I. 14. 'Non tibi sunt integra lintea, Non Dii, quos iterum pressa voces malo.'

Jamque obvia mergis] Jamque navis diffractæ tigna, et trabes, super mare fluitantia, obvia feruntur marinis avibus ad ea advolantibus, ut inde prædam captent.

Mergis] *Mergus* est aquatica volu-

Costa ratis laceræ. Nunc et de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cœrulea in tabula. 'Sed cœnam funeris hæres

modo latus navis fractæ occurrit mergis. Huic igitur *rumpe statim quidpiam de glebis etiam immaturis: dona indigenti, ne vagetur depictus in tabella coloris ma-*

31 *Transtra* pro *Costa* B.

NOTÆ

cris, ab immergendo frequenter sese, nuncupata. De ea Plinius, x. 32. et alibi.

31 *Costa ratis laceræ*] Ligna quibus latera navis intexuntur. Virgil. Æn. II. 'Sectaque intexunt abiete costas:' Ponitur et *costa*, pro rei parte qualibet, ut Pers. Sat. I. 'Costam longo subduximus Apennino.'

Nunc et de cespite vivo, &c.] Quid ergo moraris, inquit Poëta ad avarum, dum in talibus angustiis est amicus inops? Huic non modo debes opitulari de annuo proventu et de superfluo, sed etiam de ipsis fundis, quibus nec fas est parcere ad sublevandam tantam ejus necessitatem et miseriam.

Cespite] *Cespes* est terra cum gramine: *cespes vivus*, hic est seges ipsa adhuc in herba, et viridis.

32 *Frange aliquid*] Detrahe, deme, separa quidpiam de tuo, quod egeno impertiaris.

Ne pictus oberret] Ne cogatur mendicando victum quæritare, sui naufragii exhibens imaginem, ex more naufragorum, de quo Sat. I. vs. 90. Item Horat. Od. I. 5. Et ad Pisones: 'Si fractis enatat exspes Navibus ære dato qui pingitur.' Et Juvenal. Sat. XIV. vs. 301. 'Mersa rate naufragus assem Dum rogat, et picta se tempestate tuetur.'

33 *Cœrulea in tabula*] Tabella in qua mare cæruleum coloribus adumbratum est.

Sed cœnam funeris hæres Negliget] Respondet avarus: atenim si ita patrimonium effundo, iratus hæres ob imminutam hæreditatem, mortuo mihi justa non persolvet, sumtus omittet et apparatus funebres. De his fuse Alex. ab Alex. III. 7. Porro ea quorundam erat ambitio, maxime illorum qui inglorii vixerant, ut optarent magnificum sibi funus duci et parari; inprimis autem ferales epulas et novendiales instrui, eo quod in his mos erat celebrare defuncti laudes. Casaub.

Cœnam funeris] Tobiæ c. 4. vs. 18. sic legitur: 'Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue; et de eo noli manducare et bibere cum peccatoribus.' Quo quidem Tobias filium docet hospitalitatem et eleemosynas in egenos exercendas, ad placandum Deum, et expiandas culparum reliquias: neque superstitionem Ethnicorum tueri potest ille locus. Enimvero apud eos cœna fuit multiplex et varia in funeribus. 1. Imponebantur rogo epulæ et cum cadavere cremabantur. Virgil. Æn. VI. 'Congesta cremantur Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.' Apuleius Florid. 4. vel potius 19. 'Exclamavit vivere hominem, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem a tumulo ad mensam inferrent.' 2. Funebris erat cœna, cujus meminit Tullius II. de Leg. n. 63. hæc nimirum dabatur ami-

Negliget iratus, quod rem curtaveris: urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,

rini. At hæres offensus quod bona diminueris, prætermittet epulum funebre, et *in urnam condet ossa* tua *sine odoribus, facilis ignorare sive cinnamomum emittat odo-*

34 *negligit* Ms. Gal.—35 Omnes veteres *inodora:* sed nec altera lectio improba est, quam vetus interpres agnoscit, *inhonora:* et argutantur sine ratione, qui illam refelli aiunt a sequentibus; nam ad honorem defuncti pertinebat, quod aromata et odores in urnam cum reliquiis conjiciebantur. *Casaubon.* ceu Ms. Gal.

NOTÆ

cis et propinquis, post exequias, maxime vero senibus et ætate provectis, inquit Alex. ab Alex. loco mox citato: ut per vini cibique lenimen desiderium defuncti levaretur. 3. Ad sepulcrum cœna deponebatur, de qua Juvenal. Sat. v. vs. 85. 'Ponitur exigua feralis cœna patella.' Et hæc vocabatur silicernium, seu quod eam Umbræ silentes cernerent, seu quod ex ea non gustarent. Sanctus Augustinus Serm. xv. de Sanctis eo respexit cum aiebat, 'Miror cur apud quosdam infideles tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos et vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epulas enim et refectiones caro tantum requirit, spiritus autem et anima his non indigent: parare aliquis suis caris dicit, quod ipse devorat, et quod præstat ventri, imputat pietati.' Superstitiosi hujusce ritus restat adhuc nonnihil in Occitania et aliis quibusdam Galliæ partibus, ubi prima die Novembris ad vesperam instruitur mensa vino, pane, cibo, ad animas defunctorum quasi pascendas aut honorandas, et ad posterum mane sic instructa relinquitur. Plin. x. 10. (mirandum) narrat milvos rapaces licet, et *famelicam semper alitem nihil esculenti rapere unquam e funerum ferculis.* 4. Epulum erat novendiale, et circumpotatio, Græcis, *περίδειπνον*, Athen. viii. 7. et tunc jactabantur defuncti præconia, non sine ambitiosis adulationibus. Hinc Græcum Proverbium: *οὐκ ἂν ἐπαινεθείης, οὐδ᾽ ἐν περιδείπνοις*, de homine prorsus illaudabili, in quo nihil est quod laudetur etiam in illis circumpotationibus, quæ ad ejus honorem post mortem instituuntur, et in cœna illa funebri, quæ tota ambitiosa est.

34 *Quod rem curtaveris*] Quod tantum de speratis bonis detractum sit. Horat. Epist. ii. 2. 'Nec metuam quid de me judicet hæres, Quod non plura datis invenerit.'

Urnæ] Cineres defunctorum urnæ immissos in sepulcro solitos condi, nemini non compertum.

35 *Ossa inodora*] Legunt aliqui, *inhonora*, neque Glossa veteri tuentur; verum repugnat textus sequens.

Ossa inodora dabit] Sine ullis aromatibus, aut vilia duntaxat unguenta adhibebit. De his vide Plin. xiii. 1. 2. 3. Juvenal. Sat. iv. vs. 108. 'Et matutino sudans Crispinus amomo, Quantum vix redolent duo funera.' Observandum duplicem fuisse in funeribus odores fundendi rationem. Primo flores, coronas, odores spargebant in lectum feralem, inque ipsum bustum; testantur Dion. Halicarn. l. ii. et alii. Propertius Eleg. iv. 7. 'Cur nardo flammæ non oluere

Seu ceraso peccent casiæ, nescire paratus.
Tune bona incolumis minuas?' Et Bestius urget

rem obtusum, sive casia ceraso admixto *vitiata sit.* Itane vero *tu valens decurtes*

37 *Sed Bestius* Edit. Steph. At vetustissimæ membranæ *et* magno consensu; aliæ minus antiquæ *sed.* Casaubon.

NOTÆ

meæ?' Deinde cremato cadavere, fiebat ossilegium, et rursum odoribus, vino, lacte, ossa collecta ab amicis rigabantur et a propinquis. Tibull. Eleg. III. 2. id innuit aperte. Demum conditis in sepulcro ossibus quotannis odores et corollas imponebant. Sanctus Hieronymus Epist. ad Pammachium sic habet: 'Ceteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos; et dolorem pectoris sui his officiis consolantur.'

Seu spirent cinnama surdum] Hæres offensus parum curabit an aromata exquisita sint, utrum odorem fundant acutum, an obtusum. Vide Plin. XII. 19. ubi inter alia scitu digna, sic habet: 'Cinnamomum, idemque cinnamum nascitur in Æthiopia.—Frutex duum cubitorum altitudine amplissimus, palmique minimus, quatuor digitos crassus.—Cinnami duo genera, candidius, nigriusque.—Coronas e cinnamo interrasili auro inclusas primus omnium in Templis Capitolii atque Pacis dicavit Imperator Vespasianus Augustus. Radicem ejus magni ponderis vidimus in Palatii Templo, quod fecerat Divo Augusto conjux Augusta aureæ pateræ impositam; ex qua guttæ editæ annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrum incendio consumtum est.'

Surdum] Dura quidem hæc Persii metaphora, durior tamen Horatii, quem imitatus est, Sat. II. 8. 'Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.'

36 *Seu ceraso peccent casiæ*] Neque solicitus erit purane sit casia, an adulterata, admixto gummi, vel cortice e ceraso. Plin. XII. 9. 'Adulteratur amygdala nuce, cetera ejus genera cortice scordasti: ita vocatur arbor æmula gummi: quod semel dixisse et in ceteros odores satis sit.' Pers. Sat. II. vs. 64. 'Corrupto casiam dissolvit olivo.'

Ceraso] Plin. XV. 25. 'Cerasi,' inquit, 'ante victoriam Mithridaticam L. Luculli, non fuere in Italia ad urbis annum 680. Is primum vexit e Ponto, annisque 120. trans Oceanum in Brittaniam usque pervenere. Eædem in Ægypto nulla cura potuere gigni,' &c.

Casiæ] Plin. XII. 19. ante cit. 'Frutex est casia,' inquit, 'juxtaque cinnami campos nascitur,' &c.

Nescire paratus] Id est, non admodum animadvertens, vel dissimulans, præ negligentia, ira, offensione.

37 *Tune bona incolumis minuas*] Pergit avarus: itane vero cum vigeas et valeas, nullaque ægritudine aut calamitate coactus, profundes et disperdes bona, quæ ad me hæreditario jure pertinent? inquiet mihi hæres meus.

Et Bestius urget] Alii legunt, *Sed Bestius,* &c.

Bestius] Nomen imperiti et bruti hominis, de quo Horatius Ep. I. 15. ubi nonnulli tamen legunt, *Mænius.* Doctiores tamen ex vetustis codicibus legunt, *Bestius,* quem Horatius ut voracem et helluonem exhibet,

Doctores Graios: 'Ita fit, postquam sapere Urbi
Cum pipere et palmis venit vestrum hoc maris expers:
Fœnisecæ crasso vitiarunt ungu e pultes.'

rem? inquiet. *Et Bestius insectatur præceptores Græcos: sic agitur, ex quo nostra hæc sapientia carens masculo* robore *advenit in civitatem, cum pipere et palmis, sectores fœni infecerunt pultes unctura pingui.* An *ista formides* cum eris

39 *nostrum hoc* Edd. vulg. *hoc nostrum* Ms. Gal. Omnes Editiones, quas ego inspexi habent *nostrum hoc maris expers;* et inde nata est difficultas, ad quam tollendam plerique interpretes nequicquam sudarunt. Haud scio, an Reinius hanc lectionem *vestrum* ingenio suo debeat; at unusquisque intelligat, hac lectione recepta, faciliorem esse interpretationem: *vestrum hoc sapere* i. e. vestra sapientia. Bene noster usus est hoc *sapere*, cum anceps ejus vis, et potestas hoc loco vehementer apta sit. *Kœnigius.*—40 *Fœniciæ* Ms. Gal.—

NOTÆ

Bestius urget Doctores Graios] Hæredipeta ille avidus accusat Philosophos, qui liberalitatem et munificentiam commendantes ac suadentes, in causa sunt cur minora hæredibus relinquantur.

38 *Doctores Graios*] Græcos poni pro Philosophis, jam diximus Sat. I. et V. versu ultimo. Hic vero cum aliis quibusdam intelligo Romanos Græcam Philosophiam sectantes.

Ita fit, postquam, &c.] Sic vivitur laute, et in epulis ac munificentia opes consumuntur, ex quo Græca sapientia Romam venit cum mercibus peregrinis et transmarinis. O morem növum juxta ac perniciosum! inquit ille Bestius. Vide Lactant. III. 16. ubi sapientiam quasi nuper advectam cum saporis mercibus proponit, citatque locum hunc Persii, item Senecæ verba hæc; 'Nondum sunt mille anni, ex quo initia sapientiæ nata sunt.' Et Lucretium canentem, 'Denique natura hæc rerum, ratioque reperta est Nuper, et hanc primum cum primis ipse repertus Nunc ego sum in patrias qui possum vertere voces.'

Sapere] Sic Sat. I. *Nostrum illud vivere triste.*

Urbi] Per antonomasiam, pro Roma.

39 *Cum pipere et palmis venit*] Vide Pers. Sat. V. vs. 136. et Plin. XV. 29. ubi ait, antequam piper reperiretur, baccas in usu fuisse, illiusque vicem obtinuisse. *Palmis*, seu arboribus, seu earum fructibus, qui dactyli vocantur. Vide Plin. XIII. 4. Juv. Sat. III. vs. 83. 'Advectus Romam quo pruna et coctona vento.'

Vestrum hoc maris expers] Sæpe legitur *nostrum*. Locus etiamnum obscurus, necdum satis explicatus, post tot doctorum Interpretum lucubrationes. Quidam sic intelligunt; nostra, id est, Romanorum Philosophia a Græcis invecta, *maris expers*, id est, salis, seu sine sale, hoc est, insulsa et corrupta. Casaubonus tamen explicat; *maris expers*, id est, masculæ virtutis majorum nostrorum expers. Aliis, *maris expers*, est quæ mare non transierit, sed minime placet.

40 *Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes*] Ex eo tempore adeo sunt omnia depravata, ut viliores quique rustici, quales sunt qui fœnum secant, lautitias quæsiverint. Hinc ciborum simplicitatem additis condimentis *vitiarunt*, et quasi violarunt, atque ad-

Hæc cinere ulterior metuas? at tu, meus hæres
Quisquis eris, paulum a turba seductior audi.
O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus

ultra cineres? Tu vero quicunque futurus es meus hæres, tantisper remotus a plebe, ausculta. O bone vir, *an* illud *nescis? Imperator misit laurum ob stragem memo-*

42 *Una* B.

NOTÆ

miscere pulti cœperunt adipem, ante simplicioribus contenti cibis. Juv. Sat. xi. vs. 79. 'Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc Squallidus in magna fastidit compede fossor.'

Unguine] *Unguen*, unctura, condimentum. 'Solent rustici, cum oleum defuerit, pecudum adipe in pultem misso, pro oleo uti;' inquit vetus Glossa.

Pultes] Cibus erat vetustissimus e farina et aqua; interdum et ex caseo, melle, et ovis decoctis. Romanis olim pro pane fuit puls: Plin. xviii. 8. et Valer. Maxim. ii. 5. Pultis autem paulo diversæ meminit Athen. xiv. 15. et 16. Casaubonus ad hoc c. 15. Athen. multa suo more profert reconditæ eruditionis; et discrimen ponit inter πόλτον Græcorum e farina fabacea tantum, et Romanorum pultem, quam Græcis ignotam fuisse ex Plinio affirmat, et cui multa alia admiscebantur.

41 *Hæc cinere ulterior metuas*] Insurgit in avarum Poëta: scilicet times quæ tibi mortuo sunt eventura. O stultus, qui post mortem hæredem metuis! Horat. loco ante cit. 'Nec metuam quid de me judicet hæres,' &c. Virgil. Æn. ii. 'Facilis jactura sepulcri est.'

Cinere] Cineres dicit, quia cadavera comburebantur, ut ante dictum est.

At tu, meus hæres] At ego non metuo hæredis minas, quin illi ipsi occino sumtus a me faciendos.

42 *Paulum a turba seductior*] Postpositis et neglectis vulgi opinionibus, ignorantia, odio. Pers. Sat. v. vs. 96. 'Secretam gannit in aurem.'

43 *O bone, num ignoras*] Adeone es imperitus rerum, ut ignores quæ publice jactantur? Nescis nemini licere non esse liberalem in lætitia communi, et jubente munificentiam Imperatore?

Missa est a Cæsare laurus] Nescis Caium Caligulam misisse ad S. P. Q. R. literas lauro coronatas et vinctas (ex more) et triumphum jussisse parari, quod Germanos debellarit; atque in omnium bona jus ab eo datum suis procuratoribus, ut ait Sueton. loco mox citando.

Cæsare] A Julii Cæsaris temporibus omnes Imperatores Cæsares appellati.

Laurus] Literæ laureatæ, de quibus sicut et de lauro victoriæ indice, Plin. xv. 30. Tit. Liv. l. v. Ammian. Marcell. l. xv. Martial. Epig. vii. 4. 5. 7. et alibi. Mos erat olim, ut quoties insigni victoria Consules potiti essent, ob res prospere gestas, laureatis fascibus prælatis incederent. Literas etiam laureatas Romam mitti, aut nuncios cum jaculis laureatis advenire, navemque laureatam aut vittatam felicis victoriæ nuncium esse,

Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam postibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.

randam juventutis Germanicæ: atque jam *favilla frigida amovetur* ab *altaribus: et Cæsonia nunc arma, nunc Paludamenta Imperatorum collocat ad valvas* templorum; *nunc* parat *captivis gausapa flava, et currus, et Rhenanos proceres. Ergo*

46 *chlamydas* Edd. vulg. *gausapa victis.* Ms. R. et C.

NOTÆ

ac læta et magna significare, animadversum est. Alex. ab Alex. I. 27.

44 *Insignem ob cladem*] Ironice, de Germanica una Caligulæ expeditione, in qua nihil dignum laude ab eo gestum est. Vide Sueton. in Caligula, c. 45. et seq. ubi Imperatoris stolida ambitio, fictæque victoriæ referuntur.

Germanæ pubis] Juventutis Germanicæ. Synecd. Porro Germania ampla est Europæ regio satis cuique nota: cujus populi quondam Teutones, dehinc Alemanni, postea Germani vocati sunt. Strabo, alii.

Aris frigidus excutitur cinis] Id est, postremi sacrificii residui cineres amoventur, novus ignis, nova sacra instaurantur, ex more; quando enim nuntiata erat victoria, sacra publice fiebant, ad gratias Diis persolvendas, et pro incolumitate Imperatorum. Testantur Dio, Herodianus, alii.

Postibus arma] Enumerat omnes triumphi apparatus. Jam templorum valvis seu columnis jubet affigi ac suspendi arma hostibus detracta, eorumque spolia. Virgil. Æn. VII. 'Multaque præterea sacris in postibus arma, Captivi pendent currus, curvæque secures,' &c. Horat. l. IV. Od. ult. 'Et signa nostro restituit Jovi Direpta Parthorum superbis postibus.'

46 *Chlamydes regum*] Paludamenta Imperatorum et Ducum subactorum. Vestis erat militaris pallio brevior, et strictior, cujus usum Romanis invexit Numa Pompilius (auctore Suida) legatione Isaurorum accepta, et forma habitus eorum animadversa, vestem Regiam cum Senatoria conjungens. De variis vestium generibus vide Alex. ab Alex. V. 18.

Lutea gausapa captis] Vestes militares villosas crocei coloris: stramenta quibus in castris utuntur milites, e pellibus facta præparari jubet captivis, quibus illi induti, ex more, in triumpho ducantur. De gausape, vide quæ Martial. Lib. ult. Epig. 29. et 145. Præterea gausapa sive gausapia, ut est apud Priscian. l. IV. sunt tapetia sive peristromata, quibus mensæ teguntur; testis Scaliger. Martialis citreas mensas gausapibus tegi ostendit, id est, tapetibus pretiosis, vel mantilibus: Lib. ult. Epig. 138. 'Nobilius villosa tegant tibi gausapa citrum.' Vide Pers. Sat. IV. vs. 37.

47 *Essedaque*] Belgarum et Germanorum Rhenicolarum vehicula, e quibus olim depugnabant, et rotarum ingruentium strepitu, impetuque, hostium ordines proterebant aut perturbabant. Virgil. Georg. III. 'Belgica vel molli melius feret esseda

Dis igitur genioque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco. Quis vetat? aude.

propter bella præclare confecta, edam centum paria gladiatorum Numinibus, et

NOTÆ

collo.' Horum et meminit Cæsar Comment. lib. IV. et V. de Bello Gallico: et alii.

Ingentesque locat Cæsonia Rhenos] Accolas Rheni, grandis staturæ. Sueton. Calig. cap. 47. 'Galliarum quoque procerissimum quemque, ac nonnullos e Principibus legit ac seposuit ad pompam.' Hos omnes triumphi apparatus disponit Cæsonia per procuratores, vel ipsa; quippe quæ bellis etiam sese immiscebat: quamque, ut refert Sueton. cap. 25. 'Caligula sæpe chlamyde, peltaque, et galea ornatam armatamque, et juxta adequitantem militibus ostendebat.'

Cæsonia] Caligulæ uxor, mulier perditæ libidinis et lasciviæ, ab Imperatore constanter adamata, cui etiam philtrum miscuisse et propinasse dicitur. Quod scribit Josephus Antiq. XIX. et Sueton. c. 50. 'Creditur,' inquit, 'potionatus a Cæsonia uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in frurorem verterit.' Vide Juvenal. Sat. VI. vs. 610. et 615. ibique annotat.

Rhenos] *Rhenus* fluvius Europæ celeberrimus Germaniam a Gallia separat, finit e Rhæticis Alpibus, rigat Alsatiam, Palatinatum, Agros Colonienses, Bataviam.

48 *Dis igitur, &c.*] Ego itaque (ait Persius ad hæredem) lætitiæ publicæ et Imperatoris voluntati indulgens non parcam sumtibus: (nec tu ausis mutire contra.) Ego, inquam, *Diis* victoriæ auspicibus atque auctoribus; *Genioque Ducis*, id est, Imperatoris Caligulæ sacrificabo, &c.

Genioque ducis] Per Genium sui Principis quasi per Numen jurabant Veteres: ac si quis pejerasset, pœnas dabat. Unde Tertullianus, 'Citius per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris pejeratur.' Et Sueton. cap. 27. ait de Caligula; 'Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coërcuit, aut medios serra dissecuit; nec omnes ex gravibus causis; verum male de munere suo opinatos, vel quod nunquam per Genium suum dejerassent.'

Centum paria induco] Duplicem hecatomben explicant aliqui, minus bene, ut opinor: melius alii, *centum paria* gladiatorum, quorum sanguine placentur Dii, et Imperatoris Genius. Horat. Sat. II. 3. 'Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum Damnati populo paria, atque epulum'.. Quod si cui videtur mirum quod privatus gladiatorium munus exhibeat, meminerit quod refert Suetonius cap. 47. 'Scripsisse ad procuratores suos Caligulam, ut quam minima summa et impensa, triumphum tamen quam possent magnificentissimum appararent, et quantus nunquam alius fuisset; quando in omnium hominum bona jus haberent.' Ergo, quod vult Casaubonus satis verisimile est, data nempe ea potestate in facultates civium, coactos privatos de suo quemque sumtus et impensas ad triumphi pompam conferre, et contulisse. Quod respicit hoc loco Persius.

Ob res egregie gestas] Ob insignem Germanorum cladem, et partam feliciter a Caligula de hostibus victoriam. Ironice, ut supra.

49 *Quis vetat? aude*] Num ausis

Væ, nisi connives! Oleum artocreasque popello
Largior. An prohibes? dic clare. Non adeo, inquis.
Exossatus ager juxta est. Age, si mihi nulla

Genio Principis. An *aliquis prohibet? Audeto* vetare, o hæres. At *væ* tibi *si non dissimulas.* Præterea *distribuo plebi oleum et artocreas. Num vetas? Eloquere aperte. Non ita, ais: prope est ager sine ossibus. Perge, si nulla nunc mihi*

51 Hic omnia exemplaria quæ aut vidimus, aut de quibus aliquid comperimus, scribunt, *non audeo, inquis:* quæ inepta, et omnibus modis scriptura ex eo orta est, quia præcedit: *quis vetat? aude.* Legendum autem esse, *non adeo inquis,* recte jam olim monuit Turnebus. *Casaubon.*

NOTÆ

refragari, o hæres, et deterrere me a consilio quod cepi?

50 *Væ, nisi connives*] Impendet tibi malum, si forte non assentiaris, aut saltem dissimules: nam vel Imperatorem infensum et ultorem nanciscere, vel me iratum, et majores inde sumtus facientem, ut cupiditatem tuam et avaritiam discruciem. Paulo post: 'Nunc nunc impensius unge, Unge, puer, caules.'

Væ] Formula male precandi, idem valens ac si quis mittatur in malam crucem.

Connives] Cic. pro Cælio: 'Dii immortales, cur interdum connivetis in hominum sceleribus maximis?' Id est, clausis quasi oculis non videre videmini.

Oleum artocreasque popello largior] Populo insuper epulum et congiarium dabo, ad celebrationem victoriæ. Licet hoc soleat non a privatis sed ab Imperatoribus fieri. Sueton. Jul. Cæs. cap. 38. 'Epulum ac visceratitionem dedit, et post Hispaniensem victoriam duo prandia.' Et Domitian. cap. 4. 'Congiarium populo ter dedit, atque largissimum epulum; Senatui, Equitique panariis, plebi sportellis cum obsonio distributis.'

Artocreas] Vox e duplici facta, ἄρτος enim *panis*, κρέας, *caro:* significat cibum e pane carneque minutatim concisa. Alii viscerationem interpretantur hoc loco.

51 *An prohibes*] Vetasne istam meam largitionem? *Dic clare:* quid mussas? Aperi mentem et animi tui sententiam de me.

Non adeo, inquis, &c.] Non adeo fertilis et opimus est fundus tuus, ut hæreditatis tuæ avidus sim, et vetare velim quin prorsus in largitiones effundas. Vel, non ita dives es, ut his sufficere possis. Alii sensum separant hoc modo: non adeo tuæ largitioni adversor; suppetit enim, haud procul, mihi satis fœcundus ager, quo ego contentus sum, inquit hæres. Sunt qui verbum juris hic accipiant, hoc sensu: *non adeo*, neque adire volo hæreditatem tuam. Quo designari volunt extraneum esse illum Persii hæredem, non autem necessarium et suum, ex Institut. Justin. lib. II. tit. 19. Docta quidem et subtilis interpretatio, verum magisne genuina? Mihi prior sententia præferatur.

52 *Exossatus ager*] Duplici et contrario sensu potest accipi, vel exhaustus, et jam sine succo et bonitate; ita passim apud Plautum *exossare* ponitur pro, enervare, comminuere, debilitare. Vel *ager exossatus*, idem est ac lapidibus expurgatus, adeoque opimus et bene cultus. Ovid. Metam. I. 'Lapides in corpore terræ

Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest; accedo Bovillas,
Clivumque ad Virbî: præsto est mihi Manius hæres.

residua e patris sororibus, si nulla patrui filia, nulla filia neptis superstes sit: si patrui matris soror vitam egit sine prole, et de avia nihil restat: vado ad *Bovillas et ad Virbii declive.* Illic *Mannius ultro erit mihi hæres.* Scilicet *Terræ filius? In-*

53. 54 Variam in membranis distinctionem invenimus: nam multa vetusta exemplaria sic exhibent *pron. Null.* manet, *patr. ster.*,&c. non male, ut per *patrui materteram* quam remotissima cognatio intelligatur. *Casaubon.*—56 *Manius hæres Progenies Terræ?* Sic distinguendum: posterius membrum pronuntiatur a legitimo hærede, quicum disputat Persius. *Casaubon.*

NOTÆ

Ossa reor dici.'

Juxta est] Prope urbem in suburbano loco situs, et hinc pluris æstimandus.

Age, si mihi nulla] Verba Persii ad hæredem illum irritatum verbis, et quasi jam excandescentem. Age, inquit, detrecta, et ne adi hæreditatem: ego certe non reformidem genus illud infamiæ apud Romanos timeri solitum, carere scilicet hæredibus, qui funus curent, &c. Quod si aliunde non suppetant, en præsto est Manius hæres; et hic mihi sufficit.

53 *Jam reliqua ex amitis*] *Amita* est patris soror, quasi patri meo plus amata, inquiunt: solent enim sorores præ fratribus diligi, sive id sexus facit, sive personarum dissimilitudo, quæ minus habet æmulationis et invidiæ.

Patruelis] *Patrueles* dicuntur e duobus fratribus editi; consobrini vero, qui e duabus sororibus.

Proneptis] Est nepotis aut neptis filia.

54 *Patrui*] *Patruus* est patris frater: sicut avunculus frater matris. Porro notat Casaubonus in multis vetustis codicibus jungi vocem hanc cum sequentibus, ut patrui matertera sterilis fuisse intelligatur, bono sensu quidem, sic enim etiam remotissima cognatio deesse significabitur.

Matertera] Soror matris, quasi mater altera: *sterilis*, stirpe ac filiis carens.

55 *Deque avia nihilum superest*] Si denique aviæ nulla stirps; posteri nulli vivant; adeoque nemo certus mihi propinquus adsit, qui capessat hæreditatem; scis quid faciam? Obvium quemque hæredem instituam, quamvis non alia ratione mihi cognatus sit, quam quod e terra uterque progeniti factique sumus. *Avia* mater est patris aut matris.

Bovillas] Vicus est in Appia via ad undecimum ab urbe lapidem, prope quem interfectus a Milone Clodius, cum rediret ab Aricia non hinc procul sita, ut scribit Ascon. Pæd. Porro *Bovilla*, quasi villa bovis, dicitur, 'eo quod olim in Albano monte ab ara fugiens taurus jam consecratus, ibi comprehensus est.' Vetus Schol. Sedes erat frequens mendicis; quia tritum iter.

56 *Clivumque ad Virbî*] Collis iste quatuor millibus ab urbe distans nomen accepit ab Hippolyto, qui ibi colebatur sub nomine Virbii, ex quo bis vir et bis vivus fuit, id est, a Diana revocatus ad vitam, postquam

'Progenies terræ!' Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud promte, dicam tamen. Adde etiam unum,
Unum etiam: terræ est jam filius; et mihi ritu
Manius hic generis prope major avunculus exit.

terroga me, quisnam mihi fuit quartus parens. Non facile dicam, at *nihilominus proferam. Adjice vel unicum, immo unicum; jam est Terræ progenies: et Manius ille prodit fere mihi major avunculus ordine stirpis.* Tu vero *qui anterior*

NOTÆ

discerptus fuisset, ut notum est cuilibet, ex Æn. VII. Ovid. Fast. III. et VI. Metam. XV. fab. 45.

Manius] Ignobilis quilibet et ignotus, mendicus quispiam Aricinus, similis Manio illi, qui (ut ait Festus) Dianæ agrum et lucum consecravit, Tritum Romæ Proverbium erat, *Multi Manii Ariciæ;* quia deinde plures ab illo oriundi illic virtute claruerunt. Quod autem pauperes et mendici adessent in ea regione frequentes, patet ex Juvenale, Sat. IV. vs. 117. 'Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.' Et Martial. Epig. XII. 32. 'Irus tuorum temporum sequebaris; Migrare clivum crederes Aricinum.'

57 *Progenies terræ*] Respondet Persio hæres ille, de quo paulo supra: scilicet hæredem institues Terræ filium, *Gigantum fraterculum,* ut ait Juvenalis Sat. IV. vs. 98. hominem ignobilem, spurium, cujus ignorantur parentes et prosapia? &c.

Quære ex me quis, &c.] Quidni? inquit Persius. Tam Manius erit mihi hæres et propinquus, quam quispiam remota cognatione affinis, de quo perinde dubitare fas mihi sit, ac de Manio; qui, ut ceteri, mecum ab una origine procreatus, ut dixi, nempe a Terra communi omnium parente, saltem ea ratione conjunctus est.

Quis mihi quartus sit pater] Quis abavus meus.

58 *Haud promte, dicam tamen*] Non facile quidem et promtum indicare abavum meum; id tamen fortasse præstare potero.

Adde etiam unum, &c.] Quod si ulterius repetas, ac vel unum superius, et retro cognationis gradum scruteris; et poscas quis atavus mihi fuerit; jam hærebo: erit enim is mihi tam ignotus, quam iste, quem *Terræ progeniem* appellasti.

59 *Terræ est jam filius*] Ex Empedoclis sententia et aliorum quorundam veterum Philosophorum, qui natos e Terra primos homines censuere, cum alii ex aqua factos, sicut et alia universa, opinarentur. Huc etiam facit quod hominem ab humo veteres dixere. Porro quod per *Terræ filium* homo nihili significetur, et obscurus, patet ex Tullio ad Atticum ita scribente: 'Huic Terræ filio committere epistolam tantis de rebus non audeo.' Tertul. in Apologet. 'Dictus Saturnus Terræ Cœlique filius, quia ignoti, vel ex inopinato apparentes de cœlo supervenire dicuntur; sicut Terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est: gigantesque hac ratione Terræ filii appellantur.' Vide Cœl. Rhodig. XX. 28.

60 *Major avunculus exit*] Manius ipse videri possit cognatus, et in stemmate major avunculus scribi; siquidem alius nemo prodit et præsto est, qui gradum hunc et locum inter majores meos, et in ordine stirpis et cognationis meæ, jure potiori sibi queat vindicare. *Major avunculus* est avi vel aviæ frater: aut etiam avi aviæque avunculus, ut placet Festo.

Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius: venio Deus huc ego, ut ille
Pingitur. An renuis? vi'n' tu gaudere relictis?
'Deest aliquid summæ.' Minui mihi: sed tibi totum est,

es, quare petis a me facem in cursu? Sum tibi velut *Mercurius*. *Ego* tibi *Deus accedo isthuc, sicut ille depingitur. An recusas? Visne tu frui iis quæ relinquo?* At enim *summæ nonnihil detractum est*. Nempe *detraxi mihi*. *Tibi vero quod-*

NOTÆ

61 *Qui prior es*] Tu vero, o legitime hæres, cum senior me sis et natu major, cur a me hæreditatem speras, qui sum junior et in cursu vitæ posterior? Vel, tu qui Manio potior mihi es, et vere cognatus, cur dum vivo, hæreditati meæ inhias ante legitimum tempus, scilicet ante absolutum vitæ stadium? Certe cursor non petit lampadem ab alio ante decursum spatium: nunquam vero in ipso cursu, nec prior a posteriore, sed contra.

Cur me in decursu lampada poscas] Allegorica locutio desumta a λαμπαδηδρομία. Nempe, ut ait Suidas, Lampadis tria festa sunt apud Athenienses, Panathenæa, Vulcanalia, Promethea. De Promethei Sacris hic mentio est, in quibus juvenes accensas tædas gestantes decurrebant, certabantque, quis ad scopum primus perveniret non extincta face. Primus defatigatus proximo, is postea defessus alteri, et deinceps alius alii tradebat ardentem facem, donec metam pertingerent. Ea quidem ara Promethei in Academia fuit, a qua ad urbem cursus erat cum accensis ejusmodi facibus. Vide Alex. ab Alex. v. 8. Hujus consuetudinis meminerunt Varro III. 16. de Re Rustica, ubi ait, 'Nunc cursu lampada tibi trado;' id est, tibi dicendi vices trado. Cicero ad Herenn. IV. 'Non enim, quemadmodum in palæstra, qui tædas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo, quam ille qui tradit; ita melior Imperator novus qui accipit exercitum, quam ille qui decedit: propterea quod defatigatus cursor dat integro facem; at hic peritus Imperator imperito exercitum.' Et ante illos Lucretius lib. II. vs. 77. 'Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum, Et quasi cursores vitai lampada tradunt.'

62 *Sum tibi Mercurius*] Ne me ut propinquum, te ut hæredem certum, meam hæreditatem quasi tuam tibique jure debitam jam nunc intuere; sed potius finge tibi me esse velut Mercurium, qui tibi ἑρμαῖον, insperatum et fortuitum thesaurum et lucrum annuntio, indico, ostendo captandum.

Venio Deus huc ego] Inopinati et indebiti lucri Deus, ut diximus, Sat. II. vs. 11. ad verba hæc: *Dextro Hercule.*

Ut ille pingitur] Mercurius pingebatur manu tenens crumenam pecunia gravidam et turgentem. Suidas, Macrobius.

63 *An renuis*] An non vis bona mea velut gratis data accipere et adventitia? Horat. Sat. II. 3. 'Excors, Rejecta præda, quam præsens Mercurius fert?'

Vi'n' tu gaudere relictis] Visne potiri hæreditate mea, post mortem meam, quantula fuerit illa?

64 *Deest aliquid summæ*] Fortasse dices, partem ejus aliquam a me absumtam fuisse. At ego tibi respondeo, *minui mihi*; et, quicquid detrax-

Quicquid id est. Ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Tadius: nec dicta repone paterna: 66
Fœneris accedat merces: hinc exime sumtus.
'Quid reliquum est?' Reliquum? nunc nunc impensius
unge,

cumque illud est, integrum est. Cave sciscitari ubinam sit id *quod olim Tadius* testamento *reliquerat mihi: neve* mihi *repete monita patrum; addatur usuræ lucrum: inde* tuas *impensas desume: ecquid residuum est? Residuum* quæris? O

66 *Staius* Ms. Gal.

NOTÆ

ero tandem, id mihi non tibi detractum: et si quid perit, perit mihi cujus totum est; ex regula Juris.

Sed tibi totum est, quicquid id est] Quandoquidem ex Legibus et Jure, tuum nihil est aut esse potest quamdiu vivo, quodcumque ego moriens reliquero, hoc tibi totum erit atque integrum.

65 *Ubi sit fuge quærere, &c.*] Porro ne reposcas a me rationem bonorum quæ olim habui, quæque aliquis mihi testamento legarit: nam male tibi verteret.

66 *Tadius*] E majoribus quispiam, vel quilibet alius testator. Metonymia. Quidam codices habent, *Staius;* alii, *Stadius.*

Nec dicta repone paterna] Neque mihi ingere et objice monita liberis solita dari a patribus avaris; de quibus Horatius Epist. I. 1. 'Quærenda pecunia primum est; Virtus post nummos: hæc Janus summus ab imo Perdocet; hæc recinunt juvenes dictata, senesque Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto.' Et Juvenalis fuse, Sat. XIV. 'Juvenes hortatur. —Cogit minimas ediscere sordes,' &c.

Paterna] Bene monet Casaubonus de suo patre non loqui Persium, qui puer sexennis amiserat patrem Flaccum; cujus et famæ nec detrahere debeat nec velit bonus filius.

67 *Fœneris accedat merces*] Aut paternum est monitum: exerce fœnus; ne otiosam et infructuosam sine pecuniam tuam; quæstum fac, datis ad usuram nummis; atque pro mutuo mercedem cape: aut verba sunt hæredis cum Persio rationem ineuntis, ut mox explicabimus.

Hinc exime sumtus] Fortasse et hoc monitum est paternum: ne quid detrahe sorti capitali bonorum, sed potius e fœnore et usuris habe et desume necessarios alendæ familiæ sumtus. Vel hæredis verba sunt, et sensus erit: computemus quæ et quanta sive e patrimonio, seu e legatis Tadii nactus es, o Persi; his addantur et accedant usuræ: jam inde legitimas impensas tuas eximamus. Demum videamus quid sit residui ex his omnibus, quidque mihi sit obventurum.

68 *Quid reliquum est*] Quid jam superest e tot facultatibus, quas possedisti?

Reliquum] Cum indignatione respondet Persius: itane vero mecum inis rationem, quasi cum dispensatore herus? Scilicet possessa computas, sumtus excutis, reliquum quid, et ubi sit, postulas? Age, hæres, deinceps curam hanc eximam tibi.

Nunc nunc impensius unge, &c.] O famule, lautiorem indies mensam instrue; consumantur bona mea uni-

Unge, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure?
Ut tuus iste nepos olim, satur anseris extis,
Cum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ immeiat vulvæ? mihi trama figuræ

famule, jam jam perfunde brassicas, perfunde copiosius. Scilicet, *die festo mihi coquatur urtica, et pars anterior capitis* porcini *fumo perfusa, auricula perforata, ut nepos ille tuus aliquando visceribus anserinis satietur? * * Mihi*ne *residua erit*

NOTÆ

versa, ut indignis hæredibus nihil reliquum sit.

69 *Unge, puer, caules*] Horat. Sat. II. 3. 'Ungere si caules oleo meliore caputque Cœperis.' Porro *caules* posuit pro quolibet edulio, post Horatium.

Mihi festa luce coquatur, &c.] Non ita sum fatuus ut genium defraudare velim ad locupletandos hæredes, et damno meo lautitias illis suppeditare, parcus ob hæredis curam, ut ait Hor. Epist. I. 5. Et Juvenal. Sat. XIV. 136. 'Cum sit manifesta phrenesis, Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.'

Festa luce] In die festo, quo vel parcissimi et pauperrimi genio indulgent, et lautius victitant; ego oluscula comedam? Absit.

70 *Urtica*] Herba vilis et nota, ab urendo vel ulcerando dicta; habet enim folia mordacia, ut ait Plin. XVI. 24. Catull. Carm. XLV. ad fundum suum: 'Et me recuravi ocimoque et urtica.'

Et fissa fumosum, &c.] Caput porcinum aure perforata suspensum in camino ad fumum. Dimidiata porcellorum capita lautiori mensæ apposita refert Athen. IX. 8. 'Fumosum, vel ut servetur diutius, aut etiam ut saporem contrahat acutiorem. Legunt quidam, *spumosum*; sed male.

Sinciput] Pars prior capitis, ubi cerebrum: ponitur hic pro vili et plebeio edulio, ut patet; quod tamen lautæ fuisse gulæ affirmat Plinius, et probat Athenæus loco mox citato.

71 *Ut tuus iste nepos, &c.*] Ut ditatus quispiam e tuis posteris, o hæres, aliquando epuletur.

Nepos] Sarcasmus ex ambigua significatione vocis, quæ et designat sæpe hominem voracem ac luxuriosum.

Anseris extis] Romanis erat in deliciis anserinum jecur, quod quidem fartilibus, (ut ait Plin. X. 22.) id est, saginatis lacte, mulso, ficu, carica, in tantam amplitudinem crescit, ut anserem ipsum adæquet magnitudine. Unde Martial. XIII. Epig. 58. 'Aspice quam tumeat magno jecur ansere majus. Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi?' Horat. Sat. II. 8. 'Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi.' Juvenal. Sat. V. vs. 113. 'Anseris ante ipsum magni jecur.' Meminit et fuse Athenæus IX. 8.

73 *Mihi trama figuræ sit reliqua*] An denique me macerem, ut pinguescat hæres? Absit.

Trama] Incertum est intelligatne subtegmen, quod tenuius est, et opponat *ventri popæ*, quod vult Turneb. XXX. 7. an stamen panni, quod filo constat crassiore et magis retorto, ut diserte ait Casaubonus: *Trama* etiam ponitur pro veste detrita cujus villi amissi sunt: metaphorice est homo valde macer, cui solum ossa restant, et per cujus costas aër quasi trans-

Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro: mercare, atque excute solers
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.

tramæ figura, illi vero obesus venter palpitet præ *pinguedine? Venumda vitam* pro *quæstu, mercaturam exerce, et diligens perlustra omnes orbis partes, ne sit alius peritior applausisse corpulentos Cappadocas in duro pegmate. Gemina peculium.*

76 *nec sit* Ms. Gal.

NOTÆ

meat; ex Varrone iv. de Ling. Lat. Vel cujus ossa, venæ, nervi sic apparent, ut in detrito panno *trama*. Unde eleganter Prudentius contra Manich. *nervorum texturam* appellat.

74 *Ast illi tremat*] Hæredi autem distentus venter et obesus subsiliat.

Omento] Proprie est panniculus intestina ambiens et contegens, ut dixi Sat. ii. hic ponitur pro adipe, et pingui.

Popa] Venter gulosus, lurco, popino, vel fartus popis seu popanis, id est, delicatioribus escis. Nam popa est placenta. Est etiam aliquando victimarius, id est, Sacerdotis minister ad mactandas victimas.

75 *Vende animam lucro*] Concludit Persius: ergo post hæc omnia quæ dixi adversus avaritiæ sordes, si tamen lubet, huic lita, et vitæ etiam periculo divitias congere, per fas etiam et nefas.

Mercare] Longinquas mercaturæ causa per mare per terras peregrinationes institue, ut dictum Sat. v. vs. 135. et sequentibus. Ibid. vs. 137. 'Verte aliquid, jura,' &c.

Excute solers omne latus mundi] Peragra totum orbem, omnes orbis angulos scrutare, ut merces novas et aliis irrepertas compares et huc advehas; et sic ditescas brevi. *Solers*, quasi solus in arte præstans et callidus.

76 *Ne sit præstantior alter, &c.*] Nec sit quispiam te peritior exercendi mangonii, id est, coëmendi mancipia, et bene curata saginataque carius vendendi.

77 *Cappadocas pingues*] Vetus Scholiastes explicat de gladiatoribus: sed cum ipso textu reclamant et refragantur viri doctissimi, et venalitios e Cappadocia servos intelligunt, robustos quidem et grandes. Cic. post reditum in Senatu: 'Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.' Horat. Epist. i. 6. 'Mancipiis locuples eget æris Cappadocum Rex.' Porro Cappadocia est Asiæ minoris regio, cujus populi id peculiare habuerunt, quod servitutem libertati prætulerint. Nam a Romanis libertatem deprecati, illis permittentibus, Ariobarzanem Regem elegerunt. Vide Alex. ab Alex. ii. 27.

Plausisse] Legunt alii *clausisse*: alii *pavisse*, id est, bene curasse et enutrivisse, ut facilius emtores inveniant pingues et corpulenti. Attamen amant doctiores, et retinent, *plausisse*, ambigua quidem sed erudita significatione et ingenio Satirici nostri satis congrua. Itaque *plausisse*, vel est palpasse manu servorum venalium membra, ad ostentandam emturientibus bonam corporis habitudinem ac nitorem: vel, servos laudando et applaudendo incitasse ad saltandum ex consuetudine; immo et patrio more

Rem duplica. Feci: jam triplex, jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam. Depunge, ubi sistam,
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

Jam id *præstiti. Jam triplex, jam quadruplex, jam decuplex mihi provenit in plicam.* O *Chrysippe,* tu *repertus terminasse cumulum tuum, indica* mihi *ubinam stabo.*

79 *Depinge* est scripta lectio omnium quos vidimus librorum: in editione P. Pithœi est *depunge:* quod perplacet. *Casaubon. depinge* Ed. Steph. et vulg.

NOTÆ

cantandum, quo pateret illorum agilitas et industria. Vide infra. Item Juvenal. Sat. I. vs. 111.

Rigida catasta] Ob rigorem servitutis, aut duritiem ligneæ compedis, cui mancipia erant innexa.

Catasta] Locus erat in Romano foro, ubi venales servi exponebantur: ἀπὸ τοῦ καταστάναι. Propert. Eleg. IV. 5. 'Aut quorum titulus per barbara colla pependit, Cœlati medio cum saliere foro.' Item *catasta*, lignea erat e tabulatis machina, in qua vincti prostabant servi venales. Martial. Epig. IX. 60. 'Quos arcanæ servant tabulata catastæ.' Meminit et Plin. XXXV. 17. et 18. Similis huic erat fere *catasta* illa, in qua Martyres torquendi extendebantur: quod referunt passim martyrologia.

78 *Rem duplica*] Per usuras opes adauge. Horat. Epist. I. 6. 'Mille talenta rotundentur; totidem altera: porro Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.'

Feci] Respondet per prosopopœiam avarus; non tantum duplicavi, sed fœnus fœnori addens, et fœnoris fœnus accipiens, rem auxi ter, quater, decies.

79 *Decies redit in rugam*] Metaphora ducta a vestibus quæ corrugantur proprie et plicantur; seu quæ in plicas et rugas contrahuntur. Unde per similitudinem multiplicari opes dicuntur, dum nummis nummi accumulantur, et accrescunt.

Depunge] Metaphora a libra in qua certum pondus indicatur et notatur punctis. Sat. V. vs. 100. 'Certo compescere puncto nescius examen.' Legunt alii, *depinge*. Sensus utrobique idem est: statue, præscribe, quem opibus augendis et multiplicandis modum ponam. Ironice hæc in avaros hydropicis similes, de quibus dictum; 'Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.' Et Juvenal. 'Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.'

Ubi sistam] Allusio ad Chrysippi præceptum, qui, ut Soriti respondeatur, sistendum in una e propositionibus, aiebat. Vide infra.

Chrysippe] Hic Stoicus fuit Philosophus, Zenonis, vel, ut volunt alii, Cleanthis discipulus, vir acri ingenio: in Dialectica excelluit: quoties contra Cleanthem disputarat, solitus dicere, fortunatum se adversus omnes, præterquam adversus Cleanthem: adeo vero superbus ut Ptolemæi Regis amicitiam aspernatus sit, et jactaverit de se; non esset Porticus, nisi esset Chrysippus. Ex effuso risu mortuum nonnulli tradunt. Diog. Laërt. l. VII. Cic. I. de Natura Deorum.

80 *Inventus tui finitor acervi*] Adu-

naton, ut vult Casaubonus: id est, o Chrysippe, si potes præscribere, qua in propositione Soritis quiescendum sit potissimum; si, inquam, id inveneris, et finem certum infinitæ propositionum congeriei statueris, tum ego meæ cupiditati et avaritiæ terminum inveniam; id est, nunquam.

Acervi] Soriten intelligit, quæ argumentatio est acervus ceu cumulus propositionum, quæ in infinitum progredi posse videntur: unde per ironiam dixit Persius *finitor;* et addit, *tui;* quia dissolvendæ istius acervalis argumentationis rationem investigavit Chrysippus, et de ea quatuor Libros scripsisse fertur. Horat. Epist. II. 1. 'Dum cadat elusus ratione ruentis acervi.' Exemplum Soritis est apud Ciceronem Tuscul. Quæst. v. n. 45. ubi solum honestum esse bonum sic probatur per quinque gradus: 'Quicquid est quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam dignitas ei tribuenda est: quod si ita est, laudabile sit necesse est: bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut quod sit honestum, id sit solum bonum.' Et I. de Natura Deorum: 'Si Dii sunt, beati sunt; si beati, virtute præditi; si virtutis, et rationis erunt capaces:' unde concluditur illic, Deos esse hominibus similes: quod ibidem refellit Tullius. Et certe norunt omnes Soriten non tam esse argumentationem legitimam, rectam, certam; quam argutiam, et cavillationem.

NOTÆ VARIORUM

CUM VET. SCHOLIAST.

IN

A. PERSII FLACCI SATIRAS.

NOTÆ VARIORUM,

&c. &c.

Prologus] Est vere hoc carmen duplicis argumenti, ut et partes illius sunt duæ, versuum ambæ septenorum. Primi septem versus mixtum habent argumentum: de se enim agit Poëta προηγουμένως, obiter vero de æqualibus sibi Poëtis, quos traducit: posteriores septem meram continent aliorum Poëtarum irrisionem. Singularis modestiæ est, quod negat se Poëtam: quodque se ad tantam gloriam ne aspirare quidem fatetur: et præmia Poëtis debita aliis æquo animo relinquere. *Casaub.*

1 *Nec fonte labra, &c.*] Sic enim sua extenuat, ut simul ineptorum hominum fastum retundat et urbane castiget. Nota Horatii non falsa querimonia: 'Scribimus indocti doctique poëmata passim.' Tulere hoc indigne legitimi Musarum mystæ: qui illarum sacra adeo fœde pollui non poterant non dolere. Quod igitur ait Persius: 'Nec fonte labra prolui caballino:' non negat præcise modico se haustu fontis sacri Musarum fuisse potatum; vixdum fonti Pegaseo labra admovisse: sed eos irridet, qui videri volebant totum illum exhausisse. Et fortasse privatim quendam tangit, qui tale quid de se νεανικώτερον, seculi vitio usus, jactaverat. Aliud est, modice de fonte bibere; aliud, de fonte proluere. *Casaubonus.*—*Nec, &c.*] Id est, Ego Persius nullum prorsus cum Musis commercium habeo, nec unus illorum sum, qui egregii Musarum sunt amici, qualis fuit Hesiodus, et Ennius, ut qui labra mea fontis Pirenes, Pegasei, vel caballini aqua, bibendo nunquam madefeci vel irrigavi.—*Fonte, &c.*] Periphrasis est fontis, qui Græcis ἱπποκρήνη, quasi dicas equi fons, dicitur, et alias *Pegaseus* appellatur, eo quod equus alatus Pegasus, cum in montem Heliconem evolasset, ungula saxum feriens, eum aperuisse creditus sit. Vide Ovid. Fast. III. Metam. V. Plin. IV. 7. Hyginum. Erat ergo hic fons in Helicone Bœotiæ monte Phocidi vicinus juxta Thebas, non procul a Parnasso, Apollini et Musis sacer. *Lubin.*—*Prolui*] Non aurium tenus ingurgitando immersi, non plane hausi Musarum fontes, imo vix primis quidem labris fontem Pegaseum leviter attigi.—*Bond. Farn.*—*Caballino*] Dicit non *equino*, quia contemnenti et subsannanti ea vox erat aptior. *Casaub.*

Turnebus x. 13.

2 *Nec in, &c.*] Secunda Protaseos probatio, quod Persius Poëta non sit. Nempe, quod nunquam dormierit in Parnasso, Monte Phocidos, duos vertices habente, Musis sacros; Tithorea scilicet et Hyampeum.—*Parnasso, &c.*] Quemadmodum illi fontes, de quibus modo dicebamus, poti credebantur facere Poëtas: sic vicini montes Helicon, Cithæron, et Parnassus, eos qui conscenderent, aut inibi versarentur: et præsertim qui in illis montibus somniassent, repente Poëtas existere, ut de Ennio refertur, qui Homeri animam in se migrasse somniavit. *Farnab. Casaubon.*—*Parnasso*] Fuit autem Apollini, Baccho, Musis, aliisque numinibus consecratus, in quo et Corycium Musarum antrum. Unde et Musæ Corycides ab Ovidio in Metamorphosi dictæ. *Lubin.*

3 *Repente*] Per unicum tantum potum et somnium, sine ullo labore. Ut illico et statim uno momento Poëta fierem, quod divinis illis Poëtis contigit, Hesiodo et Ennio.—*Prodirem*] Id est, Statim ex improviso hominibus Poëta apparerem, quem omnes nossent Poëticen nunquam didicisse antea. *Lubin.*—*Prodire*] Verbum, duplicem notionem habet: modo simpliciter προέρχεσθαι, dare se in conspectum: modo idem est cum existere, et subito emergere, ut Sol ἀνατέλλων, vel aliquis e machina Deus Comicus. *Casaub.*

4 *Heliconiadasque*] Id est, Musarum sodalitium, familiaritatem, et commercium nunquam habui, sed aliis illas cogor relinquere. Recte meliores omnes libri *Heliconiadas*, non, ut in nonnullis, *Heliconides*. Dicuntur autem Musæ Heliconiades a monte Phocidis Helicone in Bœotia, Musis sacro. *Lubin. Casaub.* — *Pallidamque, &c.*] Quod igitur pallidam Pirenem vocat Satyricus, vel ad fabulam referendum, et luctum Pirenæ matris Cenchriæ, ex cujus lachrymis fontem hunc manasse fabulantur, auctore Pausania: vel ad pallorem, quem sibi etiam studio et arte interdum conciliabant, isti famæ negotiatores Poëtæ. Hic *Pirene*, fons est non Heliconis, ut censet falso Cornutus; sed Acrocorinthi, ubi erat Corinthiorum arx, Musis Nymphisque sacer. *Lubin. Casaub.*

5 *Illis, &c.*] Poëtis priscis, Hesiodo, Ennio, et cæteris. *Lubinus.*—*Remittoque*] Meliores libri et Puteani membranæ, *remitto:* alii codices *relinquo.* Signatum verbum apud optimos scriptores hac notione, cum aliquid παραιτούμεθα, et rejicimus vel oblatum. *Casaub.*—*Quorum, &c.*] Id est, Qui ob egregia sua carmina statuas et imagines hedera coronatas in æde Camœnarum erectas promeriti sunt, et æterna quasi hominum memoria digni sunt.—*Lambunt*] Metaphora ab animalibus; id est, cingunt, ambiunt, circumfusæ attingunt. Respicit autem ad folia hederæ, quæ instar linguæ trifidæ, id est, linguæ quasi tergunt et ambiunt. *Lubin.*

6 *Hederæ*] Hæ Baccho sacræ, et in Bacchi tutela erant Poëtæ, ergo jure illis coronabantur. 'Me doctarum hederæ præmia frontium Diis miscent superis.' Coronabantur autem Poëtæ hedera, laura, quercu, apio.—*Sequaces*] Ita dictæ quod se spargendo dilatent, et crescendo, muros et arbores, quas semel comprehendendo implicuerint, tenaciter persequantur. Qua ratione a Virgilio serpentes, errantes, et adhærentes dictæ.—*Ipse, &c.*] Sequitur Apodosis dissimilitudinis: *Tamen carmen scribo, et licet semipaganus sim, ineptias et vanitates meas insulsas cum divinis Poëtarum carminibus conjungo.* Incusat ergo se pertinacis cujusdam et insignis impudentiæ, ut sub sua persona alios exagitet.—*Semipaganus*] Id est, Semipoëta. Id est, Ego paganus sum, nullum habens cum Musis commer-

cium, et meo profano Poëmate aliorum sacra contamino; cum sacris initiatus non sim. *Lubinus.* Notissimum est, paganus et miles esse τῶν πρός τι. *Casaub.*

7 *Ad, &c.*] Id est, Ad sacra et divina Poëtarum carmina, quæ asservabantur in Bibliotheca Apollinis Palatini. Horat. 'Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.' Huc enim Poëtæ opera sua deferebant. Vel, Quod Poëtæ sese sacros et 'Ενθέους dicant. Ovid. Amor. III. 'At sacri vates, et Divum cura vocamur.' *Lubin.*—*Afferre carmen ad sacra vatum,* generaliter exponi potest, de omnibus qui Poëmata sua recitabant veterum more, aut aliter publicabant: quod φέρειν εἰς μέσον dicit Plutarchus. Sic qui accenseri numero poëtarum volebant, Poëtis carmina sua communicabant, et judicia illorum experiebantur: hæc erat illorum ἀπογραφὴ καὶ ἔγκρισις. Commune est omnium artium ut sacra habeant sibi propria. *Casaub.*—*Carmen, &c.*] Id est, Versus hodie rusticos, et Satyricos, profanos et plebeios.—*Adfero*] Quasi dicat, Adporto, ut mea profana cum sacris conjungam. *Lubinus.* Turnebus XXI. 6.

8 *Quis, &c.*] Est Anthypophora, quasi quis dicat: Quomodo carmen scribis cum sis semipaganus? Rationem et causam efficientem ponit, adjunctam suam famem, famelicum ventrem et inopiam. Quasi dicat: Quis psittacum vocem humanam χαῖρε pronunciare jussit? Nimirum fames et venter. Quis me docuit carmen scribere? Nimirum famelicus venter. Vexat et hic sub sua persona alios. Dicuntur ergo hæc miro artificio in assentatores quosdam, et Parasitastros Poëtas, qui famelici ventris explendi gratia, molliculo aliquo carmine divitibus patronis suis adblandiebantur. Quod auctor noster nec voluit, nec opus habuit; ut qui eques Romanus ditissimus fuit, et post mortem præceptori suo 250,000. (i. e. *Ducenta et quinquaginta millia Coron. Gallicorum*) relinquere potuit. —*Quis, &c.*] Id est, Quis perfecit, absolvit, et expedite pronunciare demonstravit, illud suum χαῖρε, salve vel ave. Possunt hæc dupliciter intelligi, vel quod tenuiores, paupertate coacti cogantur tales aves humanas voces expedite proferre docere, ut illas aves postea carius possint vendere, et ita famem, et inopiam suam consolari. Vel, quod ipsæ aves, cum jam voces humanas didicerunt, quando fame exstimulantur, illas voces proferre et alios salutare doceantur, ut cibum accipiant.—*Psittaco*] Psittacus avis est ex India, vocem humanam miro artificio exprimens. De quo vide Apulejum l. II. et Plinium x. 42. Hinc Statius: 'Humanæ solers imitator psittace linguæ.'—*Suum*] Id est, Ita expedite, et perfecte, pronunciare, ut suum, proprium et naturale, non arte acquisitum esse videatur. *Lubin.* Post hunc versum, quidam sequentem inserunt: *Corvos quis olim concavum salutare.* Id est, Salutationem quasi ex concava spelunca proficiscentem. *Bond.*

9 *Verba conari*] Et *blandiri* legitur. *Vet. Scholiast.*—*Picasque, &c.*] Id est, Quisnam docuit picas, ut nitantur, vel studeant nostra hominum verba exprimere?—*Conari*] Imitari: vel, Magno conatu proferre.

10 *Magister, &c.*] Respondet ad interrogationem, et dicit famem esse causam efficientem humanarum vocum in avibus, et carminum in hominibus indoctis et insulsis.—*Magister, &c.*] Id est, Venter et fames illud potest, quæ aves voces contra naturam potest docere, et me carmina docet, et Poëticum ingenium mihi largitur: non autem Apollo, aut Musarum Poëticus furor.—*Ingenii, &c.*] Id est, Quæ ventris fames, ingenium et acumen multis largitur, quæ a natura non habent. Novorum enim artificiorum magistra et inventrix ino-

pia. 'Paupertas impulit audax Ut versus facerem.' Horat. Epist. I. 2. *Farnabius*. — *Ingeniique*] Ingenii nomine docilitatem, memoriam et cæteras intellectus virtutes appellari, docet Cic. v. de Finib. *Casaub.*

11 *Venter*] Venter esuriens.—*Artifex*] Id est, Qui venter ut insignis artifex est in aviculis illis, in assequendis humanis vocibus a natura negatis. Vel, Artifex et ingeniosus ad sequendum: sic etiam in hominibus. *Lubinus*.—*Sequi*] Heic valet, facere sequi; est enim unum verbum loco duorum positum; significat enim *exprimere*, *dicere*. Casaub.—*Negatas voces*] A natura. Vox enim humana avibus est a natura negata; sed arte, stimulante ventre, acquiritur.

12 *Quod*, *&c.*] Si mendicabula hæc Poëtarum Mæcenatem nanciscantur, adeo sibi boni videntur Poëtæ, adeoque insolescunt, ut cum Bavii sint aut Mævii, pro germanis tamen Virgiliis haberi postulent. *Casaub.* — *Dolosi*, *&c.*] Quod ejus cupiditate in dolos et fraudes homines agantur, cui, in ipsam etiam naturam imperium est. Nam: 'Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?' *Lubin.*—*Refulserit*] Liber Puteani, *refulgeat*. Ita loquitur Persius, velut de re, quæ repente existat, et casu quodam. Quia enim non ex merito ipsorum, sed ex aliorum stultitia, malis Poëtis commoda hæc eveniunt, optare quidem illa semper potuerunt, at sperare non item. *Casaub.*—*Refulserit*] Respicit ad metalli et numorum splendorem. Id est, Resplenduerit, et apparuerit. *Lubin.*

13 *Corvos*, *&c.*] Hyperbolica amplificatio, quasi dicat: Corvi et picæ non solum humanas voces lucri spe discent exprimere; sed perfectum etiam carmen absolvent et cantabunt, et egregii Poëtæ evadent. Notat figurate sua tempora, quibus Poëtæ lucri spe nihil non moliebantur.—*Corvos*, *&c.*] Id est, Corvos tanquam Poëtas, et picas tanquam Poëtrias. *Idem.*

14 *Cantare*, *&c.*] Cantare posse dulcissimum cantum, et carmen, ad Pegasi fontem elaboratum et omnibus numeris absolutum.—*Credas*] Certo credas et statuere debeas.—*Melos*] In aliis est, *nectar*. Vet. Sch.—*Melos*] Hic primam lege versus producit. Politianus dicit se reperisse *nectar*, in codice antiquissimo. *Lubin.* Vide Aug. Politian. Miscell. c. 14. Et Scoppæ collectan. 34. ubi ex autoritate Homeri et Martiani Capellæ, asseritur priorem τοῦ *melos* produci posse. *Farnab.*

SATIRA I.

1 *O curas*] Pronunciatur hic versus a Persio, cum defixus in contemplatione rerum mundi hujus, et eorum omnium, quæ mortales agimus, illas vanitati obnoxias, hæc plusquam vana esse animadvertens, Satyram scribere instituit. Per *curas hominum* intelligit τὰ πραττόμενα et actiones ac studia cuncta mortalium. Rerum appellationem refert ad τὰ ὄντα. Res dico, non ab hominibus factas, sed a natura creatas, cujusmodi sunt gemmæ, aurum, argentum, et similia his alia, in quibus stupent plerorumque

animi.—*Quantum, &c.*] Græcum est, ὅσον τὸ κενόν. *Vet. Sch.*—*O quantum, &c.*] Id est, Quanta vanitas, stultitia et cæcitas est in rebus humanis! Est autem plane Græcum ὅσον τὸ κενόν. Verum per *inane* hoc loco intelligit, vanos, stultos et ambitiosos et κενοδόξους, id est, Inanis gloriæ cupidos. Vel hoc eo spectat, quia homines res illas sectantur, fine inani. *Casaub.*

2 *Quis, &c.*] Hunc versum de Lucilii primo transtulit. *Vet. Sch.*—*Quis, &c.*] Hæc ergo verba: *Quis leget hæc?* sunt amici seu monitoris cujusdam Persio prædicentis, quod paucos Lectores sit habiturus. Quasi dicat monitor: Quisnam *hæc* tua, hanc tuam Satyram supercilii et censuræ plenam, hoc austerum tuum Poëma, quo tu vitia Romanorum taxas, leget? —*Min', &c.*] Verba sunt Persii, amici monitoris voce quasi attoniti et obstupefacti. Ironice autem se ob id perturbari simulat, quod lectores non sit habiturus, ex more vanorum reliquorum Poëtarum.—*Nemo, &c.*] Respondet amicus monitor, et quod superius dixerat, neminem Persii Satyras lecturum, jam juramento ulterius confirmat. Quasi dicat: Ita Hercule futurum est, Persi, nemo hæc tua scripta tetrica magnopere curabit. *Lubin.*

3 *Vel, &c.*] Quoniam amicus monitor Persium tantopere perturbari videt, quod neminem se lectorem inventurum dixerit, jam in consolationem quasi duos aut ad summum tres ei indulget. Sed auctor ex indignatione Satyrica simulata, hoc interrumpit, ut monitor illud verbum (tres) eloqui non potuerit.—*Nemo*] Hoc tertium, *Nemo*, Persii est, quo monitoris verba maxima animi commotione perturbatus, quasi interrumpit. Post *vel* igitur punctum inserendum esse vult Lubinus. In membranis Casauboni, totus quidem versus monitori tribuitur, ultima voce excepta. —*Turpe, &c.*] Non Persio adscribenda hæc sunt cum vulgo interpretum: sed ejus familiari, seu monitori, mentem suam plenius explicanti.—*Turpe, &c.*] Ideo, non quia nemini sit profuturus Persii labor, verum quia nullam auctori gratiam aut gloriam sit allaturus. Illud prius sapientem poterat movere: hoc posterius jure exploditur a Persio.—*Quare*] Quid est, inquit Persius, cur turpe et miserabile pronuncies, si Satyras scribam quas nemo sit lecturus? nempe ita judicas, de existimatione mea actum esse et fortunis, si pessimus audiam Poëtarum, et libellos meos vel Poëmatis Labeonis, quem legit nemo, postponant Nero et alii proceres. *Casaub.*—*Quare*] Lubinus vult hoc esse verbum amici monitoris, Persium quasi consolaturi. Quasi dicat: Nam hoc, o Persi, turpe et miserabile esse dicis, et tantopere indignaris.

4 *Labeonem*] Labeo transtulit Iliada et Odysseam verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus sit. Ejus est ille versus: 'Crudum manduces Priamum, Priamique Pisinnos.' *Vet. Sch.*—*Ne mihi*] Hoccine adeo miserum est, si ut Hector quondam verebatur, ne Polydamas, fil. Antenoris, Troës et Trojanæ mulieres ἑλκεσίπεπλοι, (Homer. Iliad. x.) ipsum Achille inferiorem censerent, si se reciperet intra muros cum cæteris Trojanis; ego itidem vererer, ne Nero et molles atque adeo effæminati Trojugenæ prætulerint mihi Actium Labeonem, qui Iliadas Homeri inepte transtulit. *Farnab.* —*Polydamas*] Erat filius Antenoris imbellis et ignavus. Per hunc recte et allegorice Neronem intelligit. *Lubin.*—*Troiades*] Sunt mulieres Trojanæ, Satyrice pro Trojanis. Homerus simpliciter Τρῶες καὶ Τρῳάδες, sexus uterque: sed mollitiem Romanorum obiter carpit Persius. *Casaub.*

5 *Nugæ*] Rejicit Persius datum sibi consilium, et causam subjungit. Erras, inquit, si in æstimatione bono-

rum aut malorum Poëmatum, judicio standum putas magnatum Romanorum; idonei enim talium judices non sunt. *Casaubon.* Lubinus autem dicit esse verbum amici monitoris, Persium corrigentis, quod ob judicium Romanorum perturbari non debeat. *Turbida Roma*] Præcipitis et corrupti sensus. *Farnab.*

6 *Elevet*] Ἐκφαυλίζει, floccifaciat, parvipendat, vel ad sydera tollat.—*Accedas*] Assentiaris, nec te iniquo Romanorum judicio censendum subjicias. *Farnab.*—*Examenve, &c.*] Examen est lingua, vel linum, quod mediam hastam ad pondera adæquanda tenet. Castigare autem est digito libram percutere, ut temperetur, et præ agitatione post æquum conquiescat. Trutina vero est foramen, intra quod est lingula, de qua examinatio est. *Vet. Sch.*—*Examenve, &c.*] Alia ratio. Quod malum de aliquo judicium non æstimari debeat ex sententia populi Romani. Eo quod ejus trutina, hoc est, examinatio et ratio in judicando admodum prava sit.—*Examenve, &c.*] Ponitur pro inquisitione, æstimatione, et judicio. Est enim *Examen* stilus vel lingula libræ in medio scapo, unde binæ lances suspensæ ad pondera coæquanda. *Trutina* autem est oblongum illud foramen, intra quod vergit lingula, et in quo foramine æqua examinatio cognoscitur. Ponitur autem *trutina* pro veritate et ratione. Insigni ergo metaphora *judicium* significat.—*In illa, &c.*] In sermone et æstimatione et censura populi Romani, tanquam in trutina.

7 *Castiges*] Emendes, corrigas. Est enim *castigare*, digito libram percutere, ut temperetur, et post agitationem conquiescat, ut postea æqualitas innotescat. Id est, Judicium nostri non metiendum ex opinione vulgi. —*Nec te, &c.*] Est autem ultima ratio Apodoseos. Quod nostri judicium non in aliis, sed in nobis, quærendum sit. Id est, Noli judicium de te extrinsecus quærere. 'Atque aliis de te, quam tu tibi credere noli,' ut cum Horatio loquar. *Lubinus.*—*Nec te quæsiveris*] Judicia populi Rom. rejicienti Persio, objici poterat, quis erit igitur cui te placere studeas? Respondet his verbis: Tune, inquit, me vis ex aliorum judiciis pendere? ego vero de me et meis, alios non consulo, verum ipsum me: quod et tu, si me audias, facies. Proprium est eorum qui gloriam sectantur, facta sua non ad rectæ rationis obrussam exigere: sed ad gustum illorum a quibus laudari cupiunt. *Casaub.* Inculcatur ergo hac sententia illud de cœlo delapsum, Γνῶθι σεαυτόν. *Lubin.*

8 *Nam Romæ est quis non*] Quis non se extra quærit? vel, Quis non est corrupti judicii, et indignus cujus rationem habeas? quippe delitiis et luxu perditi, omnes virtutis osores et honestarum omnium artium, de quibus tunc merentur pessime, cum illas suo contactu fœdant. *Casaub.*—*Ac si fas*] Quam ægre se contineret, hæc indicio sunt. Alii libri, *ah si fas dicere*, et sic exoptat sibi licentiam illud dicendi, quod supra per Aposiopesin obticuerat. Quasi dicat: Utinam mihi liceat illud impune dicere, quod alii impune faciunt. *Lubinus.*—*Sed fas*] Significans se in proposito perseverare scribendi satyras.

9 *Tunc cum ad canitiem*] Quicquid isti judicaturi sint, inquit, ego tamen scribendas mihi satyras judico, quoties ob oculos mihi pono, quibus in studiis isti se occupent, jam inde ab eo tempore cum excesserunt ex ephebis ad ultimam usque senectutem: cum tamen graves et severi velint videri. Græcum est, *nostrum istud vivere*, τὸ ζῆν ἡμῶν, vita hæc quam Romæ vivimus plerique omnes. Sic *vivere triste*, ὁ σκυθρωπὸς βίος, qualis est eorum maxime, *Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt*, qui in Litteris Sacris dicuntur ὀφρυίζειν. τὸ

προσωπα. *Casaubon.*—*Ad caniciem, &c.*] Senes describit a Signo, id est, Canitie, et Effectu: id est, tristi et severa vita. *Lubin.*—*Nostrum, &c.*] Figura Græca est, pro nostram vitam tristem. *Vet. Sch.*

10 *Et nucibus, &c.*] Non contentus poëta simpliciter dicere, vitam male ab ipsis collocari: amplius addit, totam a carceribus ad metam; quod ipse designat extrema illius ponens, adolescentiam et senectutem. Virilia ergo studia et transitum a puerilibus nugis ad virorum curas, hac periphrasi expressit. *Nuces* itaque *relinquere* dixit, pro vir fieri, et virilia negotia capessere. *Casaubon.*—*Nucibus facimus*] Cum videam eos improbe agere, qui nucibus et puerilibus nugis relictis virilem sumserint togam: et quos jam canos existentes sapuisse oportuit, nec carminibus, quæ juvenum lusus sunt, immorari. *Farnab.*

11 *Cum, &c.*] Sic Cicero: Objurgavit Cælium, ut quidam patruus Censor. *Vet. Sch.*—*Cum, &c.*] Quarta senum nota ab adjuncta severitate. Cum sumus censores et castigatores minorum, cum honesti, tetrici et severi morum censores sumus, et viri severi existimari volumus. Cum illa jam ætate sumus, et in aliorum juniorum vitam et mores accuratius deberemus inquirere.—*Sapimus*] Tantum adsimus quantum patrui, vel cum repræsentamus et quasi redolemus patruos, id est, censores, objurgatores. Horatius: 'Ne sis patruus mihi.'—*Sapimus*] Subtumida est reprehensio in prima persona. Videntur hæc omnia, ab usque *sed fas tunc,* non inepte dici posse ex persona Monitoris, poëtam monentis, ne sibi juvenis censoriam arripiat virgam; majoris fore auctoritatis et ponderis, si quando canorum et annorum gravitate spectabilis et verendus, in vitia invehatur. *Farnab.*—*Tunc, tunc*] Est quasi conclusio syllogismi superioris. Quasi dicat: Tunc demum video fas esse, tunc video æquum esse, ut Satyram scribam: Ergo Satyram scribam. *Lubin.*—*Tunc, cum*] Tunc fas esse judico, urbem Romam satyrico sale defricare. Orationem abrumpit, quasi præ stomacho plura non posset. *Casaubon.*—*Ignoscite, nolo*] Excusat ergo se et orat, ut sibi nolenti quidem, sed coacto Satyram conscribere ignoscant. Id est, Ignoscite mihi, o Romani, ego nolo quidem sed cogor. *Lubin.* Vel veniam facti petit, quod alter verbo negat.

12 *Quid faciam, &c.*] Quasi dicat: Ego nolo quidem, sed cogor: probat id. Quid enim faciam, quomodo me continebo et temperabo, si in risum sum lascivior, si sum ut sum, ad risum Satyricum profusior?—*Petulanti, &c.*] Cachinno nomen est, et declinatur per omnes casus, *hic Cachinno, hujus Cachinnonis.* Cachinnus est cum voce risus lascivior, quem Græci * μονογέροντας dicunt. Et secundum Physicos dixit, qui tradunt homines splene ridere, felle irasci, jecore amare, corde sapere, pulmone jactari. *Vet. Sch.*—*Petulanti splene*] Improbo, incontinenti, procaci, lascivo, et quasi cum voluptate aliorum vitia irridente splene.—*Splene*] Quasi diceret, 'Naturam expellas furca, tamen usque recurret.' Sic enim ait; factum se a natura cachinnonem, itaque velit nolit oblata re ridicula, risum sibi necessario oboriri. *Petulans splen,* qui justo majus spatium petat et occupet. *Casaub.*—*Cachinno*] Nominandi casu. Homo irrisor et in risum profusior. Et huc usque in genere vanitatem omnium Romanorum arguit. *Lubinus.*

13 *Scribimus, &c.*] Jam in specie partitione facta reprehendit Poëtas et Oratores, eorumque auditores; et initio quidem Poëtas, argumento sumto a fine, quod scriberent ad populi applausus aucupandos. Id est, Nos Poëtæ et oratores Romani passim scribimus, et prorsa et vorsa fa-

cundia ingenii nervos exercemus. Loquitur autem in prima persona tanquam etiam de se loqueretur, ut alii minus ægre id ferrent, et liberius vexari possent. — *Inclusi*] Musæis nostris integros dies abditi, in otio et secessu, remoti a strepitu populari. Nam ut Ovid. 'Carmina secessum scribentis et otia quærunt.'—*Numeros ille*] Poëta versus scribit, qui certis numeris et mensuris constant.—*Hic, &c.*] Id est, Orator hic vel Declamator orationes pangit, a versuum pedibus liber et nullis versuum vel numerorum legibus inclusus, adstrictus. Perstringit ergo Causidicos populi applausum captantes. *Idem.*

14 *Grande aliquid*] Id est, Aliquid tumidum, turgidum, inflatum. Petronius quoque in studiosis eloquentiæ reprehendit 'rerum tumores et sententiarum vanissimum strepitum.' Quo nihil aliud quærebant, quam vulgi applausum, et inanem ostentationem.—*Quod, &c.*] Illustrat illam grandiloquentiam. Id est, In quo recitando pulmo animæ prælargus et vento abundans, et spiritu plenus, turgidus et distentus anhelet et defatigetur, ac pœne rumpatur.—*Animæ, &c.*] Animæ prælargus dicit, vento abundans. *Vet. Sch.*—*Animæ*] Ventis vel spiritu plenus. *Lubin.* *Animam* pro spiritu posuit, quod Hebræis familiarissimum: Orationemque longis periodis contextam ita exprimit, quæ recitari non possit absque vexatione pulmonis et anhelitu. *Casaub.*—*Prælargus*] Id est, Distentus, plenus, abundans. — *Anhelet*] Anhelando et præ defatigatione crebro exspirando proferat. Pulcre hic decorum observat Poëta, qui ut aliorum ampullosam vanitatem ob oculos ponat, ipse utitur dicendi genere turgido et inflato. *Lubin.*

15 *Scilicet, &c.*] Reprehensio Poëtarum, quod magno apparatu, loti, uncti, pexi, nitidi, novis vestibus induti, gemma annuloque ornati, illa recitent. Hinc dependet omnis Poëtæ indignatio, quod carmina ad laudem populi aucupandam scriberent.—*Scilicet*] Ironia. Terent. 'Id populus curat scilicet.'—*Hæc*] Tam grandia et turgida.—*Populo*] Emphatice. Romano scilicet, qui nec sapit, nec recte judicat.—*Pexusque togaque, &c.*] Descriptio recitaturi Poëtæ ex adjunctis. Vexat autem illud ob id, quod corporis potius habitu, quam Carminis dignitate se commendare vellet. —*Toga recenti*] Nova veste indutus. *Lubin.* Togam enim recentem et a fullone candentem Romani assumebant die quovis festo, sive publica sive privata solennitate. Vide Martial. Ep. 58. lib. II. *Casaub.*

16 *Et, &c.*] Ambiguitas in *natalitia*, utrum eam natali suo munere acceperit, ut tantum eo die gerere soleat: quia quidam habent anulos, quos die tantum natali gerunt; et, *albus*, aut festiva veste indutus, aut recitandi pavore ac meditandi et scribendi tædio perfunctus: vel, veste candida, nondum purpureum adeptus vestimentum, quod laticlavium dicitur. *Vet. Sch.*—*Et natalitia, &c.*] Tertium adjunctum, quod annulis et gemmis sese exornarent, et recitaturi suggestum ambitiose ornati adscenderent, ut ita in se populi ora converterent, illique placerent. — *Natalitia*] Vel, quod alias die natali illam tantum gestet, vel, quod die natali sibi ab amico donata sit.—*Sardonyche*] Pro annulo, cui includitur Sardonyx. Est gemma candida. Hujusmodi gemmam Polycrates fortunam adversam experturus in mare projecit.—*Tandem*] Id est, denique vel postremo. —*Albus*] Abjunctum quartum. Id est, Festiva veste et candida indutus conspicuus, quali alias die natali aut festo incedere solebant. *Lubin.* Vel, *albus*, id est, pallidus et de eventu recitationis anxius. *Casaubonus.*

17 *Sede, &c.*] Quintum adjunctum Leget hoc tumidum et vegrande car-

men in loco magis conspicuo, in sublimiore aliquo suggesto, ut ita omnium ora oculosque in se convertat. *Lubin.* Scribendum hic *leges*, etsi aliter antiquæ membranæ: dicimus enim quotiens, totiens, pro quoties, &c. Ergo hic tuorum studiorum et scriptorum est finis, ut recites, et ex recitatione gloriam reportes inanem. *Casaubon.—Liquido cum, &c.*] Hæc sede legens celsa cum liquida voce et bene flexibili pronuntiaveris, patrantibus oculis, heic videas ingentes Titos trepidare: Πλάσμα hic sumitur pro hujusmodi voce, quæ sic eliquata et mollis esset, ut per omnes sonos intentionesque variari posset. Quod *liquido plasmate guttur colluere*, heic dicit, paulo infra, *eliquare et tenero palato verba supplantare*, dixit. At male vir eruditissimus *plasma* ibi accepit, pro medicamenti genere leniendis faucibus facto. *Salmasius Plin. Exercit. Turneb.* lib. XXVIII. cap. 26. Etiam Synesius docet, quantam curam adhiberent recitatores, ut sua vox auditoribus placeret: quosdam refert solitos tragacanthum edere: quæ herba arteriæ asperitates tollit, alii alia. *Casaub.*

Guttur Mobile] In varias pronunciationes flexibile. *Lubin.* Vel, per quod vox facile transmittitur, Græce λεῖον. *Casaub.*—18 *Patranti*] Patratio est rei venereæ perfectio vel consummatio: unde et patres dicti, eo quod patratione filios procreant.—*Ocello*] Per ὑποκόρισμα· quia illum contrahendo minorem facit. Juvenalis: ‘Oculosque in fine trementes.’ *Vet. Sch.—Patranti, &c.*] Septimum adjunctum, a petulanti et lascivo recitantium gestu. Id est, Ocello nimis pæto, lascivo, trementi, petulanter, et libidinose circumlato. *Lubinus.* —*Frangere*] Latinis idem est ac effæminare, robur virile in muliebrem mollitiem corrumpere. *Casaub.*—*Patranti*] A *patrare*, quod est παιδοποιεῖν, Veneri et liberis operam dare, unde patres dicti sunt, quod patratione filios procreent. Ponitur hoc loco pro lascivo, impudico, molli et protervo. —*Ocello*] Per diminutionem ita dicit. Quia dum oculos lascive et petulanter torquent, et limis oculis auditores proterve intuentur, oculos quasi contrahendo minores faciunt. Ex oculis enim animi intima perspicimus, et sunt quasi mentis indices. *Lubin.*

19 *Hic neque, &c.*] Id est, Ubi hæc carmina tanto apparatu recitata sunt: ibi vero videas nobiles nostros Romanos præ libidine obscœno corporis motu, subsilire.—*Hic*] Id est, Hoc loco vel tunc.—*Videas*] Quasi fructum et effectum libidinosi carminis libidinose recitati.—*Neque, &c.*] Perstringit obscœnos corporis motus, contra bonos mores, et severitatem majorum.—*Neque voce, &c.*] Sed voce tremula, fæminea, impudica, viro honesto et Romano indigna. De acclamatione intellige. *Lubinus.*

20 *Ingentes, &c.*] Id est, Principes et nobiles Romanos magnæ auctoritatis et honoris, illos videas libidine trepidare, et obscœnos motus edere. —*Trepidare*] Venere inflammari, libidine irritari, turpissimo corporis gestu præ libidinis ardore subsilire. *Lubinus. Trepidare* hic de his, qui lætitia elati gestiunt, et subsiliunt. *Trepidium* pro tripudio quoque dixere; hinc *Trepidiarii equi* Vegetio, qui trepidant vel tripedant. *Salmasius.*—*Titos*] Nobiles Romanos.—*Cum carmina, &c.*] Id est, Cum lasciva illa carmina et fœdæ voces interiores renum recessus ingrediuntur, ad intima libidinis adita penetrant, et illa incendunt: hæc enim vis est carminis. —*Carmina*] Lasciva et obscœna.— *Lumbum*] Renes qui in lumbis, qui libidinis et Veneris sedes, et officina σπέρματος. *Lubin.*

21 *Et, &c.*] In libidinem excitantur. Juvenalis: ‘Quod enim non excitat inguen Vox blanda, et nequam? digitos habet.’ *Vet. Sch.—Et tremulo*

&c.] Ubi versu tremulo, molli et lascivo; vel versu tremula voce recitato, intima membra venereo libidinis prurito titillantur et scalpuntur.—*Scalpuntur*] Metaph. a scabiosis. Id est, Ita ut eorum viscera pruriant, tanquam in amplexu. *Lubin.* Et recte *tremulum* dicitur, ex quo nascitur in audientium animis voluptas quædam titillans, contraria gravitati, et constantiæ, ut ait Cicero. *Intima sunt αἱ ὀρέξεις,* et pars animi qua concupiscimus, et quæ, ut loquitur M. Tullius, voluptate alitur, vel corporis partes quæ concupiscentiæ illi serviunt. *Casaub.*

22 *Tun',&c.*] Jam per Apostrophen progreditur ad specialiora, reprehenditque Poëtas ab adjuncto ætatis senilis.—*Tun', &c.*] Hoc gestu irati et indignantis pronunciandum est. Respicit autem ad superius illud: *tunc cum ad canitiem, &c.* Quasi dicat: Tunc capuli decus delirum, silicernium vetus, et veternose senex, aliorum delicatas et lascivas aures obscœnis carminibus studes pascere?—*Vetule*] Est nomen convitii, et semper in pejorem partem rapitur. Quasi dicat: Senex delire, decrepite.—*Auriculis alienis*] Scilicet Auditorum tuorum, qui hac ætate, non aliena, sed propria, et ad te pertinentia spectare debebas, et cujus ætas longe aliam vitam, alios mores postulabat.—*Colligis, &c.*] Componis carmina lascivis auribus grata, lasciva et obscœna, quibus lasciviæ et libidinis fomentis, tanquam cibo vel esca pascatur. Id est, Aliorum lascivas et omni turpitudini patentes aures, turpi, salaci, impudico, et te tuaque ætate indigno carmine delinis, suaviter afficis et quasi pascis. *Lubin.* *Auricularum escæ* sunt *οἱ λόγοι*, Poëmata vel orationes. Tritissimum est apud Græcos *εὐωχεῖσθαι λόγοις* et *εὐωχίαι καὶ ἑστιάσεις ἀκοῶν.* At animi pabulum, literæ et eruditio. Porro vis hujus reprehensionis maxime in voce *alienis* posita: quippe alienissimum est a sapiente, facere aliquid propter alienam voluptatem. Verum hæc propria est miseria gloriam sectantium, quod felicitatem suam in aliena operatione ponunt: hoc est, in voluptate, quam capiunt alii ex ipsorum labore. *Casaub.*

23 *Auriculis, &c.*] Tantum laboras ut placeas aliorum auribus? at quibus auribus? nempe eorum qui adeo sine judicio laudant quos laudant, ut cogaris vel invitus id agnoscere: qui sæpe sis expertus, illos tua scripta ita magnifice extollere, ut te liceat vanissimum suppuderet, adeo ut diceres illis, *ohe:* satis est. *Casaubon.*—*Quibus, &c.*] Molestissimum acroama in os laudari. Ideo Persius de avidissimo gloriæ, et vanissimo loquens, ait: *quibus dicas et tu cute perditus.* Proprie vitium corporis hæc verba designant, *cute perditus:* quæ vel de scabioso possumus interpretari, vel de eo qui aqua intercute laboret. Sed convitium corpori dictum, ad animum referri debet: quod in omnibus linguis familiarissimum est. Convenientissimum erit si de hydrope accipias. Itaque opinio sui et *οἴησις* vocatur hydrops. *Casaub.*—*Cute perditus*] Perfrictus frontem: impudens: vel, studio, aut etiam, senio cutem contractus.—*Ohe*] Vox senis juveniliter exultantis, et sibi in obscœno teneroque carmine applaudentis; et inducit quæ sequuntur. *Farnab.*

24 *Quo, &c.*] Verba sunt Persii, senem Poëtam Scoptice vexantis, et senis caussam Satyrice et Ironice defendentis; quem dum videri vult excusare et defendere, vehementius ipsum exagitat, omnibus deridendum propinat. Quasi diceret: Quis igitur fructus erit studiorum, si is non est, ut per illa ad famam et nomen perveniamus?—*Quo*] Id est, *εἰς τί;* ad quid? in quem usum? Quasi diceret: Studium suum Poëtices nullum est,

est nihili, nisi vana tua scientia, qua tu tanquam fermento turges, et quæ tanquam caprificus prodire, seque omnibus ostentare gestit, ab aliis cognoscatur.—*Nisi, &c.*] Per *fermentum* Allegorice intelligit vanam doctrinam et scientiam in vano sene Poëta, possessorem suum inflantem et turgidum, superbumque reddentem. *Lubin.*—*Nisi, &c.*] Quia ut fermentum in massa contineri non potest, quin det significationem sui, eamque fervefaciat, attollat, ac tandem rumpat: item caprificus in saxorum commissuris enata impediri nequit, quo minus saxa dissiciat: ita eruditio in animo levi et inanem gloriam ambiente habitare non potest, quin ut fermentum attollat illum atque inflet, et ut caprificus, foras prodire, et agnosci laudarique ab omnibus cupiat.—*Et quæ, &c.*] Non displicet *simul:* nam cum doctrina, simul ingeneratur ac crescit in horum animis gloriæ titillatio. *Casaubonus.*—*Quæ, &c.*] Id est, Quæ inutilis et sterilis doctrina tanquam caprificus. Altera Allegoria. Ut enim caprificus sterilis est, et nunquam maturos fructus producit, ut etiam saxis et muris in quibus semel radices fixit, contineri non potest, quin muros, saxa et monumenta perrumpens, frangat et foras promineat: ita etiam vana stultorum scientia est inutilis, nec cohiberi potest, quin prorumpat, et se aliis ostentet.

25 *Exierit*] Proruperit, prodierit, divulgata fuerit vana tua scientia.—*Jecur*] Ita dixit, quod in eo etiam sensus et adfectus animi collocatos esse crederent. Utitur autem hic auctor durioribus Allegoriis, decorum observans, ut absurdam illam senum levitatem et vanitatem, qui in carminibus suis ita loquebantur, eo magis ob oculos poneret. *Lubin.* Vel, *E jecore*, id est, E sede scientiæ prodierit tandem in aliorum usum, in meam laudem?—*Caprificus*] Gloriæ cupiditas. *Farnab.*

26 *En pallor, &c.*] Cum indignatione conjuncta Exclamatio, quasi per commiserationem. Ergone, ait, in ea tempora devenimus, ut non in alium finem literis insudetur, quam ad ostentationem ingenii? *Casaub.* Quasi dicat: Vide quæso, o Poëta, quanta tua sit vanitas? Quæ enim et quanta tua est ætas, quale senium tuum, quantus pallor? Hæccine lasciva et juvenilia a te tanto sene fieri?—*Pallor, &c.*] Forte ἐν διὰ δυοῖν. En, quam pallidus senex tu sis! Palloris hujus duas causas affert Philo: laboris assiduitatem, et spem incertam finem optatum consequendi. *Casaub.*—*O mores*] Exclamatio ex ira et indignatione profecta. Quasi dicat; O mores neque antiquos, neque probos, sed perditos, deploratos. *Lubin.*—*Usque, &c.*] Hæc periodus apud Lucillium posita est * ut me scire volo mi conscius sum, ne damnum faciam. Scire hoc se nescit: nisi alios id scire scierit. *Vet. Sch.*—*Usque, &c.*] Alio argumento ex Dissimilibus hanc senum vanitatem perstringit. Quod quamvis nostra scientia et doctrina aliis non innotescat, idcirco illa pro nihilo tamen habenda sit. Quasi dicat: Ergone tua scientia vana, imo nulla tibi esse videtur, nisi aliis illam carminum tuorum recitatione ostentes, aliique te illa præditum esse sciant: et propterea laudent et attollant?—*Scire*] Græcismus, id est, scientia. Et est Epanodos.—*Nihil est*] Nihil juvat, nihil valet. *Lubin.*

28 *At, &c.*] Hic requiritur historia Demosthenis, qui cum transiret, et a mercenario tabernæ digito demonstraretur, fertur lætatus esse, quod ab ignobilibus sciretur. Et Horatius libro quarto Carminum sic posuit: 'Totum muneris hoc tui est, Quod monstror digito prætereuntium.' *Vet. Sch.*—*At, &c.*] Acerba Ironia auctoris nostri, qua irridet vanos inanis gloriæ captatores. Quasi dicat: Attamen etiam a vulgo cognosci, digito mon-

strari, et dici: *Hic est eximius ille Poëta qui nuper dulcissimum illud carmen recitabat.* Quasi diceret, Dulcis est fama, et populi præconium, ubi prætereuntium digito monstror, atque puerorum manibus in scholis teror. *Farnab.*

29 *Ten', &c.*] Occulte tangit Neronem, cujus carmina, quia imperabat, per scholas celebrabantur. *Vet. Sch.*—*Ten' cirratorum, &c.*] Alii, *Tun'*. Quasi immensa sit gloria carmina sua in scholis a tot nobilibus pueris describi, et edisci. Tangit autem Neronem, qui sua carmina publice in scholis prælegi imperabat. Id est, Tune teipsum pro nihilo pendes et reputabis? et nonne tu potius aliquid magnificum de te senties? cum videas carmina tua Romæ in tanto honore esse, ut etiam centum cirratorum puerorum, vel nobilium discipulorum, lectiones et dictata fuerint, quæ a magistris, ut ediscant, ipsis sint injuncta.—*Dictata*] Sunt lectiones ediscendæ et recitandæ.—*Cirratorum*] Id est, Calamistratorum, vel cincinnos, cirros aut intonsos capillos habentium. Porro pueri nobilium cincinnos vel cirros, id est, capillos contortos et crispatos alebant, qui grandioribus detondebantur, et Veneri dedicabantur. Turneb. XXVIII. 26.—*Centum*] Synecdoche numeri certi, pro incerto. *Lubin.*

30 *Ecce, &c.*] Tanquam rem novam et inauditam incepturus. Dixit antea de publicis recitationibus quæ fiebant in basilicis, exedris: jam reprehendit privatam recitationem inter pocula et convivia.—*Inter pocula*] Emphatice. Hinc enim ardor et indignatio Poëtæ. Quasi dicat, Potestne fieri ut ebrii et vinolenti aliquid laude dignum approbent? *Lubin.*—*Inter*] Vetus hic mos et a Græcis acceptus: sed hoc oblectandi sui causa, non ut accuratius quicquam tractarent. *Casaub.*

31 *Romulidæ, &c.*] Ponuntur quasi duo contraria. Quasi Romani Romulo minime similes, sobrii illius Romuli, vinolenti et saturi posteri.—*Saturi*] Dapibus et vino distenti. Dicuntur et hæc in Neronem.—*Dia, &c.*] Id est, Sacra illa vatum, et divina illa Poëmata inter pocula in profano loco non agitanda, non profananda.—*Narrent*] Id est, quid sentiendum sit de Poëmatibus.

32 *Hic aliquis, &c.*] Erat moris ut in missuum intervallis, aut remotis mensis, aliquis convivarum vel memoriter, vel de scripto ῥῆσιν alicujus Poëtæ recitaret: unde mox convivis ansa fabulandi nascebatur. Hoc nunc facit iste inter delicatos delicatulus, *cui circum humeros hyacinthina læna est.* Casaub.—*Hic*] Hoc in loco, vel tum, ubi Poëmatum facta mentio.—*Aliquid*] Forte, ut dixi, Nero, præcipuum enim quendam notari indicant sequentia.—*Circum humeros*] Sic Virgilius Æneid. IV. 'Tyrioque ardebat murice læna Demissa ex humeris.'—*Hyacinthina*] Fuit vestis magni precii, ob colorem potissimum, violæ vernæ, quæ ex obscura et purpurea, id est, subrubra, et Hyacinthi colori persimilis. Alii legunt *Ianthina.*—*Læna*] Vestis quæ supra alia vestimenta superindui solebat, villosa palla, qua in convivio et triclinio uti licebat, non in foro. Vel paludamentum. *Idem.*

33 *Rancidulum, &c.*] Reprehensio, quod recitaret rancida, auribus ingrata, insuavia, et putida. Quæ tamen convivæ adulatores laudabant. *Lubin.*—*Rancor* est certarum rerum diutius asservatarum corruptus odor: veteres Magistri vertunt ταγγὸν, quod oleo vitiato proprium.—*Balba, &c.*] Id est, Quod versus ita putide referrent, ut vox per nares emitti videretur; hoc autem ex mollicie et lascivia faciebant.—*Nare balba*] Et est κατάχρησις. Linguæ enim proprium est balbutire; et balbus ille dicitur, qui vitio linguæ voces male exprimit.

Lubin.—*Balba*] Hoc enim solum voluit significare, naturalem vocis modum ab istis effœminari. *De nare* loqui dicuntur, quibus spiritus qui per nares exit non libere fluit, ob angustiam tramitis. *Casaub.* *Turneb.* XXVIII. 26.

34 *Phyllidas, &c.*] Id est, Miserabiles Tragicorum materias, ut Phyllidem a Demophoonte, Hypsipylem a Jasone desertam, et alia balba de nare eliquat, id est, imperfecte et blæse quadam quasi linguæ hæsitatione balbutiendo quasi percolat. Turneb. XXVIII. 40.—*Phyllidas*] Carmen de Phyllide. Et ita est Metonym. Subjecti pro Adjuncto. Et Synecdoche pluralis pro singulari.—*Vatum, &c.*] Id est, Si quid præterea Poëtæ Tragicum scripserunt, et miserabile, et si quid præterea lacrimabile, a Tragicis scriptum est. Elegias Casaubonus interpretatur.

35 *Eliquat, &c.*] Est hic translatio a sacco et colo vinario, quo vinum transmissum defecatur et liquidum redditur. Vult enim hoc, quod non aperta voce verba efferat, sed voce quasi strangulata pronunciet, ut eo suavior redderetur pronunciatio: vel, ut Farnab. vult, Liquida voce pronunciat. *Lubin.*—*Et, &c.*] *Eliquat* translatum a metallis, et id genus rebus, quæ natura sua compactæ sunt et duræ: cum liquantur, mollescunt et corrumpuntur: sic isti vocem quam a natura acceperant virilem, delicatam reddunt ac fœmineam. *Casaub.*—*Et tenero, &c.*] Id est, Molliuscule et blandiuscule pronunciat palato tenero, voce molli, et ita verba enervata quasi, pronunciatione frangit, subvertit, et quasi mutatis accentibus decurtat. Est ergo mira hic metaphora in *supplantat*, ducta a lucta, in qua fortior imbecilliorem supposito pede *supplantat*, hoc est, dejicit. *Lubin.*—*Supplantat, &c.*] Vocem naturalem ac robustam arte frangit ac corrumpit. Palestræ verba sunt *supplantare, subnervare, ὑποσκελίζειν, τερνίζειν*: quæ venuste ad ea significanda transferuntur, quæ non ex vera virtute fiunt. *Verba supplantare palato* est, non bene nec plene pronuntiare, sed molliter palato illidere et infringere, ut blæse et dulcius sonent, non viriliter. *Casaub.* Turneb. XXVIII. 26.

36 *Adsensere*] Dicit autem hoc loco *viri*, Emphatice et Ironice. Id est, Molles auditores adclamarunt. Vide Mart. Ep. 4. lib. I. th. 1. Exprimitur autem magna vanitas adulantium convivarum et simul eorundem ebrietas.—*Nunc non*] Post illorum assentationes, an non illi mortuo ossa molliter quiescunt sub tenui et sine pondere terra? Ironice. *Farnab.*—*Nunc non, &c.*] Possunt enim verba sequentia dupliciter intelligi: Primo quasi sint auctoris nostri indecoras illas acclamationes adulantium convivarum salse irridentis. Quasi dicat: An non Poëta beatus futurus sit tot convivarum laude et applausu? Deinde ut potius sint convivarum, inepte et ridicule mortuum Poëtam, cujus versus recitati sunt a nobili Romano, laudantium.—*Cinis*] Reliquiæ et ossa quæ in urnis solebant servari.—*Poëtæ*] De Poëta veteri intelligenda sunt, cujus versus ille ineptus declamator recitavit. *Lubin.*

37 *Non levior, &c.*] Ex Ethnicorum vana superstitione dictum, qui levem humum, terram et lapidem sepulcralem mortuorum amicorum, quibus bene vellent, reliquiis et cineribus, precabantur. Sic dixit Martialis: 'Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena.' Contra autem cui male imprecarentur, terram ponderosam optabant. *Lubin.*—*Levior*] Ridere libet veterum stultitiam qui amicorum defunctorum urnis cippos et columnas graves et marmoreas cum imponerent, optabant tamen iisdem terram levem. *Casaub.*—*Cippus*] Proprie *lapis*, qui in defuncti monumentis eri-

gebatur, in quo interdum voluntas testatoris incidebatur. — *Imprimit*] Aggravat, deprimit. *Idem*.

38 *Laudant*, *&c.*] Exaggerat jam et amplificat ulterius vanas illas acclamationes convivarum. Quasi dicat: Non assensere solum, sed etiam ipsum Poëtam laudant, eique defuncto precantur: Nonne jam merito e tanti Poëtæ sepulcro violæ et flores enascuntur?—*Nunc*, *&c.*] Manes posuit pro sepulcro per figuram Adjuncti pro Subjecto. Quod veteres mortuorum animas vel manes manere crederent in sepulcro. Hinc qui sepulcra demoliebantur, Deos Manes violare censebantur. *Idem*.

39 *Nunc*, *&c.*] Tumulus dicitur terræ aggestio, ubi nulla est memoria. *Vet. Sch.*—*Nunc*, *&c.*] Id est, Nonne jure e tumulo et sepulcro ejus violæ enascuntur? *Tumulus* autem proprie est terræ aggestio. — *Fortunataque*, *&c.*] Id est, Ex reliquiis cinerum felicibus et fortunatis, quæ quidem tam sacratissimi vatis sint reliquiæ. *Lubin.*—*Favilla*] Proprie est cinis calidus fovens ignem, et, ut Poëtæ dicunt, σπέρμα πυρός. *Casaub.*

40 *Nascuntur violæ*] Id est, Rosæ et flores. Hoc ergo tanquam summæ felicitatis loco habendum, optabant amicis defunctis. Juvenal. Sat. VII. 'Dii majorum umbris tenuem et sine pondere terram, Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver:' quos e sepulcro natos pacatæ et felicis conditionis defunctorum argumentum.—*Rides, ait*, *&c.*] Est ἀνθυποφορὰ vani illius Poëtæ, quem irrisit auctor noster. Id est, Si nimis rides et perstringis et subsannas nos Romanos nobilium Poëtarum scriptores et admiratores: verba sunt vani recitatoris causam suam defendentis.—*Et nimis*, *&c.*] Id est, Nimium indulges, o Persi, protervo tuo risui. Notum est proverbium, *Naso adunco suspendere*: quod est vafre et subdole aliquem irridere. Græcis μυκτηρίζειν. *Uncis* autem eo dicit: nam nares, dum illas soluto risu contrahimus, in rugas contrahuntur et incurvantur. *Lubin*.

41 *An erit*, *&c.*] Id est, Anne homo adeo bardus atque stupidus invenietur, qui ab aliis ob ingenii sui monumenta laudari nolit? qui aliorum de se famam et existimationem contemnat? Nempe trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur.—*Velle*, *&c.*] Id est, Qui nolit et respuat. *Lubin*.

42 *Os*] Favorem, laudem, acclamationem, quæ ore fit, vel ab ore procedit.—*Meruisse*] Sibi devinxisse et conciliasse.—*Cedro*, *&c.*] Id est, Carmina perpetua hominum memoria digna post se relinquere et posteritati consecrare.—*Cedro*] Sumptum hoc est ab arboris illius natura, quæ cariem non sentit. Ejus autem arboris succo quæcunque illita sunt, a carie et tineis immunia sunt. Hinc diverbium, *Cedro dignum*. Hoc autem Hemistichio usus est Virgilius Æneid. 'Et cedro digna locuti.' *Id.*

43 *Nec*, *&c.*] Quæ carmina nullum periculum habeant apud salsamentarios et turarios. Per *scombros* significat salsamentarios, per *tus* pigmentarios. *Vet. Sch.*—*Nec scombros*, *&c.*] Id est, Quæ nullum periculum habent ob insigne artificium et venustatem, ne chartæ, quibus inscriptæ sunt, inutiles et projectæ ad salsamentarios, pharmacopolas, deferantur, ut inde tunicæ, involucra, vel cuculli fiant, quibus scombros, thus, piper et consimilia amiciant et involvant.—*Scombros*] Pisciculos, *anchovas*, dictos; unde laudatissimum fit garum, cujus singuli congii millibus numum permutabantur, teste Plin. *Lubin*.

44 *Quisquis*, *&c.*] Mimica et comica exclamatio: quoniam Poëtæ non nunquam omisso recto sermone, extra scenam soli loquuntur, sustinentes personam suam, aut aliquorum hominum verba interponunt. *Vet. Sch.*—

Quisquis, &c.] Jam Poëta Persius adversario superius inducto respondet per concessionem dissimilitudine illustratam. Quasi dicat: Concedo tibi laudem respuendam non esse, ita tamen, quod, quamvis, si quid boni scribo, laudem mihi decerni non moleste feram, tamen ad laudem et gloriam non scribo; Vel, eo non scribo, ut laudem consequar.—*Quisquis es*] Contemtim dicit, quasi ad ignotum; id est, Quicunque es, inquit Poëta, quem induxi modo me mouentem et mihi objicientem, cape jam animi mei sententiam manifestam. *Farnab.*—*Modo*] Paulo ante cum dixit adversarius, 'Rides et nimis uncis naribus indulges.'—*Ex, &c.*] Mea reprehensione mihi feci e contrario et adversus me dicere, mihi contradicere et resistere. *Lubin.*

45 *Non, &c.*] Est protasis dissimilitudinis, modesta virium suarum extenuatione illustrata. Quasi dicat: Laus quidem si obiter ad me veniat, non est recusanda.—*Si, &c.*] Modeste vires suas extenuat. Si quid forte aptius, concinnius, elegantius a me edatur. *Exire* enim hic est, ad finem, ac metam pervenire. *Casaub.*

46 *Quando, &c.*] Singularis Persii modestia, sua extenuantis. Quasi dicat: Forte merito dico, quando *hæc avis*, ut aptius aliquid scribam, rara admodum apud me est, id est, rarum nimirum et inusitatum est, ut aliquid laude dignum a me scribatur. Vel, Licet concinnum poëma, rara avis sit, et Phœnix alter. *Farnab.*—*Si quis, &c.*] Quasi dicat: Si tamen fieri possit, ut concinnius aliquid a me scriberetur. *Lubin.*

47 *Laudari, &c.*] Id est, Nolim vel recusem laudari. Interea vanam illam populi auram non ambitiose consector.—*Neque, &c.*] Non habeo animum adeo durum et ab omni humano adfectu aversum, ut nullo honore commovear.—*Cornea, &c.*] Proverbium in illos, qui nullo affectu humano tanguntur. Id est, animus insensibilis et stupidus, adamantinus; cornu enim non sentit. *Idem.*—*Cornea fibra*] Etsi ἀπαθεῖς audimus nos Stoici, amorem tamen non exuimus bonæ famæ: sed tangit et nos ea cura. *Fibra* heic est cor: *cornea* heic pro valde dura. *Casaubon.*

48 *Sed, &c.*] Id est, Interea tamen, licet laudes omnino non respuam, omnia propter populi laudem tanquam finem extremum et summum bonum faciendum non censeo. Id est, Recuso, non admitto, non concedo illud tuum *euge* et tuum *belle*, id est, illas adulantium acclamationes, recti finem et extremum esse.—*Recti, &c.*] Pulcri et honesti finem, ob quem reliqua omnia expetuntur.—*Extremum*] Scilicet finem, et summum bonum. *Lubin.*

49 *Euge*] Hæ enim voces erant acclamantium auditorum, et adsentatorum adulantium. Est enim interjectio adsentientis et congratulantis. Sic Horatius: 'Clamabit enim pulcre, bene, recte.'—*Tuum*] Hoc enim fine scribis; id unicum tuum est propositum, cum scribis.—*Nam, &c.*] Hoc autem *belle* ingeniose et ambigue repetit. Potest et τεχνικῶς et adverbialiter intelligi, id est, Universas illas acclamationes, et totum illud *Euge* et *belle*, quod ab auditoribus tibi acclamari tantopere expetis, accuratius perpende et considera. Nam quid illud vanitatis, adulationis et irrisionis non intus in se habet?—*Excute*] Ἐκτινάσσειν, hic pro singula seorsim considerare. *Casaub.*

50 *Quid, &c.*] Ἀποσιώπησις, scilicet ineptiarum, vanitatis, adulationis, sycophantiarum, fraudis. — *Non, &c.*] Quasi dicat: Non ut Attius Labeo, et reliqui Romani nobiles: sic ego quoque ad populi applausus captandos carmina scribo et recito. Ac si diceret: Hic nihil simile insaniæ scriptis Attii Labeonis reperies.—*Hic*] In meis Carminibus et Satyris.

—*Ilias, &c.*] De insulso hoc versuum compilatore, superius dictum est. *Lubin.*—*Non, &c.*] Accius Labeo Iliadem Homeri versibus fœdissime composuit. *Vet. Sch.*

51 *Ebria, &c.*] Id est, Mea carmina nullam laudem captant, ut insana illa et elleboro digna Ilias Attii Labeonis. Per insanum illud Poëma Satyrice denotat, quod multum Ellebori ad ebrietatem usque potarit. Solent autem furiosis et insanis elleborum, Latinis veratrum, propinare, ad melancholiam expurgandam, quo phrenetici sanitati restituebantur. Turnebus XXVIII. 26. Vel, *Ilias veratro ebria* dicitur, ad quam scribendam multa potione ellebori Attio fuerit opus. *Casaub.*—*Non, &c.*] Id est, Non mea carmina sunt lasciva, fœda et obscena, qualia vilissima illa poëmata, quæ nobiles Romani cibo et potu distenti, crudi et tumidi in conviviis consuerunt dictare et recitare.—*Elegidia*] Scoptice dictum per diminutionem, significans elegias lascivas, molles.—*Crudi*] Præ cruditate laborantes, vel, Crudum adhuc in stomacho cibum gerentes. Quasi dicat: Gulæ proceres, compotationibus assueti, et quorum venter cruditate laborans subtilia carmina non poterat gignere. Tò *Crudi* etiam ad studia potest referri vix bene adhuc inchoata istis, nedum perfecta: sic accipit Petronius. *Casaub.*

52 *Dictarunt*] Dum inter mensas et pocula nugas effutiunt. Mallem legere, *Ructarunt cum essent crudi.*—*Proceres*] Intelligit principes et nobiles Romanos. Hos supra vocavit *Romulidas saturos*, et *Ingentes Titos.*—*Non, &c.*] Id est, Vana assentatoria carmina, quæ Romani in tanto habebant precio, ut citreis lectis discubitoriis illa inscriberent. Vide Juvenalis Sat. VII. 104. Alii lectos thalami intelligunt et eorum citreas tabulas cera inductas, in quibus noctis tempore, quidquid in animum veniret, statim notarent, ne vis ingenii periret. Erat autem arbor *Citrus* lignum magni precii, materiam lautis mensarum orbibus suppeditans. Quæ in tanto precio Romæ fuit, ut eodem auri pondere rependeretur. *Lubin.*

53 *Calidum, &c.*] Reprehendit illos, et quod magnificis cœnis, largitionibus et muneribus auditores convivas tanquam adulatores et parasitos conducerent, eorumque applausum quasi emerent. *Lubin.* Divitum omnes nugas, qualescunque tandem essent, laudari solitas indignatur Persius. *Lecti citrei*, opulentorum proprii. *Casaub.*—*Scis ponere*] Dare cœnam lautam. Id est, Novisti apponere, novisti alios ad cœnam vocare, et lautissimis impensis liberaliter tractare, et postea quæris ex illis, quid de te tuisque carminibus sentiant.—*Calidum*] Quia cibos quam ferventissimos mensis inferre moris erat. *Casaub.*—*Sumen*] A sugendo dictum, quasi *Sugimen*, suis mammam significans, et quidem suis primiparæ post primum partum, antequam eos fœtus suxissent resectam. Hinc fiebat genus farciminis, Romæ olim in summis delitiis habitum. *Lubin.*

54 *Scis, &c.*] Scis birrum attritum comiti condonare. Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Penula, pallium cum fimbriis longis. *Vet. Sch.*—*Scis comitem, &c.*] Id est, Clientem vel asseclam tuum minus bene vestitum, frigore tremulum et horrentem attritis vestibus et lacernis donare novisti.—*Horridulum*] Eo dicit, quod frigus male vestitis horrorem incutit.—*Trita*] Id est, Vetusta, depexa, obsoleta.—*Lacerna*] Id est, Pallio fimbriato, quo olim soli milites utebantur. *Lubin.*

55 *Et verum, &c.*] Id est, Usque adeo insanus es et demens, ut ab adulatoribus, quos tuis conviviis corrupisti, te veritatem auditurum speres.—*Verum mihi, &c.*] Id est, Tamen vis videri assentatores odisse. Quasi

dicat: Tu verum examen ab iis audire desideras, quibus non habenda fides, cum corrupti sint. Recte de his Horatius: 'Male verum examinat omnis Corruptus judex.' *Lubin.*

56 *Qui, &c.*] Tractus sensus ex Græco versu, quo significatur, ex ventre crasso tenuem sensum non nasci. *Vet. Sch.*—*Qui pote*] Septem lineas sequentes interrupte interserit Poëta. *Farnab.*—*Qui*] Quasi dicat: Quomodo fieri potest, ut ab illis verum audias, quos muneribus tuis falsa dicere docuisti.—*Pote*] Id est, potest.—*Vis dicam*] Est interceptio Poëtæ nostri. Quasi dicat: Si veritate usque adeo delectaris, visne ut ego illam tibi aperte, et sine fuco dicam, quid de te tuisque carminibus sentiendum sit.—*Nugaris*] Unico verbo dicit auctor noster, quid sentiat. Quasi dicat: Tu putidas et nullius pretii nugas et ineptias scribis. *Lubin.*—*Cum tibi calve, &c.*] Hoc est Persii de isto judicium. Accipe igitur de te quid sentiam: ego te stultum pronuntio, qui vitam omnem ad canitiem usque traducas in nugis et inutili Poëtandi studio: cum sint talia potiora quæ ei studio præverti debeant: imprimis autem, mores emendare, et vitam corrigere, quam per voluptates traducis, in curanda cute plus æquo operatus. *Casaub.*—*Calve, &c.*] Perstringit autem hoc loco certum aliquem calvum et crassum Poëtam. Quasi dicat: Tu ineptias tantum componis, cum tibi, o Calve, pinguis tuus venter tanquam aqualiculus tanto pondere ultra reliquum corpus promineat. Potestne fieri ut e corpore tam obeso et crasso, et vitiis ac delitiis pingui, aliquid subtile, acutum et limatum prodeat. *Lubin.*

57 *Pinguis*]. Ponitur hic pro stupido et hebeti.—*Aqualiculus*] Sordida metaphora, sed satis conveniens Satyrico idiotismo. Est autem *Aqualiculus* proprie venter porci, vel etiam pro receptaculo sordium. Ponitur hic pro ventre helluonis et impuri hominis.—*Propenso*] Protenso, extenso, exporrecto.—*Sesquipede*] Id est, mensura unius pedis cum semisse vel dimidio. Turnebus XXVIII. 26.—*Extet*] Proëmineat.

58 *O Jane, &c.*] Exclamans ergo ἀναισθησίαν istorum et stuporem admiratur. *Casaub.*—*O Jane*] Est autem Ellipsis, et subintelligendum: Quam tu felix et prudens es, qui vides πρόσω καὶ ὀπίσω, o te beatum! Fuit autem Janus antiquissimus Italiæ Deus, et Latii rex, a quo *Janiculum* dictum. Per *Janum* intelligit cordatos et prudentes.—*A tergo, &c.*] Tria irrisionum vel sannarum genera ponuntur. Primum, Manu ciconiam significare. Secundum, Apposito ad tempora pollice asininas aures denotare. Tertium, Linguam sitientis canis imitari.—*A tergo*] Illud enim fieri non poterat, nam et in tergo habebat oculos.—*Nulla, &c.*] Tria genera sannarum, aut manu significare ciconiam, aut opposito temporibus pollice, auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. Sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant. *Vet. Sch.*—*Ciconia*] Refer hoc ad digitos in modum rostri ciconini coactos.—*Pinsit*] Pinsere est avium, dum rostrum alicui rei crebro impingunt, et crebro aliquid percutiunt: ab antiquo verbo *Pindo*, id est, ferio, unde pistor et pistillum. Diomedes legit, *Pinsat.* Lubin.

59 *Nec, &c.*] Secundum irrisionis genus, cui non a tergo manus irrisorum proterva, albas asini aures expressit et capiti apposuit.—*Mobilis*] Notatione significat asini aures ex motu manus, hominis enim aures sunt immobiles. Deinde asini aures interius albis pilis hirsutæ sunt. Tales ergo manus capiti applicatæ movebantur instar asininarum aurium. Respicit autem ad fabulam de Mida. *Idem.*

60 *Nec linguæ, &c.*] Hoc est tertium genus sannæ, linguam nimirum longissime exserere; quod Saxones vocant, Caput Leonis imitari.—*Quantum, sitiat*] Id est, Quantum sitiendo exserit. — *Apula*] Eo dicit, Apulia enim regio est calidissima, unde Siticulosa dicitur ab Horatio.—*Tantæ*] Non aliter membranæ: puto tamen scripsisse Persium, *Tantum*. Quæ lectio et elegantior longe est et planior. Ut nimirum quantum canis sitiens linguam extendat, tantæ etiam sint linguæ ardelionum et irrisorum. *Casaub. Lubin.*

61 *Vos*] Id est, Vos nobiles Romani, quibus illa felicitas Jani non concessa est, ut qui in anteriori, non etiam in posteriori parte capitis oculos geritis, ne adulatores post tergum vos ludibrio habeant, sedulo cavete. —*Quos vivere, &c.*] Id est, Quibus natura nullos oculos in occipitio collocavit, et ita ratio est apodoseos ex adjunctis, quod Romani facile possunt decipi, resipiscite ergo et irrisoribus posthac nolite credere. *Lubin.*—*Vivere, &c.*] Quos natalium humilitas non cogit spe alicujus commodi scribere ac recitare: sed licet famam iis artibus quæsitam contemnere, et eximere vos eorum cachinnis, qui miseros recitatores palam laudant, clam subsannant. *Vivere occipiti cæco illis fas*, qui nihil coguntur admittere, cujus gratia optare debent Jani oculos; de quo modo dictum. *Casaub.*

62 *Posticæ, &c.*] Id est, Obviam ite et resistite illi irrisioni, quæ fit a tergo.—*Sannæ*] Sanna est, os cum vultu distortum per irrisionem. *Lubin.*

63 *Quis, &c.*] Vani Poëtæ prosopopœia, qui adulatorem interrogat: Quid populus de me loquitur? Qui sermo et quod judicium vulgi de me et meis carminibus?—*Populi*] Vanum populi judicium non ex certa ratione, sed ex opinione proficiscens, et quod optimus quisque semper contempsit. —*Quis enim*] Respondet irrisor donis atque muneribus corruptus. Quasi dicat: Quis enim alius de tuis carminibus populi sermo esset, nisi illa adeo polita, adeo perfecta et limata esset, ut vel Momi judicio nihil addi, nihil demi possit?—*Nisi carmina, &c.*] Nisi quod carmina tua currant et fluant versu facili et bene conjuncto. *Lubin.*

64 *Molli numero*] Id est, Mira facilitate, dexteritate, in quibus nihil durum, rigidum, asperum.—*Fluere*] Sine ullo labore a te componi. *Lubin.*—*Fluere*] Judicia auditorum carpit, qui eam solam orationem probabant, sive ἔμμετρον, sive ἄμετρον, quæ tenera quadam elocutionis cute esset operta. *Casaubon.* Est ergo hic sensus: Adeo polita sunt tua carmina, ut velut in marmoribus, quidquid dextre junctum et coaptatum est, et affabre commissum, et nulla asperitate relicta perlæve et perpolitum est et junctum, si unguibus pertentetur, ungues etiam severos et accurate inquirentes et judicantes, non intromittit, sed effundit, et transmittit, ut nulla junctura sentiatur: ita in compositione versuum tuorum nulla est inæqualitas, et illi exactum Criticorum judicium facile sustinent. Ordo autem est: Ut junctura (vel commissura marmoris) effundit ungues severos, *per læve*, id est, per politum et lævigatum marmor, transmissos: velut autem unguis non intromittitur in commissuram, ob aptissimam conjunctionem: ita etiam censura vel judicium Criticorum in carmen non admittitur, ob accuratam compositionem. *Lubin.*

65 *Effundat*] Non intromittat, sed excludat, cum nulla ibi rima, vel juncturæ vestigium appareat. Mallem *Effundit:* Id est, Non remoratur vel impedit ungues per marmor transmissos nulla obstante asperitate.—*Severos*] *Severum* vocamus, qui justitiam ad unguem vel ad vivum resecat.—*Junctura*] Allegorice compositionem versuum sine ulla asperitate et inæqualitate politissimam intelligit.—*Un-*

gues] Hinc proverbium, *ad unguem*, pro re perfecta et omnibus numeris absoluta.—*Scit*, &c.] Secundum argumentum a comparatione similium; id est, Tam recte versum scribit, quam fabri lignarii lineam, normam, aut perpendiculum rubrica et creta notant. Significat optimum carminis opificem et artificem.—*Tendere*] Deducere, dirigere, collimare, ut et sagittarii clauditur unus oculus, ne visus dividatur. *Idem.*

66 *Non secus*] Non aliter, atque si faber lignarius opus ad amussim et regulam examinet, et lineam rectam, norma per rubricam notata dirigat et apponat.—*Rubricam*] Solent enim fabri lignarii amussim rubrica, creta vel atramento notare, et illud ad lignum transferre, ipsa norma lignum verberando, ut designent quid amputandum sit, et quo pacto opus sit dirigendum. *Oculo uno*] Uno nimirum clauso, altero aperto, ut lineæ rectitudinem examinent, ne vago amborum oculorum obtutu, norma rectitudinis turbetur. Turneb. XXVIII. 26.

67 *Sive*, &c.] Tertium argumentum, a quavis materia subjecta, de qua gravissime et politissime carmen scribat. Declarat id causa efficiente; Musarum scilicet inspiratione. *Lubinus.*—*Opus in*, &c.] Tò *opus* bifariam potest exponi: sive opus sit in mores evehi: vel, sive opus fuerit institutum ab illo, adversus mores. *Opus* autem *in mores et luxum*, interpretor de satyrico scripto: quod videntur ea ætate multi tentasse, partim carmine heroico, ut Persius, partim per satyram mixtis oratione et versu, ut Petronius. Non assentior veteri interpreti et aliis qui *mores* de comœdia accipiunt, *luxum* de satyra. *Casaubonus.* — *Et grandia regum*] Intelligit Tragœdias; ut prandium Terei, cœnam Thyestæ. *Lubin.*

68 *Res grandes*, &c.] Quæ intelligenda tantum de Tragœdia. Satyra enim populare et humile scriptum est. Intelligit autem per *Res grandes*, magnas, et ponderosas, sublimes, et verba decoris et gravitatis plena. *Lubin.*—*Nostro dat*, &c.] Huic de quo loquimur: sunt enim populi verba recentis adhuc e Poëtæ cujusdam recitatione: sed Neronem præcipue intelligi existimantibus assentimur. *Casaubon.*

69 *Ecce*, &c.] Aliud Poëticæ vanitatis argumentum, quod majora viribus aggrederentur, et cum ne humilibus quidem materiis dextere tractandis sufficerent, materiis gravissimis manus admolirentur: Præclare de his Horatius: 'Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus, et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri.'—*Ecce*] Quasi rem novam et inauditam incepturus. —*Heroas sensus*] Intelligit heroicas materias, quales tractant Epici, sententias et materias graves, sublimes: posuit autem *Heroas* pro *Heroos* vel *Heroicos.* — *Adferre*] Proferre, scribere, et producere.—*Docemus*] Legitur in aliis, *videmus.* Lubin.

70 *Nugari*, &c.] Qui antea vana quædam Poëmata et Epigrammata Græca solebant condere, illi jam omnia tentant sublimia. *Nugari solitos*, id est, qui Græce solebant versus scribere. *Lubinus.* Vel intelligit puerulos vix adhuc primas litteras doctos. Ea enim ætate Romani, puerorum studia a Græcis litteris auspicabantur. *Casaubon.*—*Nec*, &c.] Pueri cum primum rhetorum Scholam salutaverant, egressi e Grammatico ludo, exercebant stylum in descriptionibus ac narrationibus historicis. *Casaub.* Qui ne tantum quidem in arte Poëtica profecerunt, ut lucum recte possint describere, et rus saturum, et ubertate fructuum amœnum laudare. *Artifices ponere* est, non satis gnari et periti artifices ad ponendum. Turneb. IX. 31.—*Lucum*] Silvam aliquam amœnam et inacduam, alicui Numini consecratam. *Lubin.*

—*Ilias*, *&c.*] De insulso hoc versuum compilatore, superius dictum est. *Lubin.*—*Non*, *&c.*] Accius Labeo Iliadem Homeri versibus fœdissime composuit. *Vet. Sch.*

51 *Ebria*, *&c.*] Id est, Mea carmina nullam laudem captant, ut insana illa et elleboro digna Ilias Attii Labeonis. Per insanum illud Poëma Satyrice denotat, quod multum Ellebori ad ebrietatem usque potarit. Solent autem furiosis et insanis elleborum, Latinis veratrum, propinare, ad melancholiam expurgandam, quo phrenetici sanitati restituebantur. Turnebus XXVIII. 26. Vel, *Ilias veratro ebria* dicitur, ad quam scribendam multa potione ellebori Attio fuerit opus. *Casaub.*—*Non*, *&c.*] Id est, Non mea carmina sunt lasciva, fœda et obscena, qualia vilissima illa poëmata, quæ nobiles Romani cibo et potu distenti, crudi et tumidi in conviviis consuerunt dictare et recitare.—*Elegidia*] Scoptice dictum per diminutionem, significans elegias lascivas, molles.—*Crudi*] Præ cruditate laborantes, vel, Crudum adhuc in stomacho cibum gerentes. Quasi dicat: Gulæ proceres, compotationibus assueti, et quorum venter cruditate laborans subtilia carmina non poterat gignere. Τὸ *Crudi* etiam ad studia potest referri vix bene adhuc inchoata istis, nedum perfecta: sic accipit Petronius. *Casaub.*

52 *Dictarunt*] Dum inter mensas et pocula nugas effutiunt. Mallem legere, *Ructarunt cum essent crudi.*—*Proceres*] Intelligit principes et nobiles Romanos. Hos supra vocavit *Romulidas saturos*, et *Ingentes Titos.*—*Non*, *&c.*] Id est, Vana assentatoria carmina, quæ Romani in tanto habebant precio, ut citreis lectis discubitoriis illa inscriberent. Vide Juvenalis Sat. VII. 104. Alii lectos thalami intelligunt et eorum citreas tabulas cera inductas, in quibus noctis tempore, quidquid in animum veniret, statim notarent, ne vis ingenii periret. Erat autem arbor *Citrus* lignum magni precii, materiam lautis mensarum orbibus suppeditans. Quæ in tanto precio Romæ fuit, ut eodem auri pondere rependeretur. *Lubin.*

53 *Calidum*, *&c.*] Reprehendit illos, et quod magnificis cœnis, largitionibus et muneribus auditores convivas tanquam adulatores et parasitos conducerent, eorumque applausum quasi emerent. *Lubin.* Divitum omnes nugas, qualescunque tandem essent, laudari solitas indignatur Persius. *Lecti citrei*, opulentorum proprii. *Casaub.*—*Scis ponere*] Dare cœnam lautam. Id est, Novisti apponere, novisti alios ad cœnam vocare, et lautissimis impensis liberaliter tractare, et postea quæris ex illis, quid de te tuisque carminibus sentiant.—*Calidum*] Quia cibos quam ferventissimos mensis inferre moris erat. *Casaub.*—*Sumen*] A sugendo dictum, quasi *Sugimen*, suis mammam significans, et quidem suis primiparæ post primum partum, antequam eos fœtus suxissent resectam. Hinc fiebat genus farciminis, Romæ olim in summis delitiis habitum. *Lubin.*

54 *Scis*, *&c.*] Scis birrum attritum comiti condonare. Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Penula, pallium cum fimbriis longis. *Vet. Sch.*—*Scis comitem*, *&c.*] Id est, Clientem vel asseclam tuum minus bene vestitum, frigore tremulum et horrentem attritis vestibus et lacernis donare novisti.—*Horridulum*] Eo dicit, quod frigus male vestitis horrorem incutit.—*Trita*] Id est, Vetusta, depexa, obsoleta.—*Lacerna*] Id est, Pallio fimbriato, quo olim soli milites utebantur. *Lubin.*

55 *Et verum*, *&c.*] Id est, Usque adeo insanus es et demens, ut ab adulatoribus, quos tuis conviviis corrupisti, te veritatem auditurum speres.—*Verum mihi*, *&c.*] Id est, Tamen vis videri assentatores odisse. Quasi

dicat: Tu verum examen ab iis audire desideras, quibus non habenda fides, cum corrupti sint. Recte de his Horatius: 'Male verum examinat omnis Corruptus judex.' *Lubin.*

56 *Qui, &c.*] Tractus sensus ex Græco versu, quo significatur, ex ventre crasso tenuem sensum non nasci. *Vet. Sch.*—*Qui pote*] Septem lineas sequentes interrupte interserit Poëta. *Farnab.*—*Qui*] Quasi dicat: Quomodo fieri potest, ut ab illis verum audias, quos muneribus tuis falsa dicere docuisti.—*Pote*] Id est, potest.—*Vis dicam*] Est interceptio Poëtæ nostri. Quasi dicat: Si veritate usque adeo delectaris, visne ut ego illam tibi aperte, et sine fuco dicam, quid de te tuisque carminibus sentiendum sit.—*Nugaris*] Unico verbo dicit auctor noster, quid sentiat. Quasi dicat: Tu putidas et nullius pretii nugas et ineptias scribis. *Lubin.*—*Cum tibi calve, &c.*] Hoc est Persii de isto judicium. Accipe igitur de te quid sentiam: ego te stultum pronuntio, qui vitam omnem ad canitiem usque traducas in nugis et inutili Poëtandi studio: cum sint talia potiora quæ ei studio præverti debeant: imprimis autem, mores emendare, et vitam corrigere, quam per voluptates traducis, in curanda cute plus æquo operatus. *Casaub.*—*Calve, &c.*] Perstringit autem hoc loco certum aliquem calvum et crassum Poëtam. Quasi dicat: Tu ineptias tantum componis, cum tibi, o Calve, pinguis tuus venter tanquam aqualiculus tanto pondere ultra reliquum corpus promineat. Potestne fieri ut e corpore tam obeso et crasso, et vitiis ac delitiis pingui, aliquid subtile, acutum et limatum prodeat. *Lubin.*

57 *Pinguis*] Ponitur hic pro stupido et hebeti.—*Aqualiculus*] Sordida metaphora, sed satis conveniens Satyrico idiotismo. Est autem *Aqualiculus* proprie venter porci, vel etiam pro receptaculo sordium. Ponitur hic pro ventre helluonis et impuri hominis.—*Propenso*] Protenso, extenso, exporrecto.—*Sesquipede*] Id est, mensura unius pedis cum semisse vel dimidio. Turnebus XXVIII. 26.—*Extet*] Proëmineat.

58 *O Jane, &c.*] Exclamans ergo ἀναιθησίαν istorum et stuporem admiratur. *Casaub.*—*O Jane*] Est autem Ellipsis, et subintelligendum: Quam tu felix et prudens es, qui vides πρόσω καὶ ὀπίσω, o te beatum! Fuit autem Janus antiquissimus Italiæ Deus, et Latii rex, a quo *Janiculum* dictum. Per *Janum* intelligit cordatos et prudentes.—*A tergo, &c.*] Tria irrisionum vel sannarum genera ponuntur. Primum, Manu ciconiam significare. Secundum, Apposito ad tempora pollice asininas aures denotare. Tertium, Linguam sitientis canis imitari.—*A tergo*] Illud enim fieri non poterat, nam et in tergo habebat oculos.—*Nulla, &c.*] Tria genera sannarum, aut manu significare ciconiam, aut opposito temporibus pollice, auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. Sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant. *Vet. Sch.*—*Ciconia*] Refer hoc ad digitos in modum rostri ciconini coactos.—*Pinsit*] Pinsere est avium, dum rostrum alicui rei crebro impingunt, et crebro aliquid percutiunt: ab antiquo verbo *Pindo*, id est, ferio, unde pistor et pistillum. Diomedes legit, *Pinsat*. Lubin.

59 *Nec, &c.*] Secundum irrisionis genus, cui non a tergo manus irrisorum proterva, albas asini aures expressit et capiti apposuit.—*Mobilis*] Notatione significat asini aures ex motu manus, hominis enim aures sunt immobiles. Deinde asini aures interius albis pilis hirsutæ sunt. Tales ergo manus capiti applicatæ movebantur instar asininarum aurium. Respicit autem ad fabulam de Mida. *Idem.*

60 *Nec linguæ, &c.*] Hoc est tertium genus sannæ, linguam nimirum longissime exserere; quod Saxones vocant, Caput Leonis imitari.—*Quantum, sitiat*] Id est, Quantum sitiendo exserit. — *Apula*] Eo dicit, Apulia enim regio est calidissima, unde Siticulosa dicitur ab Horatio.—*Tantæ*] Non aliter membranæ: puto tamen scripsisse Persium, *Tantum*. Quæ lectio et elegantior longe est et planior. Ut nimirum quantum canis sitiens linguam extendat, tantæ etiam sint linguæ ardelionum et irrisorum. *Casaub. Lubin.*

61 *Vos*] Id est, Vos nobiles Romani, quibus illa felicitas Jani non concessa est, ut qui in anteriori, non etiam in posteriori parte capitis oculos geritis, ne adulatores post tergum vos ludibrio habeant, sedulo cavete. —*Quos vivere, &c.*] Id est, Quibus natura nullos oculos in occipitio collocavit, et ita ratio est apodoseos ex adjunctis, quod Romani facile possunt decipi, resipiscite ergo et irrisoribus posthac nolite credere. *Lubin.*—*Vivere, &c.*] Quos natalium humilitas non cogit spe alicujus commodi scribere ac recitare: sed licet famam iis artibus quæsitam contemnere, et eximere vos eorum cachinnis, qui miseros recitatores palam laudant, clam subsannant. *Vivere occipiti cæco illis fas,* qui nihil coguntur admittere, cujus gratia optare debent Jani oculos; de quo modo dictum. *Casaub.*

62 *Posticæ, &c.*] Id est, Obviam ite et resistite illi irrisioni, quæ fit a tergo.—*Sannæ*] Sanna est, os cum vultu distortum per irrisionem. *Lubin.*

63 *Quis, &c.*] Vani Poëtæ prosopopœia, qui adulatorem interrogat: Quid populus de me loquitur? Qui sermo et quod judicium vulgi de me et meis carminibus?—*Populi*] Vanum populi judicium non ex certa ratione, sed ex opinione proficiscens, et quod optimus quisque semper contempsit. —*Quis enim*] Respondet irrisor donis atque muneribus corruptus. Quasi dicat: Quis enim alius de tuis carminibus populi sermo esset, nisi illa adeo polita, adeo perfecta et limata esset, ut vel Momi judicio nihil addi, nihil demi possit?—*Nisi carmina, &c.*] Nisi quod carmina tua currant et fluant versu facili et bene conjuncto. *Lubin.*

64 *Molli numero*] Id est, Mira facilitate, dexteritate, in quibus nihil durum, rigidum, asperum.—*Fluere*] Sine ullo labore a te componi. *Lubin.*—*Fluere*] Judicia auditorum carpit, qui eam solam orationem probabant, sive ἔμμετρον, sive ἄμετρον, quæ tenera quadam elocutionis cute esset operta. *Casaubon.* Est ergo hic sensus: Adeo polita sunt tua carmina, ut velut in marmoribus, quidquid dextre junctum et coaptatum est, et affabre commissum, et nulla asperitate relicta perlæve et perpolitum est et junctum, si unguibus pertentetur, ungues etiam severos et accurate inquirentes et judicantes, non intromittit, sed effundit, et transmittit, ut nulla junctura sentiatur: ita in compositione versuum tuorum nulla est inæqualitas, et illi exactum Criticorum judicium facile sustinent. Ordo autem est: Ut junctura (vel commissura marmoris) effundit ungues severos, *per læve*, id est, per politum et lævigatum marmor, transmissos: velut autem unguis non intromittitur in commissuram, ob aptissimam conjunctionem: ita etiam censura vel judicium Criticorum in carmen non admittitur, ob accuratam compositionem. *Lubin.*

65 *Effundat*] Non intromittat, sed excludat, cum nulla ibi rima, vel juncturæ vestigium appareat. Mallem *Effundit:* Id est, Non remoratur vel impedit ungues per marmor transmissos nulla obstante asperitate.—*Severos*] *Severum* vocamus, qui justitiam ad unguem vel ad vivum resecat.—*Junctura*] Allegorice compositionem versuum sine ulla asperitate et inæqualitate politissimam intelligit.—*Un-*

gues] Hinc proverbium, *ad unguem*, pro re perfecta et omnibus numeris absoluta.—*Scit, &c.*] Secundum argumentum a comparatione similium; id est, Tam recte versum scribit, quam fabri lignarii lineam, normam, aut perpendiculum rubrica et creta notant. Significat optimum carminis opificem et artificem.—*Tendere*] Deducere, dirigere, collimare, ut et sagittarii clauditur unus oculus, ne visus dividatur. *Idem.*

66 *Non secus*] Non aliter, atque si faber lignarius opus ad amussim et regulam examinet, et lineam rectam, norma per rubricam notata dirigat et apponat.—*Rubricam*] Solent enim fabri lignarii amussim rubrica, creta vel atramento notare, et illud ad lignum transferre, ipsa norma lignum verberando, ut designent quid amputandum sit, et quo pacto opus sit dirigendum. *Oculo uno*] Uno nimirum clauso, altero aperto, ut lineæ rectitudinem examinent, ne vago amborum oculorum obtutu, norma rectitudinis turbetur. Turneb. XXVIII. 26.

67 *Sive, &c.*] Tertium argumentum, a quavis materia subjecta, de qua gravissime et politissime carmen scribat. Declarat id causa efficiente; Musarum scilicet inspiratione. *Lubinus.*—*Opus in, &c.*] Tò *opus* bifariam potest exponi: sive opus sit in mores evehi: vel, sive opus fuerit institutum ab illo, adversus mores. *Opus* autem *in mores et luxum*, interpretor de satyrico scripto: quod videntur ea ætate multi tentasse, partim carmine heroico, ut Persius, partim per satyram mixtis oratione et versu, ut Petronius. Non assentior veteri interpreti et aliis qui *mores* de comœdia accipiunt, *luxum* de satyra. *Casaubonus.* — *Et prandia regum*] Intelligit Tragœdias; ut prandium Terei, cœnam Thyestæ. *Lubin.*

68 *Res grandes, &c.*] Quæ intelligenda tantum de Tragœdia. Satyra enim populare et humile scriptum est. Intelligit autem per *Res grandes*, magnas, et ponderosas, sublimes, et verba decoris et gravitatis plena. *Lubin.*—*Nostro dat, &c.*] Huic de quo loquimur: sunt enim populi verba recentis adhuc e Poëtæ cujusdam recitatione: sed Neronem præcipue intelligi existimantibus assentimur. *Casaubon.*

69 *Ecce, &c.*] Aliud Poëticæ vanitatis argumentum, quod majora viribus aggrederentur, et cum ne humilibus quidem materiis dextere tractandis sufficerent, materiis gravissimis manus admolirentur: Præclare de his Horatius: 'Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus, et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri.'—*Ecce*] Quasi rem novam et inauditam incepturus.—*Heroas sensus*] Intelligit heroicas materias, quales tractant Epici, sententias et materias graves, sublimes: posuit autem *Heroas* pro *Heroos* vel *Heroicos*. — *Adferre*] Proferre, scribere, et producere.—*Docemus*] Legitur in aliis, *videmus*. Lubin.

70 *Nugari, &c.*] Qui antea vana quædam Poëmata et Epigrammata Græca solebant condere, illi jam omnia tentant sublimia. *Nugari solitos*, id est, qui Græce solebant versus scribere. *Lubinus.* Vel intelligit puerulos vix adhuc primas litteras doctos. Ea enim ætate Romani, puerorum studia a Græcis litteris auspicabantur. *Casaubon.*—*Nec, &c.*] Pueri cum primum rhetorum Scholam salutaverant, egressi e Grammatico ludo, exercebant stylum in descriptionibus ac narrationibus historicis. *Casaub.* Qui ne tantum quidem in arte Poëtica profecerunt, ut lucum recte possint describere, et rus saturum, et ubertate fructuum amœnum laudare. *Artifices ponere* est, non satis gnari et periti artifices ad ponendum. Turneb. IX. 31.—*Lucum*] Silvam aliquam amœnam et inceduam, alicui Numini consecratam. *Lubin.*

71 *Nec rus, &c.*] Scilicet sunt artifices. Id est, Qui ne possunt quidem rus omnis generis fructibus et lætis segetibus abundans, recte describere: quod tamen laudare cupientibus, futurum sit benigna materia.—*Ubi*] Id est, In quo rure sunt corbes, &c. Quæ a Varrone, et Columella describuntur. *Lubin.*

72 *Palilia, &c.*] Varro: Palilia tam privata quam publica sunt apud rusticos: ut congestis cum fœno stipulis, ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes. *Vet. Sch.*—*Et focus*] Scilicet luculentus, culina uncta.—*Et porci*] Species pro genere: omnis generis greges et armenta significat.—*Et fumosa, &c.*] Id est, In quo rure etiam sunt loca sacrificiis destinata, in quibus pastores publice et privatim 20. Aprilis die, quo Romulus olim urbem fundaverat, magnæ suæ Deæ Pali, festa *Palilia* dicta celebrabant, et illi liba sacrificabant. Eadem festa et dicta *Parilia*, quoniam pro partu pecoris eadem fiebant. Athenæus VIII. 16.—*Fumosa fæno*] Nam pyras ex stipulis et fœno exstructas incendebant, et p~~ excitatum fumum transiliebant, se hoc sacrificio expiari credentes, morbos depelli a se et a pecore, item lupos abigi. *Lubinus.* Quid aridius aut jejunius fingi potest, quam si cum institueris rus saturum laudare, circa corbes, focum, porcos, et fœnum immoreris? levia enim ista sunt ac nihil, præ Bacchi Cererisque muneribus, fructuum copia, gregibus atque armentis aliisque multis, in quibus sitæ sunt agrorum divitiæ ac suavitates. *Casaubonus.*

73 *Unde Remus*] Id est, Ex quo rure saturo Romulus, Remus, et alii auctores Romani generis sunt oriundi, et nati. Unde patres nostri ad imperium prodierunt, et illud virtute sua ampliarunt. Innuens priscos patres non mollicie et luxu vitæ, sed labore et virtute veram sibi gloriam comparasse.—*Sulcoque, &c.*] Id est, Ex quo jure olim summi Imperatores et Dictatores prodierunt, atque adeo tu, o Dictator Quinti Attili Cincinnatè, quem rure arantem, ad Dictaturam contra Samnites S P Q R. per lictorem in urbem vocavit, qui Consulem Romanum a Samnitibus obsessum obsidione liberavit. Vide Liv. l. III.—*Sulco, &c.*] Arans: nam inter arandum dentale vel lignum, cui vomer inducatur, continua aratione atteritur.—*Quinti*] Vocandi casus. *Lubin.*

74 *Quem, &c.*] Sudans enim et nudus rusticorum more arabat, cui ob id uxor Racilia trepida et rei novitate perculsa, e vicino tugurio propere vestem attulit, et virum suum Dictatorem jam a Senatu Romano delectum, induit.—*Trepida*] Festinans. Vel metu perculsa: utique cum legatos exponentes audisset, qui terror esset in exercitu: omnia enim trepidationis plena. *Casaub.*—*Ante boves*] Et prope aratrum quibus arabat. *Lubin.*

75 *Et tua, &c.*] Id est, Cum publicus minister a senatu missus, aratrum tuum domum humeris sublatum reportavit.—*Lictor*] A ligando, quod vel fasces virgarum ligarent et Consulibus præferrent; vel, quod quem Consules prehendi jussissent, prehenderent et ligarent.—*Euge*] Respexit ad superius illud adulatorum *Euge.* Quasi dicat: Ego etiam tibi adulabor, et tibi acclamabo, homo vanissime. Egregios vero Poëtas qui grandia et sublimia aggredi non erubescunt, cum ne hæc quidem tam minuta, tam pusilla recte explicare possint. *Idem.*

76 *Est nunc, &c.*] Aliud Poëticæ vanitatis argumentum a factis, quod affectent obsoleta et antiqua verba, et Poëtas vetustissimos et antiquitate squalentes, Accium, Pacuvium et alios imitentur et legant, spretis recentibus, et κακόζηλοι eorum vitia pro virtutibus æmularentur. *Lubin.*—*Brisæi*] Bacchici, et furentis, a Baccho, qui Brisæus dictus, quod Accius scripsit Bacchas Tragœdiam. *Farnab.*—

Briseï, &c.] Ita vetus lectio: non *Brisei*, neque *Acti* vel *Atti*. L. Accium veterem Poëtam tragicum Pacuvii ὁμόχρονον intelligit. Pro *Brisei* lego *Briseis:* notissimum fœminæ nomen ex Homero et aliis Poëtis: ejus casus tragœdiæ convenire nemo potest negare. *Briseis* igitur *liber venosus* et *Antiopa verrucosa*, duarum Tragœdiarum nomina sunt; quarum hanc Pacuvius composuerat, illam Accius: figurate vero omnia illorum scripta designabantur duabus illis vocibus.—*Venosus liber*] Turgens et sufflatus: Vel deformis, tuberosus, ut sunt homines macri et senes vieti quibus dedit longa ætas 'deformem pro cute pellem.' Istis enim venæ exstant, carne senio absumpta: *venosus* autem omnes membranæ non *nævosus*, ut suspicabatur Hadrianus Turnebus XXVIII. 26. lux et decus suæ ætatis. *Casaubonus.*

77 *Pacuviusque, &c.*] Poëta fuit Tragicus Brundusinus, maximus, antiquissimus, pictor etiam egregius, Ennii Poëtæ ex sorore nepos: Tragicorum omnium princeps apud Latinos. Pauca ejus restant fragmenta.—*Moretur*] Detineat, juvet, delectet.—*Verrucosa, &c.*] Tumida, tuberosa, aspera, horrida, et, ut supra dixit, venosa. Nam *Verruca* ut et tuber, inæqualitatem gignit. *Casaub.*

78 *Antiope*] De hac eximia Tragœdia inquit Cicero l. I. de Finib. initio: 'Quis Ennii Medeam et Pacuvii Antiopam contemnat et rejiciat?' Persius tamen illam ob nimiam duritiam parum probavit. Intelligit ergo Tragœdiam de Antiopa uxore Lyci regis Thebarum, qui eam a Jove sub specie Satyri compressam repudiavit, superinducta Dirce, a qua multis modis cruciata est Antiopa.—*Ærumnis cor, &c.*] Nempe cum a Dirce tot calamitatibus vexaretur, tot ærumnæ cor ejus cingebant et angebant, ut illis ipsis ærumnis et miseriis, cor fultum, nixum, et incumbens habere videretur. Et hic Persius de industria duras Pacuvii voces imitatus est.—*Cor fulta*] Synecdoche Grammatica.—*Luctificabile*] Miseriis et ærumnis cor luctuosum habens, miserabile, calamitosum, luctificum.—*Fulta*] Durissima metaph. Fulcimur enim rebus gratis et salutaribus. *Fulcire*, pro cingi et opprimi undique posuit. Turneb. XXVIII. 26.

79 *Hos pueris, &c.*] Id est, Cum videas lippos, senes, et cæcos patres, pueris filiis suis hosce monitus proponere et antiquitatem monendo et hortando commendare, et omnibus modis inculcare, nihil mirum est, quod magna sit confusio et miscella Latini sermonis.—*Hos monitus*] Verborum exhortationes intellige.—*Infundere*] Instillare, quasi cum materno lacte, et assiduo inculcare. *Lubin.*

80 *Quærisne, &c.*] Quasi dicat: Non est mirum si pueri corrumpantur, cum hæc a parentibus acceperint et didicerint.—*Unde, &c.*] Id est, Unde hæc confusio et mixtura obsoletorum et usitatorum in linguam et sermonem Latinum venerit? Ducta metaph. a sartagine, quod ut in illa patella variorum animalium carnes commixtæ friguntur et torrentur, ita nova et vetera, usitata et obsoleta passim ridicule et inepte conjunguntur. Vel, sumitur pro locutione confusa, aspera et odiosa instar strepitus sartaginis. *Farnab.* Turnebus XXVIII. 26. Alii legunt *farrago.*

81 *In linguas*] In communem hominum sermonem deveniret.—*Unde, &c.*] Illa ratio Latini sermonis fracta, effœminata et viro Romano indigna.—*Dedecus*] Loquendi corruptela.—*In quo, &c.*] Qua corrupta loquendi consuetudine Romani mirifice delectantur. *Lubin.*

82 *Trossulus*] Trossulum oppidum fuit Hetruriæ, non longe a Volscis. Hoc equites Romani sine peditibus expugnaverunt Numio quodam duce. Unde equites Romani Trossuli dicti sunt. *Vet. Sch.*—*Trossulus*] Ita dicti

Equites Romani qui sub regibus *Celeres*: deinde *Flexumines*; postea *Trossuli* dicti sunt, teste Plinio XXXIII. 2. quod scilicet sine peditibus, duce Numio, Trossulum Hetruriæ opidum non procul a Volscis expugnassent. Vel *Trossulus*, ut Nonius ait Torosus, bene habitus, et in cute curanda plus æquo operatus, cujus Deus venter, quasi Torosulus, a torosa et musculosa pinguedine. *Casaubonus* dicit, *Trossulos* vulgo vocari, qui cultu et toto vitæ genere cæteris præstare vellent.—*Exsultat*] Terram pede tundit, plaudit, vehementer delectatur. —*Tibi*] Vano nimirum Poëtæ, veterum sermone obsoleto utenti.—*Lævis*] Mollis, politus, delicatus, glaber. Irrisorie.—*Per, &c.*] Theatri scilicet vel etiam ædificii, in quibus Fabulas recitas. *Lubin.*—*Exultat, &c.*] Jactitat sese inter eruditos, ut cum in subselliis sedet, aut cum transit per subsellia, habita recitatione. Quid, si hoc accipias de auditoribus?—*Lævis*] Λεῖος, mollis ac τρυφερὸς, proprie, ὁ παρατετιλμένος, vulsus et resinatus. *Casaub.*

82 *Nilne pudet, &c.*] Obiter jam et quasi per parenthesin ad oratores et caussarum forensium actores et patronos progreditur, in quibus eandem vanitatem exagitat. Id est, Nonne te pudet, ubi de periculo capitis agitur, te non posse senem canum et miserabilem in judicio defendere, nisi verborum fumos tuis auditoribus vendas, et illas acclamationes *Euge, belle, recte, decenter*, tibi expetas atque exoptes?—*Capiti cano*] Ibi enim simplicibus verbis fletu et miseratione opus erat, nulla verborum et figurarum sollicita cura.—*Cano*] Vel, alieno cujus patronus es. Vel potius, tuo ipsius. Quasi dicat: Turpissimum est canos senes ejusmodi ineptias et nugas adhuc consectari. *Lub.* Vel vere *Cano*: quod auget πάθος: vel atrato et squallido reorum more: quæ etiam res canitiem solet accelerare. *Casaub.*—*Pericula*] Crimina objecta et pœnas. *Lubin.*

84 *Pellere*] Arcere, avertere, et profligare. *Lubin.*—*Quin, &c.*] Quin gloriæ tuæ servias, et id præcipua cura agas, ut plausum feras: quod institoris eloquentiæ proprium, non viri sapientis. Vocantur autem *tepida*, dicta mediocria, nec primæ notæ: ut sit *audire tepidum decenter*, velle laudari, vel medica landatione. Sensus hic erit: cum defendens reum capitis, carminibus suis infamem, sperare non possis eas acclamationes, quas mereri solet bonæ causæ disertus patronus: tu tamen adeo vecors es, ut ne sic quidem gloriolæ studium ponas: sed omni studio id conaris efficere, ut vel tepide landeris, si pleno ore non potes. *Casaub.* Est enim *decenter*, vox acclamantium, quam in capitalibus etiam sibi quærebant. *Tepidum*, inanes, minus validas, tepidas et frigidas et viles laudes. *Lubin.*

85 *Fur es, &c.*] Quod dixit, exemplo Pedii declarat, qui a Cyrenensibus furti et sacrilegii accusatus, hujusmodi malis artibus se defendit.—*Ait*] Adversarius accusator Cyrenensis. — *Pedius quid*] Id est, Pedius, ubi hujusmodi crimen sibi objectum, quid tum respondet, qua ratione se excusat, et defendit?—*Crimina, &c.*] Quasi dicat: Ille vero non directe ad crimen sibi objectum respondet, sed missis veris et solidis argumentis, quibus forte destituitur, solummodo verborum flosculis et lenociniis, figuris et Antithetis crimina sibi objecta librat, ponderat, et trutinat, et nescio qua circumitione a se removet. *Lubin.*—*Crimina, &c.*] Ad concinnitatem Periodorum est referendum, quibus includebat, objecta sibi crimina, ut videretur periodos appendere in bilance. Id est, Quadam moderatione, verba trutinat, ita ut numerum syllabarum, pedum, casuum, et omnia denique consideret, ne plus sit in uno quam in altero membro. Sperans se

his ornamentis simul et una opera et absolutionem et laudem consecuturum.—*Rasis*] Ingenti cura limatis, perpolitis summa industria. Est metaphora desumpta ab eborariis, et statuariis. *Casaub.*

86 *Librat, &c.*] Antitheta sunt hæc: 'Fortia neglecti velabant colla capilli: Et per neglecti volitabant colla capilli.' 'Aut quotiens umbra porrexi brachia mota: Aut quotiens umbra reduxi brachia mota.' Antitheta autem ista sunt, quæ contra se ponuntur: ut, hinc pudor, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: istinc fraudatio, illinc fides. *Vet. Sch.*—*Antithetis*] Id est, Figuris et contrapositis.—*Doctas*] Laudatur a circumstante corona, quod verborum flores et picturas orationi suæ docte inseruerit. Alii leg. *Doctus posuisse*, id est, Laudatur tanquam vir doctus in ponendo, vel ad ponendum. *Lubin.*

87 *Bellum hoc*] Verba auditorum, Pedii orationem impudentissime comprobantium, tanquam dicerent: Hoc Pedius belle dicit, hoc est pulcrum, hoc decorum.—*Hoc bellum*] Verba Persii cum indignatione et stomacho vultuose pronunciata. Quasi dicat: Estne hoc bellum? imo est longe turpissimum. *Lubin.*—*An Romule*] An adhuc vir es? minime vero, sed mollis et effeminatus. *Romulus* est quivis Romanorum: mollia facta dictaque, nec Romano nec masculi spiritus viro conveniunt. *Casaubon.* Quasi dicat: Adeone vos Romani nobiles a virtute et prudentia majorum vestrorum degenerastis, ut impudenti rabulæ et impostori, canum more adblandiamini?—*Ceves*] Est autem *cevere* proprium canum, clunes adulando agitantium. Inde etiam ad res venereas transfertur. *Lubin.*

88 *Men' moveat*] Quasi dicat: Mene ad misericordiam reus commoveat, si magnificis et sesquipedalibus verbis, ambitiosa oratione utatur, quem oporteret miserabili voce judicum commiserationem implorare? Nunquam profecto. Hinc Horat. inquit: 'Si vis me flere, dolendum Primum ipsi tibi.'—*Et cantet*] Quemadmodum naufragus si stipem a me emendicet, et vultu hilari atque læto cantet, nec nummulum quidem vel assem a me accipiet: ita nec reus, magnificis verbis si utatur, me ad misericordiam commovebit. Solebant autem naufragi naufragium suum depingi curare in tabella quadam, et illam humero portare, et obviis miserabili illa pictura et lamentabili voce ad stipem sibi erogandam et commiserationem impellere et commovere. Hanc tabulam pictam postea illi Deo suspendebant, cujus ope se naufragio liberatos credebant. *Lubin.*

89 *Cantas, &c.*] In eadem similitudine perseverat. Quasi dicat: Si reum videro tali verborum lenocinio se tuentem, perinde ad misericordiam movebor, atque si naufragum casus suos in tabula depictos circumferentem, cantare audirem.—*Pictum*] Nam ne sæpius in eroganda stipe suam calamitatem narrare cogerentur, naufragium suum in tabula aliqua depictum ex humero portabant. *Lubin.* Quia magis afficiunt quæ oculis, quam quæ auribus percipiuntur: ideo picturam adhibebant ad movendam misericordiam, non naufragi solum, quod multi testantur; sed etiam patroni quidam in foro. *Casaub.*

90 *Verum, &c.*] Id est, Qui me sua querela ad misericordiam commovere, et ad sublevandum lapsum, et humi dejectum incurvare et flectere velit: ille mihi non lamentabile aliquid nocte comparatum et excogitatum plorabit, nec elaborata, et præmeditata oratione, sed naturali, vivida, et simplici, suas mihi calamitates recitabit. *Idem.*

91 *Plorabit*] Lamentabili voce recitabit.—*Incurvasse*] Ad dejectum sublevandum et erigendum inflectere; id est, Movere ad misericordiam.

Est Metaph. ab eo qui dejectum ex misericordia sublevare nititur. *Idem.*

92 *Sed numeris*] Hunc versum profert is, qui tota hac Satyra vulgarium Poëtarum causam agit. *Casaubonus.* Est ergo aliud quoddam Poëticæ vanitatis argumentum, quod nimiam soni et concinnitatis verborum, nullam subjectæ sententiæ rationem habeant. Quod confirmat versibus aliquot ex Poëtarum sui temporis libris depromptis.—*Crudis*] Est Metaphora ab incoctis cibis, et immaturis fructibus. Intelligit autem versus temere effusos, nec matura meditatione satis decoctos. Quasi dicat: Immaturis, acerbis, ingratis, incultis.—*Numeris*] Id est, Versibus, qui certis numeris et mensuris constant.—*Decor*] Ornatus, Suavitas, et Dulcedo. Non τὸ πρέπον, sed τὸ κάλλος.—*Junctura*] Connexio et structuræ coagmentatio æquabilis. Turneb. XXVIII. 26.

93 *Claudere, &c.*] Id est, Egregius ille Poëta Romanus (Ironice sic loquitur) versum ita didicit concludere et absolvere. *Lubin.*—*Claudere, &c.*] Bene mones, inquit respondens Persius: sane enim præclare isti de Musis Romanis sunt meriti, qui non contenti solutam orationem corrupisse, etiam Poëtices sacra polluerunt, invento hoc genere novo versuum rhythmicorum. — *Berecynthius Attin*] Sic legendum est: quod pridem monuit Josephus Scaliger. *Casaub.* — *Berecynthius Atys*] Videntur ista citari ex Attine Neronis: de quo Dio. Verum hoc hemistichion, ut nimis molle, auctor noster ridet. Notat autem vanus ille quisquis fuit Poëta, fabulam de Aty puero Phrygio formosissimo, a Cybele vel Berecynthia adamato, qui ipsi Cybelæ fidem dederat, se nullam unquam aliam amaturum. Vide Ovid. Metam. l. x. Turneb. XXVIII. 26.

94 *Et qui, &c.*] Hic etiam versus turgidus et adfectatus. Notat autem fabulam de Arione, quomodo illum Delphin per mare ad littus transvexerit.—*Delphin*] Quos Musicis instrumentis lætari gravissimi auctores testantur.—*Dirimebat*] Pro transnabat, vel nando secabat cæruleum Nerea, vel mare. *Dirimere Nerea*, pro Natare in mari. *Lubinus.*

95 *Sic, &c.*] Omnia Epicorum carmina, ita fere sunt composita, ut proximus pes ab ultimo dactylus sit, exceptis admodum paucis, quos σπονδειάζοντας appellant, ut apud Cornelium Severum: 'Pinea frondosi coma murmurat Apennini.' *Vet. Sch.*—*Sic*] Poëtæ verbum est. Quasi dicat: Ejusdem farinæ et hic versus est.—*Costam*] Id est, Lateris partem Apennini montis avulsimus et excussimus, perque illam transitum nobis fecimus. Est autem Metaphora inepta et adfectata. Est autem *Apenninus* mons, qui mediam Italiam dividit. *Lubin.*

96 *Arma, &c.*] Respondet jam Persio turgidorum ille carminum admirator. Quasi dicat: Si tibi adeo turgida et vana videntur, quæso quid de illo Maronis carmine statues, cujus est hoc principium, 'Arma virumque cano:' nonne hoc quoque inflatum, horridum et scabrum?—*Arma virum*] Synecdoche partis pro toto. Ponitur hoc pro toto Poëmate.—*Nonne, &c.*] Id est, Vanum turgidumque, instar spumæ. *Lub.*—*Nonne, &c.*] Meminerit lector ejus quod ante monebamus, eum qui Persio contradicit, sic animi sui sensa eloqui, ut verbis tamen utatur ex mente Persii. *Casaub.*— *Cortice pingui*] Crasso, inornato, multa redundantia habens, crassa et minus elaborata. *Lubin.*

97 *Ut, &c.*] Hæc verba sunt Poëtæ Persii adversario, tanquam indigno cui serio aliquid dicat, respondentis. Quasi dicat: Tu recte judicas; versus ejus crassi sunt et pingues, ut annosum aliquod ramale, vægrandi subere, densissima cortice et crusta, calore solis coctum et exsiccatum.

Vel, ut Farnabius exponit: Est sane ramus vel arbor grandis corticis, sed cujus humorem decoxit ætas; id est, Sublime carmen et solidum est.—*Ramale vetus*] Id est, Annosus ramus arbore dejectus, qui non facile flectitur.—*Vægrandi*, *&c.*] Alii dicunt, quod particula *Væ* voci præfixa, significationem semper augeat et intendat, ut *væsanus*, *væpallidus*. Alii legunt, *prægrandi subere*.—*Subere*, *&c.*] Suber cortex arboris. Virgilius: 'Huic natam libro, et sylvestri subere clausam.' *Vet. Sch.* Suber, arbor glandifera, crasso admodum cortice, *Kork*.—*Coctum*] Id est, Calore solis exsiccatum. *Lubin.* Quicquid laudare vellent, *coctum* vocabant: ut contra quæ vituperabant, cruda. *Casaub.*

98 *Quidnam*, *&c.*] Quoniam ergo, o Persi, omnia vana, turgida, et ad rumores populi aucupandos, tibi comparata videntur: quidnam igitur tandem tenerum, molle, minusque asperum et tumidum? Quasi dicat: Age quidnam tandem est concinnum et tenerum et non tale carmen, quod pinguem corticem habeat?—*Laxa*, *&c.*] Id est, in quo pronunciando, utpote turgido et inflato, non *pulmo animæ prælargus anhelet*. Id est, Quod non sit turgidum, et non tam magnis laterum viribus et magna vocis contentione pronuncietur, sed laxa cervice, non nimis firma, contenta et rigida. *Lubin.*—*Laxa*, *&c.*] Alludit ad recitationes quæ fiebant de scripto. Qui molliter recitabant, etiam cervicem suo quodam et peculiari modo inflectebant: is quippe mos ac gestus delicatorum et τρυφήτων. *Casaub.*

99 *Torva*, *&c.*] Versus Neronis sunt.—*Mimalloneis*] Mimallones dicuntur ministri Liberi patris, ἀπὸ τῆς μιμήσεως. Calandrus Illyriorum Rex ad Macedoniam cum exercitu venit: Macedones cum parvum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis et thyrsis in modum Baccharum ornaverunt. Illi credentes exercitum adventare, discesserunt. *Vet. Sch.*—*Torva*, *&c.*] Respondet Persius per Ironiam. Quasi dicat: Tune hoc quæris? Nempe hoc divinum et omnibus numeris absolutum Poëma ex Neronis officina depromptum. Sunt autem sequentes versus insulsi, turgidi et affectati ex fabula Neronis *Niobe* dicta, deprompti. *Torva Cornua*, pro tibiis ingentibus et terribilibus, adfectate et inepte. *Torva*, pro torta.—*Implerunt*, *&c.*] Pro inflarunt. *Lubin.*—*Bombis*] Tubarum et instrumentorum sonos Latini *bombos* vocant, aliter quam Græci. *Casaub.*—*Mimalloneis bombis*] Pro sono Bacchico, quo tubas inflarunt. Sunt enim Mimallones Bacchi sacerdotes, a Mima Asiæ minoris monte, ubi Bacchus colebatur. Vide Strab. l. x.

100 *Et raptum*, *&c.*] Id est, Bacchi sacerdos, ipsa furiosa Baccha, ipsi Pentheo ab irato Baccho in vitulum transformato caput ablatura, ipsumque discerptura. Vocat autem Bacchum hoc loco *Bassaridem*.—*Raptum caput*] Id est, Caput Penthei a cervice violenter ablatum et revulsum.—*Vitulo superbo*] Id est, Pentheo a Baccho in vitulum transformato, quem furiosa mater vitulum ut Ovidius dicit, Aprum esse existimans, miserrime interemit.—*Superbo*] Eo dixit, nam superbe Liberi vel Bacchi sacra conviciabatur et contemnebat. *Lubin.* Atque hinc intelligimus Bacchas Neronis, ejusdem argumenti fuisse cum Bacchis Euripidis. *Casaub.*

101 *Bassaris*] Bassarides, Bacchæ: quibusdam videtur a genere vestis, qua Liber pater utitur, demissa ad talos, quam Thraces Bassarin. Quidam a vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur. Vulpes Thraces *Bassares* dicunt. *Vet. Sch.*—*Bassaris*] Agave mater Penthei. *Bassaris* vero est Bacchi ministra, dicta a *Bassareus*, quod nomen Bacchi est, a βάζειν, id est, vociferando. Alii, a pelle vel genere vestis qua induebantur

tur Bacchi sacerdotes. *Farnab.*—*Et lyncem, &c.*] Est descriptio alicujus Bacchæ. Hæc insana Bacchi sacerdos (*Mænas* enim dicitur *ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι*, furere) lyncem animal illud maculosum acutissimi visus, Bacchi currum vehentem, corymbis hederarum racemis flexura et currum rectura, illa *Euion* ingeminat. *Lubin.*—*Flexura, &c.*] Fingunt Poëtæ currum Bacchi a lyncibus trahi. Nere autem fecerat a lyncibus vehi Bacchas, tantaque facilitate animal ferum ab illis regi, ut pro frenis essent ipsis hederæ: nam *flexura* heic est *ἡνιοχήσουσα*, ut recte quidam sunt interpretati: corymbi *συνεκδοχικῶς* pro tota hedera, non enim *κυρίως* accipiendum. Hoc autem spectat eo, ut divino afflatu furere Bacchæ probarentur, non impulsu humano ferri: in quam sententiam multa apud Euripidem. *Casaub.*

102 *Euion, &c.*] Id est, Bacchum sublata voce sæpe inclamat. Bacchus *Evius* dicitur, vel quod in pugna contra Gigantes a Jove patre in leonem conversus, Rhœtum Gigantem discerpserit, ad quod factum pater gratulans dixerit *εὖ υἱὲ*, id est, euge fili; vel quod ibi occisus sit, et pater dixerit, hei *υἱὲ*, id est, hei mihi o fili.—*Reparabilis, &c.*] Id est, Tanta voce Bacchum sæpe inclamavit Bacchi illa sacerdos, currum regens, ut Echo vel concava convallium et montium, sonum reddiderint.—*Reparabilis*] Eo dicitur, quia voces proclamatas reparat, hoc est, iterat et repetit.—*Adsonat*] Id est, una sonat.—*Echo*] Hanc Ovid. Metam. lib. III. dicit virginem fuisse, a Junone vel ob garrulitatem, vel quod Junonem delusisset, in vocem mutatam. *Lubin.*

103 *Hæc, &c.*] Sunt hæc Persii verba, indignationis, exprobrationis et stomachi plena, quibus vanitatem illam Poëtarum vehementer alterius perstringit. Quasi dicat: Hæccine tam vana et flagitiosa a nobis fierent et scriberentur, si vel gutta paterni sanguinis, virilitatis, virtutis et sapientiæ in nobis esset reliqua?—*Pare ullæ*] Alii, *Ulla vena.* Id est, Si vel exiguæ reliquiæ, vel leve saltem vestigium, paternæ virilitatis et gravitatis in nobis superesset.—*Testiculi*] Obscœnior Metaphora, qua paternum sanguinem, virtutem et gravitatem intelligit. *Lubin.*

104 *Summa, &c.*] Hoc vanum et elumbe, nescio qua molli, tenera et liquata voce pronunciare conantur; et in summis labris, et summa saliva recitantibus natat.—*Delumbe*] Alias elumbe, molle, lascivum, minime virile. Intelligit talia carmina, qualia superius recitavit.—*Saliva*] Respicit ad superius *eliquat*. Lubin. *Elumbe hoc*, id est, delicatuli hujus Poësis. *Natat summa saliva in labris*; nullum habet solidæ eruditionis fundamentum; sed in extremis labris ex superficiaria doctrina quadam nascitur temere et sine arte. Vel hæc enervia non petuntur ex imo pectore, blæse tantum et tenere formantur in extremis labris et primore lingua, quæ saliva scatet. *Casaub. Farnab.*

105 *Hoc natat*] Hoc vanum nobilibus nostris semper in ore est. In lingua et labris verba effœminant molliter expressa, et in summa saliva natantia.—*Et in, &c.*] Semper in ore talia elumbia habetis, sive in summa saliva, quasi et in extremis labris, sive in pleno ore.—*In udo est Mænas, &c.*] Humida enim lingua, et multo humore et saliva scatens, non fortiter aliquid, sed molliter, teneriter, et enervate, pronunciat. Vel, Poëta in illos invehitur, qui nulla cura et industria Poëmata sua elaborant: quicquid scribunt, in udo tantum ore superficie linguæ natum videtur. Turneb. XXVIII. 26.

106 *Nec, &c.*] Versus temere effundunt, carmen vanum et elumbe, et nulla cura elaboratum, in quo condendo Poëta cogitabundus caput non

scabit, et *Pluteum*, vel librorum armarium præ ira, non succedente vena, cædit et pulsat, nec ungues cogitabundus arrodit. Sollicite autem meditantes aliquid, ungues arrodunt, caput scabunt. *Lubin.*

107 *Sed quid, &c.*] Sint hæc ita sane, quid ad te? tune solus contra ibis et irritabis nobiles, mordaci tua reprehendendi libertate offensos? *Farnab.*—*Quid opus*] Quasi dicat: Potes illa, licet vera sint, silentio præterire, ut alii faciunt, ne tibi damna crees.—*Teneras*] Salse tangit nimiam mollitiem principum Roman. quorum aures assuetæ blandis palpitationibus, aversabantur mordacem veritatem, ob quam teneræ aures magis indignarentur.—*Mordaci vero*] Veritas enim iniquos mordet, et odium parit.—*Radere*] Mordere, lacerare, Metaph. *Idem.*

108 *Vide sis, &c.*] Cave, Persi, ne a limine et sedibus patronorum tuorum excludaris, et sportulam, 100 quadrantes, dum illos mane salutas, non accipias. *De*, in *vide*, hoc loco corripitur, ut *cave* apud Horatium.—*Majorum*] Potentiorum et patronorum tuorum. *Lubin.*

109 *Limina, &c.*] Ædes non amplius frequententur, nec sportulam consequaris, et ita ad inopiam redigaris.—*Frigescant*] Sint clausa, ne excludaris e domo potentum amicorum, et amicitiæ tuæ renuncient. Sic *Culina frigida*, in qua nihil coquitur. *Lubin.* Vel, Ne quis potentiorum tibi mortem frigidam inferat; allusumque volunt ad illud Horatii Sat. II. 1. 'O puer, ut sis Vitalis metuo; majorum ne quis amicus Frigore te feriat:' nec male. *Farnab.*—*Vide, &c.*] Ne incipias potentibus ac Neroni imprimis odiosus esse. Refer ad quotidianarum salutationum morem: nam qui parum grati erant, durius tractabantur ab ostiariis et admissionum magistris. Hoc vocat Persius eleganter, *limina frigescere*, translatum a cibis pridianis et frigidis, qui minus placent. *Canina.*—*Sonat, &c.*] Quasi dicat: In Satyris tuis summa inest acrimonia et mordacitas: hic autem in nobilium domibus litera R frequenter sonat. Id est, Divites facile irritantur. Allegoria ab iratis canibus; R enim litera est irritati et hirrientis canis. *Lubin.*

110 *Per, &c.*] Concessio et permissio Ironica.—*Per me*] Quantum ad me spectat, attinet.—*Omnia*] Sive bona, sive mala, omnia laudabo.—*Protinus*] Nunc, nunc, alba, honesta, pulcra, laudabilia. *Album* enim pro bono, *nigrum* pro malo sæpius positum videas. Turneb. XXVIII. 35.

111 *Nil moror*] Nil impedio; concedam omnia honesta esse, omnia fieri tanquam proba.—*Euge, omnes, &c.*] Omnes res Romanorum egregiæ eritis, et optime vos habebitis. Assententia scoptice. Totum autem per Ironiam cum risu legendum. Nam tacite ipsum ridens, omnia mortalium vitia se notaturum significat. *Lubin.*

112 *Hoc juvat*] Hæc mea verba et hæc mea oratio te juvat et delectat, cum neminem reprehendo. Nam illa quæ displicent, non libenter audis.—*Hic inquis*] Prosopopœia vani Poëtæ sua carmina reprehendi vetantis.—*Hic*] In carminibus meis, quæ tanquam locus sacer, religiose colenda, et non contaminanda. Vel *veto*, quasi ad Neronem respicit, cujus erat vetare et imperare, ne quis mala reprehenderet. Nolo me quisquam vituperet, reprehendat. Similitudine ducta a locis consecratis, ubi ne quid obscœni fieret a pueris, duo dracones ad illos fugandos pingebantur.—*Oletum*] Stercus humanum, μίνθος. Id est, Alvum exoneret. *Lubin.*

113 *Pinge, &c.*] In vestibulo carminum tuorum, tanquam loco sacro, pinge duos dracones et adde interdictum, *pueri, sacer est locus, extra;* id est, Pinge aliquod signum, quo monear, a quibus mihi sit abstinendum;

vel si non vis carmina tua reprehendi, ea aliquo signo, ut a me cognoscantur, tibi notanda sunt.—*Pueri, &c.*] Apostrophe ad pueros per Ironiam; quasi dicat, Carmina nostrorum Poëtarum, religiosa sunt, et non tangenda.—*Extra Mejite*] Satyrice et obscœne. Sic ante dixit; *Veto quisquam faxit oletum.* Lubin.

114 *Discedo*] Tanquam e loco vetito: Neminem tango et vitupero. Quasi dicat: Quid hic agas, ubi si quid bene præcipias, nemo est qui obtemperet? —*Secuit*] Quasi dicat: Nam quo jure vel qua injuria id mihi non liceat, quod aliis ante me licuit? idque cum alii secuerint ante me, et lacerarint, et ego tantum leviter tangam?'—*Secuit*] Secuit linguæ flagellis. Arripuit, culpavit, laceravit, momordit. *Lubin.*—*Lucilius*] Demonstrat exemplo Lucilii et Horatii ex collatione parium, quod sibi etiam liceat.—*Urbem*] Mores Rom. urbis.

115 *Te Lupe*] Helluonem improbum et infamem, de cujus interitu et pœna Dii consilium habere introducuntur. Fuit dux primarius in Repub. Romana. —*Te Muti*] Est autem T. Mutius Albutius.—*Et, &c.*] Non levi morsu aut facili ictu illos pupugit, sed genuinum et omnium firmissimum dentem in illis mordendis et dilacerandis fregit; omnes irarum et indignationis habenas in illos effudit. Est autem genuinus dens, qui a genis dependet.—*In illis*] Notandum autem hoc loco ἀνακόλουθον. Dicendum erat, *in vobis.* Sed pro *illis* tamen, alios etiam a Mutio et Lupo possumus intelligere. *Lubin.*

116 *Omne, &c.*] Secundum exemplum ab Horatio, qui mira solertia vitia amicorum etiam perstrinxit, ut amici se reprehendi vix intelligant. —*Vafer*] Callidus et versutus. Quem tam tecte tangit, ut se tangi non animadvertat, ut quem serio quidem reprehendit, sed jocando. *Lubin.*—*Ridenti*] Non indignanti.

117 *Tangit, &c.*] Non rejectus, sed receptus. Et sic inter ridendum mordet, ac pungit. *Lubin.* Ὑπαλλαγὴ, Ludendo admittitur circum præcordia. *Casaub.*—*Præcordia*] Intima vitia intelligit. — *Circum, &c.*] Contraria alias videntur *ludere* et *præcordia tangere.* Sed hoc faciebat Horatius jocando et ridendo. 'Ridentem dicere vera, quid vetat?' *Lubin.*

11 *Callidus*] Doctus et ingeniosus artifex alios emuncto naso suspendere, et salse irridere et tecte, naso in iras et irrisiones non rugato. Vide supra vs. 40.—*Excusso*] Emuncto et terso. Emunctæ naris prudentes, ut mucosi stulti appellantur. — *Callidus suspendere*] Est Græcismus.—*Suspendere*] Ad Horatii istud respicit: 'Naso suspendere adunco.' *Lubin.*

119 *Men', &c.*] Mene leviter Romanorum vitia tangere, tantum scelus?—*Mutire*] Hiscere, submissa voce loqui, tantillum loqui.—*Nec, &c.*] Et illudne occulte mihi quidem facere licitum, quod alii palam impune fecerunt?—*Nec, &c.*] Ut illa vitia Romanorum in hunc librum, tanquam Midæ tonsor in scrobem vel fossam, turpitudinem heri sui Midæ clam insusurrem?—*Nec cum, &c.*] Midæ historiam tangit. *Vet. Sch.*—*Cum scrobe*] Ἀντίπτωσις, pro *in scrobe.* Casaubonus.—*Nusquam*] Verbum vel monitoris, quo monet, non tutum esse, ulla ratione Romanorum vitia perstringere. Vel etiam Persii interrogantis cum indignatione ob prohibitionem. *Lubin.*

120 *Hic, &c.*] Concludit se Satyram scripturum, quomodocunque eveniat. —*Hic*] Id est, In hoc carmine, sive hoc libro, non autem *in scrobe* ut ille tonsor. Ideo sequitur, *vidi, vidi ipse libelle.*—*Infodiam*] Id est, Consignabo, et huic chartæ credam; deinde eam occulam, ac quasi aggesta humo obruam. *Casaubonus.*—*Infodiam*] Notabo et perstringam Romanos principes, qui sunt corrupto judicio. Alludit enim adhuc ad Midæ fabulam.

Ponit, *libellum*, pro *scrobe*.—*Vidi, vidi ipse*] O libelle, ut Midæ servus dicebat scrobi. *Lubin.*

121 *Auriculas*] Hoc autem est quod superius per Aposiopesin obticuit, cum dixit: 'Nam Romæ quis non?' Scilicet habet auriculas asini. Id est, Quis non Romæ est corrupto et pravo judicio? Prius scripsisse dicitur: 'Auriculas Asini Mida rex habet.' Cornutus vero præceptor, ne Claudius et Nero Impp. in se dictum putarent, ita mutavit.—*Hoc, &c.*] Occultum et secretum libello meo do, et insero. *Lubin.*

122 *Hoc, &c.*] Quod solutiori risu insector, et reprehendo, quod nemo leget.—*Meum*] Quasi solius, quamvis alios lectores non morer.—*Tam nil*] Quamvis vile meum poëma nullos lectores sit habiturum, tamen illud meo certe judicio Accii Labeonis Iliadi antepono. Id est, Hasce meas nugas pluris æstimo, quam insulsam illam Attii Labeonis vel Neronis Iliada. *Idem.*—*Nulla, &c.*] Non tibi illud dem, si mihi Iliada Labeonis, aut Neronis Troicon tradas. Scripsit Nero Troicon. *Vet. Sch.*

123 *Audaci, &c.*] Hucusque Persii de scribenda Satyra consilium. Deinceps quem lectorem velit et nolit suarum Satyrarum, indicat ex dissimilibus. Non Polydamantem et Trojades, sed in veteribus Comicis Græcis versatum. Vult aliquem in Cratini, Eupolidis, Aristophanis carminibus versatum, non vitiosum, procacem et superbum.—*Adflate*] Imbute, quasi Enthusiasmo, suo quasi divino instinctu audax Cratinus mentem imbuit, et quasi adflavit.—*Afflate, &c.*] Pro, o tu, quicunque es afflatus Cratino: qui scilicet maxima veteris Comœdiæ libertate, Atheniensium vitia carpebat. Dicitur *afflatus Cratino*, is, qui Cratini fabularum lectione assidua fuerit affectus, et amorem virtutis inde conceperit. *Casaubonus.*

124 *Iratum, &c.*] Cogitandum cur Eupolidem vocet *iratum*, quem testantur veteres critici remissiorem et Cratino fuisse et Aristophane, jocis enim ac salibus abundasse, qui non conveniunt iratis. An *iratum* dixit pro tristi ac severo? quod epithetum commune est omnium qui vitia reprehendunt; an ad peculiarem aliquam illius fabulam respicit, cujus scriptionem susceperit iratus? *Casaubon.*—*Eupolidem*] Vitiis Atheniensium infensum et infestum. Periit pugna navali inter Lacedæmonios et Athenienses, cujus mors tantum luctum urbi attulit, ut publico edicto cautum sit, ne Poëtæ in posterum militare liceret.—*Prægrandi, &c.*] Aristophanem intelligit, qui jam ætate grandior Satyras scripsit: vel ad dicendi genus refer.—*Palles*] Diligenter evolvis, et studio nimio tibi pallorem et maciem contrahis. Vel, pallorem studio et assiduitate legendi Eupolidis comœdias contractum palles. Turneb. v. 3. in fine. et x. 1.

125 *Aspice*] Hasce meas Satyras quoque inspicere dignare, si quid limatius, politius, et longo studio et industria decoctum et maturum, et minime crudum, quod cum solertia illa Græcanica comparari queat.—*Decoctius*] Maturius; metaphora a fructibus. Id est, Elaboratum diligentius. *Lubin.*

126 *Inde, &c.*] Inde ex lectione Græcorum Satyricorum, lector, calefacta et quasi præparata aure, mea quoque carmina cum fervore et ardore audiat. Quasi dicat: Tepefacta et leviter calefacta aure, et quasi primum excitata inde ex lectione veterum comicorum.—*Vaporata*] Illorum scriptis accensa, vel potius purgata et præparata.—*Mihi, &c.*] Fervere enim negotium dicitur, quod urgetur diligenter: id est, Mihi sic frequens et studiosus cum fervore et ardore mea legat. Turneb. XXVIII. 26.

127 *Non, &c.*] Dixit quales lectores velit. Jam dicit quos nolit et respuat.

Et primo quidem indocti philosophorum irrisores. *Lubinus.* Persius *Crepidas* nominans, totum intelligit Græcorum studium φιλοκαλίας circa cultum. *Casaub.*—*Non hic*] Non illum scilicet lectorem volo, moror, aut requiro, qui est rudis et indoctus Sannio.—*Gestit*] Delectatur, Studet. *Lubinus.*

128 *Sordidus*] Vel ad avaritiam potest referri: vel ad nimiam cultus negligentiam. *Casaub.*—*Et, &c.*] Qui petulans et superbus naturæ vitia aliis objectat. Naturalia vero corporis vitia non sunt in aliis reprehendenda. Plato in Protag. commiseratione potius digna. Arist. Ethic. Nicom. III. 5. Casaubonus hic legit, *poscit.*

129 *Sese, &c.*] Id est, superbus, se quantivis precii virum ratus; eo quod in aliquo municipio Italiæ, Ædilitatis honore functus sit. *Lubin.*—*Supinus*] Arrogans, et animi vitium ipso gestu corporis palam faciens. Est genus hominum superbia inflatorum, qui ingrediuntur adeo erecto corpore, atque ὑψαύχενες, ut in cœlos oculi eorum ferantur, non multo secus ac resupinatorum. *Casaub.*

130 *Fregerit, &c.*] Ædilium enim erat vendentium rabiem coërcere, annonam curare, de mensura jus dicere, vasa minora frangere. Testatur idem Juvenalis, Sat. x. 'Et de mensura jus dicere, vasa minora Frangere, pannosus vacuis Ædilis Ulubris.'—*Heminas*] Ab ἥμισυ, eo quod dimidia pars sextarii; hic pro omni mensura. Turneb. XXIX. 20.—*Areti*] Oppidi in Tuscia. Alii legunt *Eretis*, quod Sabinorum oppidum. Stephano, Ἤρητος.

131 *Nec, &c.*] Id est, Qui humaniores artes contemnit, et studia Philosophiæ ridet, et Arithmeticorum numeros.—*Abaco*] Arithmeticorum tabula. Arithmeticos numeros et figuras Mathematicas intelligit.—*Secto, &c.*] Geometræ enim stylo in terra vel pulvere figuras Mathematicas depingere solent. Vel, quod pulvis ille numeris et figuris sectus, vel divisus sit. Hoc autem est extremæ dementiæ et impudentiæ, res per se laudatas deridere velle, artibus et philosophis illudere. *Lubin. Farnab.*

132 *Multum, &c.*] Qui nulla uberiore voluptate afficitur, quam cum videt procacem aliquam meretricem Philosopho procaciter illudere, et barbam vellere. *Idem.*

133 *Cynico*] Vivebat tum Demetrius Cynicus, cujus singularem ac stupendam virtutem dilaudat Seneca, et apud Arrianum Epictetus, in hujus honorem et similium, qui fuerunt omnibus seculis oppido pauci. Cynicus heic ἁπλῶς pro philosopho ponitur. In genere vero de Cynicis, quorum ea tempestate uberrimus erat proventus, male senserunt, non solum isti osores Græcarum disciplinarum, sed etiam e Græcis sapientissimi quique. Non enim vera virtute admirationem vulgi colligebant: sed vultus torvitatem et tristitiam ac dissentientem a cæteris habitum pessimis moribus atque impuræ obscœnitati prætendebant.—*Cynico*] Pro *Philosopho.* Hi Philosophi reliquis patientiores, et injuriarum contemtores.—*Barbam vellat*] Quia indolentiam ac vacuitatem affectuum profitebantur Stoici atque Cynici; propterea quum in publico conspiciebantur, quo specimen darent suæ virtutis, ab obviis varie irritabantur; alius eos sanna excipiebat, alius convitium dicebat, alius vestem trahebat, aut barbam vellebat, aut alio quovis modo molestus erat. *Casaubon.*—*Barbam, &c. vellat*] Id est, Extreme contemnat, turpiter illudat.—*Nonaria*] *Nonaria* dicta meretrix, quia apud veteres a nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione, illo irent adolescentes. *Vet. Sch.*—*Nonaria*] Sic dicta meretrix, quod hora nona in lupanari prostaret, ne mane omissa exercitatione, eo juvenes migrarent. Alludit hic ad Diogenem,

cui barbam vellebat Lais. Casaub.

184 *His, &c.*] Hos omnes virtutum et literarum insulsos contemtores repudio, et his mando, ut mane edictum prætoris ob æs alienum vel culpam audiant; post prandia autem vel horam nonam, famosam meretricem Callirhoën, et alias corporis voluptates concedo, et ab omni honesto exercitio et meis imprimis Satyris, quibus vita et mores emendantur, abstinere jubeo. *Lubin.*—*His mane*] Studia eorum exponit, quibus Satyrarum suarum lectione interdicebat: ait istos duo solum curasse: forum, propter avaritiam: et lupanaria, amore voluptatis. Hæc igitur studia se illis relinquere sine invidia satyrice ostendit. *Do*, valet, mando: quod apparet ex Horatio: 'Forum putealque Libonis Mandabo siccis.' Edictum intellige prætoris; et ab una specie jurisdictionis cæteras omnes cape. Mane autem judicia exercebant et sicci. *Calirrhoës* voce hic (nomen id scorti quondam celeberrimi) universa voluptuariorum studia atque occupationes συνεκδοχικῶς intelliguntur. *Casaubon.*

SATIRA II.

Hac Satyra secunda Persius amicum suum Plotium Macrinum virum doctissimum et integerrimum hortatur, ut genio indulgeat et sacrificet, quod natalis dies sit, et ut frugaliter illud faciat, quod non ut principes Romani, impia vota faciat, nec opus habeat ut magnis sacrificiorum impensis Deos corrumpat. Inscribitur autem De bona mente, et desumta est ex Platonis Alcibiade, quæ impia et scelerata hominum vota damnat.

1 *Hunc Macrine, &c.*] Alloquitur Plotium Macrinum, hominem sane eruditum, et paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat, indulto sibi pretio aliquanto. *Vet. Sch.*—*Hunc diem*] Natalem scilicet tuum. *Numera, &c.*] Inter dies vitæ tuæ lætissimos habe, et candidiore calculo numera. Ex Cretensium vel Thracum more loquitur, qui dies lætos albo, tristes nigro lapillo, in cistam conjecto indicabant. Postea computatione facta videbant, quot dies anni lætos habuissent, et eis se tantum vixisse putabant. — *Meliore*] Candidiore. Veteres enim omnia alba bona censebant. *Lubinus.* *Numerare* ergo *albo lapillo*, locutio παροιμιώδης, ad cujuscunque gaudii significationem. *Casaub.*

2 *Qui, &c.*] Qui natalis dies candidus, felix, et auspicatus tuæ vitæ annos labentes et fugaces addit tibi et adponit; id est, Annum præteritum claudendo tibi reliquis superioribus adjungit. *Lub.*—*Labentes*] Pro *lapsis*: nisi eo respicit, quod sæpe inchoatus annus pro absoluto numeratur: cum xx. annos natum dicimus eum, qui agat vigesimum. *Casaub.*—*Candidus*] Albus et felix.—*Adponit*] Dum videlicet novos inchoat et præteritos claudit, et sequentes præcedentibus adjungit. *Lubin.*

3 *Funde, &c.*] Emphatice, vinum tantum, non hecatombas adfer; sacrifica tantum vino, non mactata hostia.

Abunde hoc explicat *Censorinus*, quem lege.—*Genio*] Qui Deus, ut Varro, vim habet rerum gignendarum, et cui Natali die sacrificabant, utpote cum ejus beneficio essent olim geniti. Turneb. xvi. 19. et xxvi. 14.—*Non tu*] Id est, Tu illa a Diis petis, quæ etiam sine sacrificio tibi donarint Quasi dicat: Quia animus purus est, absque sacrificii dispendio valebunt tuæ preces. Est ergo ratio, quod vino tantum sacrificare debet; quia iniqua a Diis non petat, nec opus habeat, ut votis et sacrificiis ingentibus, Deorum obsequium sibi emat, et Deos muneribus corrumpat.—*Prece emaci*] Opima hostia, sumtuoso sacro. Metaphora a rebus, quæ precio comparantur.—*Poscis*] Tanquam tibi debitum efflagitas. *Lubin.*

4 *Seductis*] Diis dono corruptis, jam ante tuis muneribus et sacrificiorum impensis corruptis. *Lubin.* Hoc est, Turpia vota non facies, et ejusmodi quæ palam non possis nuncupare et voce alta. *Casaub.* Vel *seductis*, in secretum quasi locum paululum a turba seductis, cum nolis arcana scelera tuorum votorum ab aliis cognosci et audiri.—*Committere*] Concredere, aperire. *Lubin.*

5 *At bona pars*] Magna. Carpit nobiles per Antithesin ipsius Macrini. Id est, Contra omnes nobiles Romani impia ad Deum vota concipiunt, quia tacita acerra libant, et submissa voce Deum orant, ut iniqua eorum petitio non audiatur.—*Tacita, &c.*] Metonymia, pro voto tacite et submissa voce facto, quod cum fiebat, in acerra vel thuris arcula thus incendebatur. Casaubonus *Libabit* legit; id est, libare solet, leviter degustare, et attingere. *Lubin.*

6 *Haud, &c.*] Quæ deinde vota alia dissimilitudine declarat, quod honesta vota elata, impia vero vota submissa voce conciperentur.—*Murmurque*] Impiorum votorum et precum. A Diis enim petunt, quæ homines nescire volunt.—*Humiles susurros*] Suppressos, submissos, cum juxta Horatium: 'Labra movent metuentes audiri.' *Idem.*

7 *Tollere, &c.*] E suis votis, et precibus in templis factis, eximere, demere.—*Et, &c.*] Ita vivere, ut preces tuæ et vota omnibus nota et aperta sint. *Lubin.* Vel, Nullum votum facere quod nolis esse apertum. *Casaub.*

8 *Mens bona*] Honesta enim clara voce a Deo petebant, impia contra submissa. *Mens bona*] Deest autem *utinam contingat mihi*, vel simile quid. Sic Juvenalis Sat. x. 'Orandum est; ut sit mens sana in corpore sano.' *Fides*] Quæ justitiæ fundamentum, et sine qua nihil constans in mortalibus.—*Hæc clare*] Ut quivis astans audire possit.—*Hospes*] Omnis præteriens. *Lubin.*

9 *Illa, &c.*] Contra mala et perniciosa vota.—*Sibi*] Quorum neminem conscium velit, nisi se et Deum. Censebant enim stulti homines ipsos Deos, ut pravos judices muneribus corrumpi.—*Sibi*] Vel, tanquam sibi hæc dicant, cum Dii illa impia non sint audituri.—*Introrsum*] Inter dentes et sub lingua immurmurat.—*Sub lingua*] Ut extra os non prodeat. Græci ὑπὸ ὀδόντα dicere amant, non ὑπὸ γλῶσσαν. *Casaub.*

10 *O si, &c.*] Ita membranæ Puteani et aliæ, non *ebullet*, pro ebullierit, ἀρχαικῶς, ut *axim*, pro egerim. *Casaub.*—*Si*] Id est, utinam. Horat. 'Angulus o si Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.'—*Ebullit*] *Bullare* aquarum est, cum in bullas insurgunt, et ebullare, cum illæ pereunt, ut ita patruus in modum bullæ evanescat, ad bullæ similitudinem exeat vel exspiret, vel ut patruum funus repente se prodat tanquam bulla. Est autem votum avari, ut patruus moriatur. *Lubin.* Porro *Ebullire*, quod proprie in aqua fervente locum habet, ad omnia repentina transferri eleganter solet, varie constructum.—*Præclarum*

funus] Hic de morte patrui vota faciens, benevolum tamen animum ostendit, cum defuncto pollicetur præclarum funus, hoc est, magnum funeris atque exequiarum apparatum. *Casaubon.* Vel *præclarum*, quia præclaram dat hæreditatem. Turneb. XXVI. 14.—*Et o si*] Secundum votum avari, ut thesaurum inter arandum inveniat.—*Seria, &c.*] Oblongum fictile vas, argento plenum, et in terra defossum. *Lubin.*

11 *Sub, &c.*] Inter arandum exoptatissimum mihi sonum edat.—*Dextro*] Hercule favente et propitio, ut omnia dextra felicia, sinistra et læva inauspicata. *Lubin.* *Dextro* hic κοινῶς positum pro βοηθοῦντος. ἕρμαιον Græci vocant lucrum præter spem oblatum atque inventum. *Casaub.*

12 *Hercule*] Opertorum thesaurorum præside vel πλουτοδότῃ, cui eo nomine decimæ penduntur. *Farnab.* —*Pupillumve, &c.*] Tertium votum avari, ut pupillus moriatur: utinam pupillus, cui hæres proximus in secunda cera constitutus sum, moriatur, et expunctus, locum proximo mihi succedenti relinquat. *Lubin.*—*Proximus, &c.*] Tractum a militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras a militia emittuntur. Item metaphora a bello, in quo, cadente qui primus est, succenturiatur alius. *Vet. Sch.*

13 *Impello, &c.*] *Impello* dicit, quia quæ obstant, impellimus, ut removeamus.—*Expungam*] Per mortem extrudam et amoveam. Vel etiam deleam illum e tabula, ut cum ille in hæreditate primus sit, ei mortuo et expuncto proximus succedam. Id est, Ut ita illum Testamenti tabulis expungam, ut miles ex bello expungitur.—*Namque, &c.*] Ratio voti ex adjuncta facilitate; quod facile mori possit, cum natura valetudinarius sit, scabie obsitus, et bile suffusus et tumidus. *Lubin.* Omnia enim quæ vituperabant, scabiosa dicebant. *Casaubon.*—*Acri*] Vehementi et accensa. Turneb. VI. 25. et XXVI. 14.

14 *Nerio, &c.*] Nerius morte conjugum locupletatur, fœnerator est factus notissimus: de quo Horatius: 'Scribe decem Nerio.' Dos enim a cive Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non intervenerit, post mortem uxoris ad maritum pertinet. *Vet. Sch.*—*Nerio, &c.*] Quartum votum avari, ut uxore mortua, alia cum nova dote ducatur, et ita conjugum dotibus locupletetur. Quasi dicat: Nerius ille fœnerator adeo felix, ut jam tertiam uxorem ad sepulturam efferat, et retentis earum dotibus dives et opulentus evaserit. —*Conditur*] Sepelitur, effertur ad rogum. *Ducitur* alias legitur, eodem fere sensu. *Lubin.*

15 *Hæc, &c.*] Verba Poëtæ stulta avarorum vota irridentis. Quod impii etiam sancte petere studeant.—*Sancte*] Rite et legibus ac ceremoniis observatis, quibus cautum ne hesterna Venere inquinati Deos adirent, sed prius mane pure lavarent, idque vivo flumine.—*Tiberino in, &c.*] In Tiberi flumine bis terve caput tuum abluis. *Idem.*

16 *Et, &c.*] Nocturnum concubitum, illecebras Veneris, sordes e nocturna Venere contractas, purgas.—*Bis*] Binarius numerus olim in sacrificiis usurpatus.—*Terque*] Qui numerus perfectus, quo impare Deus gaudet. *Lubin.*

17 *Heus, &c.*] Apostrophe ad avarum, quem jam ad sibi respondendum invitat ex adjunctis, quod id quod rogaturus sit, exiguum sit. *Heus* impie, stolide, flagitiose.—*Minimum*] Quasi dicat: Non diu te interrogando detinebo; parvum est, quod a te scire expeto. Alii legunt, *nimium est*, Idem.

18 *De, &c.*] Dialogismus Poëtæ cum avaro, ubi docet impia hominum vota Diis ingrata esse. *Lubin.*—*Estne, &c.*] Pro *præponas*. Et distinguendum post vocem *hunc*. Nondum Per-

sius sensum absolverat, cum volentem sciscitari ab isto, an non Jovem quovis judice humano putaret justiorem, antevertit petitione sua iste, et ait *cuinam?* quasi stupefactus novitate hujus interrogationis excipit vero Persius, *cuinam? Casaubon.*

19 *Vis, &c.*] Staius tutor pupillarius fuit: Gutta et Albus, et cæteri præpositi, fuerunt judices: qui in Juniano judicio corrupti, Oppianicum damnaverunt. *Vet. Sch.*—*Vis Staio*] Quasi dicat, quæris cui hominum Jovem anteponendum censeam? possem dicere nullum; sed dico quod negare non potes, Jovem Staio saltem præstare. *Casaub.* Fuit autem hic Staius Albius Oppianicus, qui veneficiis Oppianicum fratrem et uxorem Cluentiam ejus gravidam, appropinquante partu sustulit. Contra quem Cic. pro Cluentio. *Lubin.*—*An scilicet*] Hæc ita uno spiritu continuanda, sublata interrogationis nota, quæ vulgo ponitur post *heres.* Scilicet, inquit, dubitare aliquis potest, hoc est, omnino dubitare nemo potest, quin melior sit futurus judex, quam Staius. *Casaubon.* Ei apud se deliberanti, ecquid Jovem etiam Staio vellet præponere, ob id indignatur Poëta. Quasi dicat: An dubitas adhuc, quis inter Jovem et Staium potior et justior judex sit, et pueris orbis, vel pupillis aptior, vel utilior tutor futurus sit? *Lubin.*

20 *Quis, &c.*] Ad scelera Staii respicit. Quasi dicat: Cui dubium, quin Staius omnium judicum et tutorum sit perditissimus, Jupiter vero optimus ac immenso intervallo hic illi præferendus? *Idem.*

21 *Hoc igitur, &c.*] Si ergo illa vota etiam sceleratis ingrata sunt, quo magis Jovi?—*Impellere*] Inducere, persuadere, vel urgere. *Idem.*

22 *Dic, &c.*] Id est, Age illa, quæ Jovi inter precandum dicis, dic illa et committe auribus Staii, vel pete a Staio.—*Pro, &c.*] Id est, Staius plenus iræ, furoris et indignationis, inclamabit Jovem. Quasi dicat: O Jupiter! audis hæc et non fulminas? *Lubin.*

23 *Jupiter, &c.*] Vis hic imparium majorum latet. Ergo multo magis Deus ipse inclamabit, ira et indignatione motus. Alii pro *at*, *ad* legunt. *Lubin.*

24 *Ignovisse, &c.*] Respondet objectioni tacitæ, Quod Deum non commoveat. Nam si commoveretur ejusmodi votis, fulmine statim aliquem percuteret. Valer. 'Lento quidem gradu, ad vindictam divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat.' *Lubin.* Et hi duo versus sine interrogatione melius scribuntur: ut pronuntientur a Persio ἁπλῶς, narrante hanc vulgi stultitiam. *Casaubon.*—*Ilex*] Species durissimæ quercus, alta et grandis; ob id fulminari talia solent. *Lubin.*

25 *Sulphure, &c.*] Sulphur enim adjunctum fulminis, sulphur redolentis. Tum *fulmen* ignem sacrum vocabant. *Idem.*

26 *An quia, &c.*] In usu fuit, ut augures, vel aruspices adducti de Etruria, certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cujus impetratione rei oves immolabantur. *Vet. Sch.*—*An quia, &c.*] Ad secundam prolepsin respondet. Quamvis non fulmine percussus in luco jaceas, tamen Jovem non debes irridere.—*Fibris*] Extis et intestinis ovium, quibus expiaris.—*Ovium*] Quia his mitioribus citius putabant iram Deorum mitigari. *Lubin.*—*Fibris, &c.*] Ἓν διὰ δυοῖν. Neque enim duo sunt consultores Ergenna et fibræ ovium, sed consultis mactatarum ovium fibris, quid opus sit docet Ergenna. *Casaub.*—*Ergennaque*] Ergennas enim nomen proprium Sacerdotis fulgurum conditoris, Aruspicis Hetrusci.—*Jubente*] Tanquam ille juberet, locum illum non tangendum esse. *Lubin.*

27 *Bidental*] Locus sacro percussus

mine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est. *Vet. Sch.*

Triste, &c.] Triste bidental, eo quod letho tuo alii reddebantur tristes. *Bidental* dicitur quicquid fulmine percussum binis bidentibus vel ovibus expiandum est: illud hoc loco pro homine fulminato ponitur. Locum autem fulmine tactum solebant claudere et sepire. Vel *triste*, Mali ominis.—*Lucis*] In Lucos enim parum castos fulmina mittere censebatur Juppiter.—*Evitandumque*] Declinandum, non calcandum pedibus, quia locum fulmine tactum calcare nefas; quem et procurator claudebat, qui sepiebatur a Sacerdote, et collecta fulminis fragmenta sub terram condebantur. Turnebus XXVI. 14.

28 *Idcirco, &c.*] An ideo te Jovem ludificaturum existimas? Alludit ad Dionysium, qui auream Æsculapio barbam detraxit.—*Vellere barbam*] De hoc in calce Sat. 1. *Lubin.*

29 *Aut, &c.*] Tertia prolepsis. Occurrit rursus tacitæ objectioni, ergo Deos maximis sacrificiorum impensis ita mihi devinxi, ut mihi non solum irasci non possint, sed aures etiam præbere oranti cogantur.—*Quidnam, &c.*] Quidnam est quod tantum munus a te offerri potest, cujus confidentia illud audeas petere? *Lubin.*

30 *Emeris, &c.*] Mercede data redemeris et conduxeris, ut quasi ob mercedem, suas tibi aures porrigere cogantur.—*Pulmone, &c.*] An illud opimis victimis, et pinguibus pecudum visceribus fecisti? Ironia.—*Lactes*] Intestina pinguia, vel membrana, quibus illa cohærent, alias *ilia* dicuntur. *Idem.*

31 *Ecce, &c.*] Hactenus avarorum vota Satyrica mordacitate sectatus, eadem nunc festivitate muliercularum pro liberis et nepotibus suis vota precesque superstitiosas et impias perstringit, ludit, et exagitat. Orabant autem illæ non virtutem et probitatem, sed vitiorum fomenta.—*Metuens*] Superstitiosa. Omnis autem superstitio Deum metuit. Pulchra est hæc diei lustrici hypotyposis, qui puellarum octavus est, puerorum nonus; quo die puerum lustrabant, votis pro eo conceptis et nomine illi indito, unde et *Nominalis* dictus. *Farnab.*—*Matertera*] Μητραδελφή· Matris soror, quasi mater altera. *Lubin.*—*Cunis, &c.*] Ut præsens sisteretur ad sacra, quæ pro ipsius salute, tum aliis Diis Deabusque fiebant, tum etiam Deæ Cuninæ. *Casaubon.*

32 *Frontemque, &c.*] Exprimit jam superstitiosos illos ritus, quibus vetulæ in precibus et lustrationibus suis super nepotes et natos utebantur; nempe, licio varii coloris cervicem illorum ungebant, postea turbatum sputo pulverem medio digito tollebant, et eorum frontem ac labella signabant.—*Uda*] Uvida et humida labella. Nam pueris edentulis continuo saliva fluit. *Lubin.*

33 *Infami, &c.*] Id est, medio, impudico: cur infamis vocetur in Juvenale Sat. X. vs. 53. exposuimus. Turneb. XXVI. 6.—*Lustralibus, &c.*] Quod illis puerum lustret, et expiet, ut ita veneficia et fascina prohibeat et impediat. Salivæ enim vim quandam mirificam inesse existimabant, ut fuse docet Plin. XXVIII. 4.—*Ante*] Scilicet quam orare incipiat. *Lubin.*

34 *Expiat*] Purgat, tingit, inficit. —*Urentes, &c.*] Id est, Quæ noxios, pestilentes et virulentos oculos ejusmodi expiatione perite impedire novit, et avertere. *Idem.*

35 *Tunc, &c.*] Ulterius ridiculas illas superstitiones et ineptias persequitur; postquam depulit mala, jam bona precatur, varie agitatis manibus more religiosorum; illas quæ sequuntur preces, ore concipit. *Lubin.*—*Quatit*] Expiatio præcedit preces; hæ jam sequuntur: cum autem pro infantibus vota faciebant, manibus quatere eos solebant, quasi præsenti-

bus Diis illos ostenderent. *Casaub.*—*Et, &c.*] Id est, Spem de puero exilem, dubiam et fallacem. Suppliciter igitur orat, ut dives evadat, ut Licinius vel Crassus.—*Spem, &c.*] Alii per Metonymiam spem pro puero explicant, non male. *Lubin.*

36 *Nunc, &c.*] Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus, ideo dives cognominatus. Alii volunt Licinium tonsorem ac libertum Augusti Cæsaris significari prædivitem: cujus monimentum est pretiosi operis via Salaria prope urbem, ad lapidem secundum. De hoc non invenustum Varronis Epigramma fertur: 'Marmoreo Licinus tumulo jacet: at Cato parvo: Pompejus nullo. Quis putet esse Deos?' *Vet. Sch.*—*Nunc, &c.*] Votum pro divitiis. Latini scriptores ad exemplum ditissimorum, Licinium et Crassum nominant, ut et hic Persius. Per *Campos Licinii*, vetustum intelligit Licinium Stolonem, qui ob possessa cum filio agri jugera clɔ damnatus est: sicut per *ædes Crassi* opes denotantur illius Crassi, quem testatur in vita Plutarchus, crebris domorum emptionibus ac venditionibus, ingentes quæsivisse sibi opes. *Casaub.*—*Crassi*] Alii *Cræsi*. De Marco Crasso divite intelligendum. Alii Licinium Crassum intelligunt, qui negavit quenquam esse divitem, nisi qui integrum exercitum per annum suis sumtibus possit alere, ut sit figura ἓν διὰ δυοῖν. *Lubin.*

37 *Hunc, &c.*] Vota muliercularum et vetularum pro liberis et nepotibus suis stulta et ridicula, ut gratus et formosus evadat, adeo ut reges etiam ejus affinitatem certatim ambiant.—*Puellæ*] De illo litigent et contendant. *Lubin.*

38 *Rapiant*] Propter pulcritudinem et gratiam, ut Ganymedi et Boreæ contigit.—*Quicquid calcaverit*] Adeo omnia desideria et Charites eum comitentur, ut ubi vel pedem fixerit, continuo inde violæ et rosæ enascantur. Est hyperbolicum votum cum proverbio, quo extrema felicitas significatur. *Idem.*

39 *Ast, &c.*] Apostrophe et appellatio ad Jovem indignationis plena, qua delira hujusmodi vota rata non esse debere docet ex dissimilibus. *Lubin.* Eo significans, non nisi sapientissimos viros orandi scientiam tenere. *Casaub.*—*Negato, &c.*] Præsertim cum bona non petat, sed cum illius εὐχαὶ ἄραι, vel cum non sint preces, sed imprecationes et diræ. *Lubin.*—*Non mando*] Verbo usus est aruspicum, cum eis dicitur: 'Mando tibi, ut maximum Jovem audias.' Ut quemadmodum procurationis assertio fit, ita fiat et in sacris, et in prece. *Vet. Sch.*

40 *Quamvis, &c.*] Quamvis vel maxime religiosa et solicita, more sacrificantium candidis vestibus opem tuam implorarit. Prisci in sacrificiis candida veste utebantur. *Lubin.*

41 *Poscis, &c.*] Reprehendit huc usque impia hominum vota et illicita. Exagitat jam stulta vota Romanorum, qui sua intemperantia votis officiant, qui bonam valetudinem, robur et longam vitam a Diis petebant, quam nimiis epulis sibi ipsi tollebant. Quasi dicat: Quomodo potest illud Deus dare, quod tu per summam luxuriam prodigis?—*Opem*] Auxilium, robur et firmitudinem corporis.—*Nervis*] Membris, quibus vis et robur corporis continetur; inde νευροῦσθαι pro firmari.—*Corpusque, &c.*] Bonam valetudinem, quæ ne in senectute quidem te deserat; id est, vitam longævam. *Idem.*

42 *Esto, age*] Permissio et concessio. Quasi dicat: Non improbo bona, quæ tu quidem jam petis. Nam 'Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.'—*Sed, &c.*] Quasi dicat: Ut vel maxime tibi velint hæc bona Dei boni largiri, et tuas preces exaudire, quomodo possunt, cum tu bonam valetudinem, quam oras, gula et cra-

pula corrumpas?—*Grandes*, *&c.*] Quibus vires corporis non reficiuntur, sed opprimuntur variis opsoniis plenæ.—*Patinæ*] Metonymia Continentis pro Contento, id est, ipsæ dapes regales et nimiæ. Turneb. I. 18.—*Tuccetaque crassa*] Tuceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita, ac macerata: et ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem jure condita servari, aut assaturarum jura. Hinc Plotius Virgilii amicus in eadem regione nominatus est Tucca. *Vet. Sch.*—*Tuccetaque*] Escæ regiæ, ut ait Fulgentius, genus farciminis, e carnibus suillis minutim concisis.—*Crassa*] Pinguia, copiosa. *Lubin.*

43 *Annuere*, *&c.*] Quia tu contraria optas, et contraria facis, lubentes Deos et vota tua exauditoros, impediunt, quo minus illis, quæ petiisti, successum largiantur. *Idem.*

44 *Rem*, *&c.*] Transit jam ad illos, qui multis hostiis cæsis divitias exoptabant, quos ejusdem stultitiæ damnat, qui mactatione et profusione pecudum, sperabant pecudes suas augeri.—*Rem*] Familiarem, pro opibus et divitiis posuit, ut Græci πρᾶγμα.—*Struere*] Augere, coacervare, amplificare.—*Cæso bove*] Notabilis contrarietas. Divitias exoptant, sacrificiis patrimonia dilapidant.—*Mercuriumque*] Illum Deum, qui rebus augendis et lucro præesse creditur, fibris et intestinis victimarum, *arcessis;* in auxilium vocas et imploras. *Lubin.* Ut multus tibi quæstus obveniat, vel ex mercimoniis, aut nescio unde ex inopinato. *Casaub.*

45 *Arcessis*, *&c.*] *Fibra*, pro extis et intestinis.—*Da*, *&c.*] Prosopopœia rustici, felicitatem a Mercurio precantis. Id est, Concede ut Penates vel Dii domestici res, fortunas, et facultates meas secundent, et prosperent. Id est, Da, ut Penates me fortunatum faciant. *Lubin.*

46 *Da*, *&c.*] Id est, Da pecus numerosum, copiosum, et fœcundum.—*Quo*, *&c.*] Vehemens Persii in rusticum objurgatio, ex repugnantibus. Quasi dicat: Visne illa amplificari quæ tu ipse minuis? Id est, Qui fieri potest ut grex augeatur, cum tu indies illum imminuere et atterere tuis immodicis sacrificiis studeas? — *Pessime*] Sic Græci σχέτλιε. *Idem.*

47 *Tot*, *&c.*] In flammis inter sacrificandum.—*Junicum*] Junices bobus minores, et vitulis majores, juvencæ teneræ.—*Omenta*] Synecdoche partis intestinorum pro ipsis intestinis et extis, quæ in sacrificiis aræ imposita cremabantur. Veterum in sacrificiis consuetudo erat, ut quas hostiæ partes adolerent, eas omento et adipe operirent, ut facilius arderent, pinguedine ignem alente.—*Liquescant*] Consumantur ignis calore. Turneb. VII. 23.

48 *At tamen*, *&c.*] Quamvis insanis his sacrificiis videat numerum pecudum quotidie decrescere, tamen in insania sua perseverat, et sperat se voti tandem compotem futurum; et tamdiu sperat, et hostias cædit, donec tandem totum gregem suum penitus exhauserit.—*Extis*] Boum, junicum, ovium et victimarum intestinis.—*Ferto*] Sic legendum, non *farto*. Hujus meminit Cato de re rust. c. 134. Sed Persius ἁπλῶς pro re Diis oblata heic accipit, non pro libo. *Casaub.* Sed, ut Cato inquit, veteres, struem farris, tritici, fabæ, seminis rapacei, thure et vino additis ante messem parabant in porcæ præcidaneæ immolationem, et Jano, Jovi et Junoni sacrificabant, quæ diversarum rerum congeries *fartum* dicebatur. *Cornutus* dicit esse genus panis vel libi, quod Diis infertur a Pontificibus in sacrificio: dictum a ferendo.—*Vincere*] Deum superare, et sibi obsequentem reddere, vel ad finem perducere, vel illas difficultates superare. *Lubin.*

49 *Jam*, *&c.*] Satis lepide naturam hominis cupidi exprimit, et simul in-

sani: qui censebat res tum maxime crescere, cum maxime imminuerentur.—*Crescit ager*] Mire exprimit superstitiosorum spem, et mox subtexit eventum. Tamdiu sperat avarus ille superstitiosus, donec splendidis sacrificiis ad paupertatem sit redactus.—*Ovile*] Greges et armenta. *Idem.*

50 *Jam, &c.*] Id quod tanto tempore tot sacrificiorum impensis petis et exspectas.—*Jam, jam*] Epizeuxis, per irrisionem Poëtæ.—*Donec, &c.*] Tamdiu sperat et sacrificat, donec tandem ad extremam paupertatem redactus sit, donec neque res, neque spes amplius illi supersit.—*Deceptus*] Vana spe et exspectatione.—*Exspes*] Desperans jam de incolumitate et proventu rerum suarum. *Idem.*

51 *Nequicquam, &c.*] Frustra enim in fundo est parsimonia.—*Suspiret*] Metaph. ab animalibus, tanquam nummus in fundo arcæ solus relictus, timore quasi ingemiscat vel suspiret, quasi nummus a sociis destitutus et frustratus suspiret, dolens spes ad nihilum recidisse. Vel tinnit jam rarior, in fundo crumenæ, prope exhaustæ sacrificiis. *Idem.*

52 *Si, &c.*] Quærit deinceps causam officii horum insanorum, et frequentium sacrificiorum; quam ait esse stultam hominum opinionem, quod ut homines, sic etiam Deos muneribus capi crederent. Id est, Si ego tibi homini aurea et argentea donaria, et pocula dono afferrem, tu præ nimia lætitia etiam lacrymas profunderes. Hinc oritur quod etiam Deorum statuas auro inducis, vel etiam ex solido auro effingis, tanquam Dii ut homines, auro et muneribus delectentur.—*Crateras*] Pateras argenteas. Casaubonus *craterras* legit, a craterra.—*Incusaque, &c.*] Donaria ex largo et crasso auro excusa et cudendo impressa. Vasa aurea solidæ materiæ, non gracilis bracteæ. Intelligit ἀνάγλυφα, ex auro crasso sculpta, et in asperitatem cælata. *Salmasius* legit, *inclusæ.* Turneb. XXVI. 14.

53 *Sudes, &c.*] Sudas præ nimio gaudio, et lacrumam emittis. *Lubin.* Persius ergo sudorem illi tribuit, hoc est, gravem commotionem, quales sunt illæ, quas sequitur sudor. *Casaub.*—*Pectore lævo*] Perverso: vel Corde, quod in læva vel sinistra corporis parte: vel, Lachrymes præ gaudio; tanta est stultitia tua. Virg. 'si mens non læva fuisset.' Hoc est, Nisi fuissemus stulti. *Casaub.*

54 *Excutias*] Emittas, effundas lacrumas et guttas sudoris. Sic Terentius: *Lacrumo præ gaudio.*—*Lætari, &c.*] Eo quod cor tuum gaudio quasi trepidet et subsultet. Græcismus, pro ad lætandum, vel, quod cor lætetur. Alii legunt *lætaris*, non omnino male. *Illud lætari*, id est, illa læticia, quia enim tibi cordi est aurum, Diis etiam credis esse, vitiis tuis illos æstimans: et *hinc illud subiit, &c.* Vel, Credis superstitiosus tibi evenisse hoc aurum a Diis missum, quorum facies et femora auro illinis. *Farn.*—*Prætrepidum*] Notat illam cordis subsultationem ex nimio adfectu et cupiditate. Turneb. XXVI. 15.

55 *Hinc, &c.*] Antapodosis similitudinis. *Hinc*, quod tu auro adeo delectaris illud oritur, quod etiam sacras Deorum statuas et facies auro inducis. Quasi auro etiam delectentur.—*Illud subiit*] Hinc tibi id in mentem venit, vel animum subiit et invasit. Quod ex spoliis quibus olim triumpharant milites, collectum erat et prædatum ex spoliis hostium. *Ovare* enim significat minorem triumphum peragere.—*Ovato*] Sic dicimus triumphatus. *Lubin.*

56 *Nam, &c.*] Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Ægisthi. Ex iis autem statuis quædam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula. *Vet. Sch.*—*Perducis facies*] Perducis, inducis, oblinis, imo

totas ducis et ex solido auro facis. Nota autem quod generaliter Satyrico risu Deorum simulacra, vel ipsos Deos sculptos, vel Deorum imagines vocet *ahenos fratres*. Stabant enim in Apollinis Palatini porticu effigies æneæ quinquaginta filiorum Ægypti, quibus ut et Apollini, Æsculapio, Isidi, &c. attribuit vetustatis superstitio vim in somnis indicandi curationes et remedia morborum. Quod si cui persuasum esset, se ab his vel illis istorum fratrum certius ac verius somnium accepisse, eos præ cæteris coluit et inauravit. Alii ad Castorem et Pollucem referunt. *Farnab.*—*Ahenos*] Æneas statuas intelligit in Pantheo Romæ. *Lubin.*

57 *Somnia, &c.*] Illa enim cum caput oppletum est, ut in gravedine, fallacia et inania insomnia obversantur. Ejusmodi vera insomnia *θεόπεμπτα* dicuntur. *Lubinus.* — *Somnia, &c.*] Appellat figurate illa, quorum fides certior in sanando et efficacia major. Per *somnia* enim sive insomnia intelligit præmonstratas curationes. *Casaubonus.* Lege *pituita* per tres syllabas. — *Purgatissima*] Omni pituita vacua et carentia, id est, Vera, certa, non vana et temeraria. *Lubin.*

58 *Præcipui sunto*] Magis colendi, honoratiores. *Lubin.* Iis ergo potissimum Diis à quibus plurima sperabant, aut quorum potestatem maximam putabant, auream barbam tribuebant. *Casaubon.* Censet Turnebus Advers. I. 16. hic summorum Deorum insignia significari. *Lubin.*

59 *Aurum, &c.*] Alia vanæ illius de Diis opinionis effecta describit; quod hinc vasa fictilia et lignea, quibus Numa ille sanctissimus olim in sacrificiis usus esset, in aurea mutata essent.—*Vasa Numæ*] Ut simpuvia, capedines, fictiles urnulæ.—*Numæ*] Qui Pythagoræ imitatione vetuit simulacra in templis fieri. Interdixit etiam et vetuit aurum templo inferri. —*Saturniaque, &c.*] Æs in æde Saturni condebatur, nondum argento auroque signato. Unde ærarium nomen accepit. Fuit autem assis libralis, et dupondius: quod hodie in usu remansit, et solebat pensari potius quam numerari: unde et Dispensatores dicti Prærogatores. *Vet. Sch.*—*Saturnia æra*] Ærea vascula, quibus, aureo seculo, Saturno regnante, cum nihil uspiam auri esset, utebantur. *Lubin.* *Æra*, in quibus veteris pop. Rom. opes etiam publicæ erant positæ: alludit ad ærarium, quod in æde Saturni. *Casaubonus.*—*Impulit*] Imo expulit, et e templis removit, et loco dejecit. *Lubinus.*

60 *Vestalesque, &c.*] Fictiles urnas, quibus Virgines Vestales tempore Numæ utebantur. — *Tuscum fictile*] Fictilibus enim Thuscia nobilis fuit, in qua plastice exercebatur, et optima fictilia condebantur. Possent et fictiles imagines intelligi. *Lubinus.* An eo respicit, quod pleraque ad religionem spectantia habuerunt Romani ab Etruscis? *Casaubonus.*

61 *O curvæ, &c.*] Est exclamatio indignationis plena, qua vana hæc populi de Diis opinio, quod ut homines, sic et Dii muneribus delectentur, refellitur.—*O curvæ*] Animæ pronæ, bardæ, stupidæ, rerum divinarum expertes, et ad cœlum minime erectæ. —*Curvæ*] Quod nihil præter terrena meditentur, nihil cœleste, et Deo dignum concipiant. Metaph. a rebus corporeis ad animam. *Lubin.*—*In terris*] Qui non solum terram spectant, sed in illa toti hærent: ne minimum quidem attollentes se supra humum. *Casaubonus.*—*Cœlestium*] Suæ naturæ ignaræ, cum a Cœlestibus originem duxerint. Inanes ejus cognitionis ac scientiæ, quæ docet quid sit Deus, et quomodo adoretur. *Lubin.*

62 *Quid, &c.*] Quid prodest, ex nostro ingenio et moribus Deos spectare, et templis ad Deos nostros mores, avaritiam, et auri cupidinem im-

mittere, cum illa inde potius deberemus efferre. *Lubinus.*—*Immittere*] Inducere cupiditates et alia vitia nostra. Vel, In quem finem hoc facimus, quod corruptelam nostrorum inferimus in res Religionis? Nam sic erga Deos nos gerimus, quasi et illi essent, ut nos. *Casaub.*—*Mores*] A quibus Deus est alienissimus.—*Templis, &c.*] Dum nimirum ibi ambitiose Diis sacrificamus, Deorum facies inauramus, munera eis offerimus. Quod revera est malos hominum mores templis immittere. *Lubin.*

63 *Bona ducere*] Id est, Ducere atque existimare illa Diis esse grata, quæ sceleratæ huic pulpæ sint grata.—*Pulpa*] Proprie in corpore pars carnosa; hoc loco pro corpore et carne accipitur, omnibus vitiis obnoxia, et pravis voluptatibus et cupiditatibus polluta. *Idem.* Hæc pulpa, id est, carnalis corruptio, non contenta naturali rerum simplicitate, miscet et vitiat omnia: his tamen ita vitiatis utitur, saltem fruitur; Diis tamen nulli sunt usui. Quorsum itaque Diis hæc dicamus? emaci nempe nundinatione, ut meliora ab iis accipiamus. *Farnab.*

64 *Hæc, &c.*] Id est, *Hæc* pulpa, vel caro nostra *sibi*, ad suam pulcritudinem, et decorem; ut nempe cuticula splendidius niteat, et jucundius oleat, casiam corrupto olivo dissolvit, et inde pretiosum unguentum, et fucum facere docuit. Dii vero hæc respuunt. Ex casia enim et oleo unguenta fiebant.—*Dissolvit*] Diluit, ut cutis eo magis tersa et nitida appareat.—*Corrupto*] Corrumpitur enim oleum, cum fucus fit. *Lubin.* Quicquid enim desinit illud esse quod fuit, corrumpi dicitur. *Casaub.*—*Casia*] Est frutex aromaticus, ex quo unguentum fiebat.—*Sibi*] Ut se nitidiorem faciat. *Lubin.*

65 *Et, &c.*] Nempe hæc delicata nostra caro, ut eo speciosius ornetur, Calabrum vellus, vel lanas Tarentinas, vitiato murice vel conchylio corrupto, et cocto, infecit, et purpuræ colorem ipsi indidit.—*Calabrum, &c.*] Lanas Tarentinas. Tarentum enim civitas Calabriæ, ubi lana optima, teste Plin. VIII. 48.—*Vitiato*] Sic præcedenti versu, corrupto olivo.—*Murice*] Murex e genere conchyliorum, cujus sanguine tingitur color, purpuræ similis. *Lubin.*

66 *Hæc, &c.*] Id est, Hæc caro imperavit conchæ marinæ, *baccam*, unionem, vel gemmam radere, polire, et lēvigare, et vestibus in corporis ornamentum inserere, et intexere.—*Baccam*] Proprie in arboribus lauro, myrto. Hic Metaph. pro unione.—*Stringere*] In unum cogere et conflare, vel malleo ita tundere, ut eliciantur stricta, hoc est, σπινθῆρες. Hinc ferri massæ vel laminæ, stricturæ dicuntur. *Lubin.* *Stringere* ergo de auro usurpavit, quod igne liquatum in unam massam conflatur et coit. *Salmas.*—*Venas*] Proprie in corpore. Per Metaph. subterranei meatus ubi aurum. Cum illæ venæ, id est, rudis materia ex venis exuta, inque fornace cocta, in massam, dum coquitur, ferventem et ignitam redigitur.—*Rasisse*] E concha radere; conchæ enim adhærescunt, neque avelli queunt, nisi lima. Plin. IX. 35. c. *Lubin.*

67 *Crudo*] Quia quando jam primum ex montibus erutus, et nondum decoctus est, crudus quodammodo est. Id est, Hoc corpus, hæc caro, fuco, preciosis vestibus, gemmis et auro se exornat, iisque delectatur. *Idem.*

68 *Peccat, &c.*] Caro scilicet omnis mali auctor, dum ipsa sequitur mala, et animam secum trahit, et eadem de Diis sibi quoque persuadet. *Lubin.* Vel, Illa luxuria qua homines in cultu suo utuntur, vitium est et peccatum. *Casaubon.*—*Vitio, &c.*] Quamvis peccet, et se peccare sentiat, meliora tamen monenti non obtemperat, sed assidue in suis vitiis perseverat. Casaubonus, *uti*, hic accipit pro *frui*.

69 *Pontifices*] Emphatice. Quibus fas erat Deos rectius cognoscere, et colere, vos rudi illa plebecula nihilo sapientiores. Reddite rationes, quid opes in templis faciant? Casaubon. legit, *in sacro*. Meton. adjuncti pro subjecto. In sacro templo. *Sacrum* enim est res Deo sacra.

70 *Donatæ, &c.*] Solebant virgines ante quam nuberent, quædam virginitatis suæ dona Veneri consecrare. Hoc et Varro scribit. *Vet. Sch.*—*Nempe hoc*] Hoc est, Nihil. Nempe tantundem aurum in templis vel statuis prodest, quantum Veneri laneæ vel cereæ pupæ, et imagunculæ puellares a virgine nuptura consecratæ. Solebant autem Virgines nupturæ suas pupas, imagunculas puellares vel sigillaria Veneri offerre, tanquam jam puerilibus ineptiis valedicturæ: sic sponsi mariti nuces spargebant: et pueri virilem togam induturi, bullam, puerorum insigne, Laribus suspendebant. *Lubin.*

71 *Quin, &c.*] Conclusio Satyræ. Quænam Diis grata sint munera, quidque illis offerendum, docet ex collatione dissimilium; nempe non qualia vulgus, aut Messalæ filius, aut improbissimus quisque, si modo dives offerre potest, sed animi candorem, et vitæ integritatem.—*De, &c.*] Quod Messalæ filius degener, in magno, divite, lato, et rotundo vase Diis consecrare, et offerre nequeat. Erat autem *lanx* vas rebus divinis aptum. Id est: Quod nullis opibus parabile est, animum rectum et θεοσεβῆ. *Lubin.*—*Lance*] Patella. Divites enim e lance, pauperes ex acerra libabant.

72 *Messalæ, &c.*] Cottam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebræ ejus in exteriorem partem verterentur. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus, Aurelius maximus dicebatur, originem trahens ab Aurelio Messala, qui septies fuit consul; qui cum a quodam Gallo ad monomachiam in prælio vocaretur, corvus super galeam in capite ejus sedit, et, victo hoste, Corvinus vocatus est. *Vet. Sch.*—*Magni, &c.*] Intelligit Cottam Messalinam, majoribus suis indignum et degenerem. Et pro quovis nobili et divite ponitur.—*Lippa*] Lippi interdum pro improbis, ut et hic. *Idem.*

73 *Compositum*] Versus egregii, et a multis Christianis, Lactantio, et aliis laudati. *Lubin.*—*Compositum jus*] Notum est, jus ad officia inter homines referri, fas vero ad pietatem erga Deum. Et membranæ nostræ *animi* legunt, non *animo*. Casaub.—*Compositum*] Contrarium est dissolutum. Id est, Animum compositæ justitiæ et æquitatis. Sic 'compositi mores.'—*Sanctosque, &c.*] Id est, Interiores illos abditos, et profundos mentis anfractus, abdita illa et secreta animi adyta, sancta, et sine omni macula, scelere pura, candida. *Lubin.*

74 *Et, &c.*] Pectus nobili illo, et generoso honesto, virtute, pietate, integritate, non leviter tinctum, sed plane et plene imbutum, coloratum, incoctum. Metaph. a vellere vel lana, cui colores incoquuntur. *Lubin.* Intelligit ergo Persius, constantem sibi atque immutabilem virtutem. *Generosum* dixit *honestum*, quia vera pietas generosa est, bonæ spei plena et ἐλευθέριος. Contra superstitio, meticulosa, et in humum dejecta. *Casaub.*

75 *Hæc, &c.*] Hoc pectus candidum et purum offer Deo in sacrificium; et *cedo*, exhibe mihi, ut aris vel *templis* Deorum in sacrificium exhibeam, et *admoveam*.—*Farre*] Boni etiam farre et fictili religiosi sunt. Erat autem *far* mola salsa, qua, teste Plinio, pauperes, qui thure carent, litare solebant.—*Farre*] Id est, Parvo sacrificio cum innocentia gratior ero, quam magno adhibito sacrificio, cum impietate et scelere.—*Litabo*] Litare est rite sacrificare et impetrare quod a Diis petimus. *Lubin.*

SATIRA III.

1 *Nempe, &c.*] Hanc satyram Poëta ex Lucillii libro quarto transtulit, castigantis divitum luxuriam et vitia. *Vet. Sch.*—*Nempe, &c.*] Legendum est cum indignatione et reprehensione, et pronunciationis gestu est adjuvandum. Juvenum desidiam hac Satyra insectatur, qui tempus illud, quod datum est ad virtutem et literas capessendas, epulis et somno perdunt. Initium autem Satyræ Dramaticum. Personæ enim loqui introducuntur. *Lubin.* Heic ergo inducitur Philosophus, juvenes sibi in disciplinam datos excitans, et post longam patientiam irascens illis, quod serius pro suo more surgerent. *Casaubon.*—*Assidue*] Itane vero semper ad mediam usque diem stertes? Nunquamne flagitiosæ illius socordiæ et inertiæ finis et modus erit?—*Assidue*] Hinc indignatio: quod assidue illud faciant.—*Jam, &c.*] Id est, Lucis matutinæ splendor; clara matutina lux cubilis fenestras intrat.—*Mane*] Adverbium pro nomine positum. *Lubin.*

2 *Et, &c.*] Latiores apparere facit. Lumen enim extenditur, transmittente Sole radios suos per rimas. *Casaub.*

3 *Stertimus*] Hoc est, Vos juvenes stertitis: apta enim objurgationibus prima persona. Non sunt ergo verba adolescentis, soporem suum defendentis, sed monitoris sunt, indomitum somnum depingentis. *Lubinus.* Facitis ergo sobrii quod ebrios deceat, quibus edormienda est crapula. *Casaubon.*—*Indomitum*] Metaph. a belluis quæ domantur. Intelligit autem merum vinum, non limphatum. Vel Meton. causæ: Quod homines bibentes indomitos et intractabiles reddat. Est autem *Falernum vinum* Campaniæ nobilissimum.—*Despumare*] Defervescere, digerere, concoquere in stomacho, edormiscere. Metaph. a musto, seu recenti vino, quod, dum excoquitur, spumas agit. *Lubin.*

4 *Quinta, &c.*] Periphrasis horæ quintæ. Dum in solari horologio gnomon quintæ lineæ umbram facit. Et orto sole audiebatur hora prima. Sexta hora erat meridies. Notat ergo illos ad meridiem ferme somnum produxisse. *Lubin.*

5 *Agis*] Id est, agitis. Cum superiori castigatione correptus nondum surgeret, gravius instat monitor. Quid tu agis interea, quid studii, et negocii hoc tam præclaro tempore tractas? Nempe dormis, et quidem ad mediam usque lucem.—*Siccas*] Ardentissimum meridiei tempus diebus canicularibus Romæ depingit. Quod illo tempore canicula segetes suo æstu ad maturitatem perducat.—*Insana*] Æstuosa, vehemens et quæ in rabiem agat canes. *Lubinus.*—*Canicula*] Sol in Cancro, cujus indicium est ortus stellæ Canicularis. *Farnab.*

6 *Coquit*] Maturas facit, urit, arefacit. Non ipsum quidem Canis sydus, sed Sol potius coquit messes, et æstu omnia adurens, rabiem canibus immittit. *Casaubon.*—*Et, &c.*] Meridiem describit. Tempus quo pecudes umbras et frigora captant. Ut Virgil. ait: 'Pecudes umbras et frigora captant.'—*Ulmo*] Arbor illa viti amica intelligitur; unde virgas, quibus servos percutiebant, confecerunt. *Lubin.*

7 *Unus, &c.*] Id est, Hæc unus comitum vel condiscipulorum. *Comites* enim hic sunt condiscipuli. Falluntur nimis qui ad Philosophos referunt, quos proceres Rom. in suo comitatu soliti erant habere. *Casaub.*—*Verumne*] Mire ἦθος exprimit: nam stupet iste quod audit de alto jam Sole.—

Ocyus, &c.] Ocyus hic famulorum quisquam mihi adsit cum vestimentis, quasi paratus jacturam temporis diligentia sarcire. *Lubin.*

8 *Nemone*] Scilicet vocanti mihi adest, nemone meum imperium curat? Sic irati suos solent inclamare.—*Turgescit, &c.*] Ibi si vocanti non adeo propere aliquis adsit, vitrea, clara et splendida bilis ipsi surgit, intumescit, effervescit, et omnes iræ et furoris habenas laxat et effundit, et adeo furiose, et insano clamore finditur, et rumpitur, ut ipsum vociferantem audiens, Arcadiæ pecuaria, ingentes, et decumanos asinos rudere credas, et clamorem dicas attollere. Turneb. XXIII. 23.

9 *Findor*] Ira cogor in vociferationem. Hactenus juvenis: quem irridens subdit Persius, vel Philosophus: ut, *Arcadiæ, pec. rud. c.* Quasi dicat: Verum est quod ais findi te, et ira supra modum esse concitum: sic enim clamas, ut asino rudenti et ὀγκωμένῳ sis similis. *Casaubon.*—*Arcadiæ, &c.*] Asinorum periphrasis ex subjectis. Arcadia enim ab Arcade Jovis et Calystonis filio dicta, et in medio Peloponesi sita, abundat asinis.—*Rudere*] Hic prima producitur, quam Virgilius corripit, cum ait: 'graviterque rudentes.' Declarat maximam vociferationem. *Lubin.* Vel legi posse credit Farnabius, *Finditur Arcadiæ, &c.* ex persona poëtæ vel philosophi dicentis: Juvenis indignatur et discruciatur, vociferans instar asini rudentis.

10 *Jam liber*] Sane juvenes quos alloquitur, non erant id ætatis, ut ista dicerent puerilia: sed Persius hoc significare voluit, quæcunque tandem essent, quæ ad velandam ignaviam afferri solent, tanti facienda esse, quanti ista puerorum nugatoria. *Casaub.*—*Jam*] Tandem scilicet, ubi vix magno labore et molestia excitatus, et lecto excussus est.—*Liber*] Unde aliquid in charta describat, illi in manus venit.—*Liber*] De arboris cortice proprie dicitur, in quo ante repertum chartæ vel papyri usum veteres scribebant.—*Bicolor, &c.*] Bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat. *Vet. Sch.*—*Et bicolor*] Membrana ergo in qua scribebant erat *bicolor:* alba ab interiore parte: ab altera in qua fuerant pili, crocea. Cave confundas hanc membranam cum ea pelle qua libros operiebant. *Capillos.* Poëta καταχρηστικῶς posuit de pilis. *Casaubon.* Turneb. XXIII. 23.—*Positis*] Quidam explicant pro compositis, quasi prius capillos adolescens sibi concinnaverit: sed durius hoc. *Ponere* enim *capillos,* significat detondere. De pilis igitur e membrana vel pergamena abrasis intellige. *Lubin.*

11 *Chartæ*] In quibus exciperet illa quæ a pædagogo dictarentur.—*Nodosaque*] Dicit, quod veteres arundine, quæ Græcis κάλαμος, ut nos penna, scriberent. *Ea nodosa,* quia multis geniculis, tanquam intermediis, distinguitur. *Idem.*—*Arundo*] Calamus scriptorius.

12 *Tum, &c.*] Prima querela atramenti nimis spissi. His tergiversationibus mire exprimit desidiam adolescentis, et literarum odium. *Lubin.*

13 *Nigra*] Secunda querela atramenti nimis diluti.—*Vanescat sepia*] Sepiam pro atramento, a colore, posuit: quamvis non ex ea, ut Afri, sed ex fuligine ceteri conficiant atramentum. *Vet. Sch.*—*Vanescat*] Quod atramentum ob infusam limpham adeo fluidum sit redditum, ut inter scribendum vanescat, suumque colorem perdat.—*Sepia*] Pro atramento. Metonymia causæ pro effectu. Est enim *Sepia* piscis, cujus sanguine pro atramento utebantur: qui ubi se a piscatoribus apprehendendum sensit, effuso atramento aquam turbat, et sic evadit. Plinius IX. 29.

14 *Dilutas, &c.*] Tertia frigida tergiversatio ignavi juvenis, qui con-

queritur, et prætendit, quod fistula pennæ, aut scriptorius calamus, guttas atramenti nimia aqua diluti et dissoluti, geminet, et duplices reddat, et papyrum ita maculet. *Geminat* ergo *guttas*, cum liquidius fluit atque uberius quam par sit.—*Fistula*] Calamus scriptorius.

15 *O miser*] Exclamatio pædagogi ad socordem juvenem, iræ et indignationis plena, quod sit miser, et aptior voluptatibus, quam virtutis, et sapientiæ studiis.—*Inque, &c.*] In dies magis atque magis miser, perditus, et deploratus futurus: Nempe in quo vitia, processu temporis non minuentur, sed indies et quotidie augmentum capient.—*Ultra*] Id est, Ulterius, et magis magisque miser.—*Huccine*] Id est, Huccine pervenimus, ut quidvis potius, quam illa quæ virtutis sunt, agere cupiamus? Vel, An eo recidit spes, quam de te parentes et præceptores conceperant? *Casaubon.*

16 *Aut cur non*] Si ita animo es averso a studiis, ut nugarum prætextu ea deseras, cur animi sensum dissimulas? cur amorem virtutis professus es, cùm Philosophiæ operam dare cœpisti? cur non potius voluptatibus, quando illas tanti facis, te immergis, et virtuti palam renuntias? Tum tu non in schola apud Philosophum dure ac aspere educaberis; sed domi in summis delitiis, more columborum, quos puellæ magna cura alunt, &c. *Idem.*

17 *Pappare, &c.*] Id est, Cibum infantium, pupas minutim et frustillatim a nutrice præmasticatum pappare et comedere. Est enim *pappare*, minutos et commanducatos cibos comedere, quales nutrices infantibus præbent. *Buas* enim et *pappas*, cibum et potum puerorum vocabant. Id est, Cur non ad primam pueritiam et infantiam redis? *Lubin.*

18 *Poscis*] Cur non minutos, delicatos, et teneros cibos, more puerorum, appetis? infantium tenellorum morem imitando.—*Mamma*] Non dandi, sed gignendi casu. *Mamma* Græcis μάμμη, aviam, matrem, et nutricem inter alia significat.—*Lallare*] Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere sæpe, Lalla, lalla, lalla. Aut dormi, aut lacte. *Vet. Sch.*—*Lallare*] Id est, Cur recusas crebrum illud lalla audire? ut *lallare* sit nutricum lalla crebro occinentium; id est, Crebram illam lallationem vel cantationem lalla mammæ, aviæ, matris vel nutricis tuæ, more puerorum iratorum recusas audire, vel nolis ab illa in somnum dari? Hoc enim petulantium et supine delicatorum puerorum proprium. Turnebus XVIII. 34. et XIX. 12.

19 *An, &c.*] Verba ignavi adolescentis, ignaviam suam calamo minus bono excusantis. An tali calamo studeam, tali atramento, tali charta aliquid scribere sustineam? Respexit ad illud Horatius; 'Culpantur frustra calami.'—*Cui verba*] Verba præceptoris, quibus ignavi adolescentis frigida excusatio refutatur ex dissimilibus.—*Cui verba*] Protasis est, Cui tu verba das? certe non mihi, sed tibi ipsi facis injuriam. *Lubin.*

20 *Succinis*] Toties occinis, repetis et obgannis illos frigidos prætextus. Metaph. a labyrinthis, qui varias ambages, flexus, et mæandros habent. Hic pro verborum circuitu, qualis in excusandis et velandis criminibus adhiberi solet.—*Tibi, &c.*] Te ipsum decipis. Quasi dicat: Tua res agitur; de tua re in ludo exposito luditur; tua istuc, ut aliquid studeas, et doctus, honestusque evadas, refert maxime.—*Effluis amens*] Sic legendum, non *Et fluis.* Comparat enim juvenem mollitie depravatum cum vase fictili, multis modis corrupto: primum hoc est, quod effluit. Hoc de eo accipiendum qui sit moribus depravatis, et voluptatibus diffluat. *Casaub.* Vel, Tu stolide et vane, una cum tempore, quod solum tuum est, et quod tam

male collocas, effluis et transis. *Lub.*

21 *Contemnere*] Hæc ab Horatio male translata intempestiva sunt: 'Quin tu Invidiam placare paras, virtute relicta? Contemnere miser.' *Vet. Sch.*—*Contemnere*] Quasi dicat: Cum nihil in te studio et labore adquisitum, σπουδῆς ἄξιον, et laude dignum deprehendatur, non injuria ab omnibus viris cordatis et prudentibus tanquam *pondus inutile terræ*, contemnere, et flocci nihilque fies.—*Et sonat*] Ut Virgil. 'Nec vox hominem sonat.' *Vet. Sch.*—*Sonat vitium*] Gnome est. Vitiosi et stulti homines neutiquam stultitiam, et vitia sua celare possunt et tegere, sed semper sonant, non secus ac inania vasa magis tinniunt: sic et vanus tu, semper majorem strepitum edes, et vanitatem tuam deteges. Respicit ad illud, quod dici solet, 'Sermo, animi indicium et character.'—*Percussa, &c.*] Constructio et sententia hæc est; Fictile vas, vel fidelia, si ex argilla vel limo viridi, et crudo non satis probe cocta sit, ab emtore digito leviter percussa, statim vitium, et rimas sonat, nec claro tinnitu, sed fracto, rauco, et absurdo sonitu, maligne spondet et prodit vitium suum; ita tu futili et rudi sermone ignorantiam tuam.—*Maligne*] Raucum, non acutum et tinnulum. *Lubin.*

22 *Fidelia*] Fictile vas, quod infusa fideliter contineat, dicta.—*Percussa*] Significans hominem nulla e re magis cognosci, quam ex sermone.—*Sonat vitium*] *Vitium* accusandi casus. Sic 'vox hominem sonat.' Id est, repræsentat.—*Viridi*] Quasi dicat, ex crudo, non satis cocto; vel e crudo et viridi limo facta. *Idem.*

23 *Udum, &c.*] Quasi dicat: Cum igitur tu hac juvenili ætate cereus sis, et udo et molli luto, et argillæ similis, quæ in omnes formas fingi et refingi potest, ab accurato sapientiæ et virtutis magistro, tanquam a solerti figulo, propere omni virtute et honestate instituendus, et ad omnem honestatem fingendus, firmandus es et formandus.—*Nunc, nunc, &c.*] Ut ille: 'Dum tener est animus, generosos insere mores.'—*Properandus*] Magna festinatione instituendus, et formandus ad virtutem. *Properandus* dicit, eo quod in virtutis et sapientiæ studio nihil differendum, aut in crastinum rejiciendum.—*Acri rota*] Accurata et severa disciplina et institutione. Perseverat in Metaph. a figulis, qui rota vasa sua fingunt.

24 *Sine fine*] Nunquam enim in virtutis informatione ad finem pervenitur: vel *sine fine*, sine mora, sine intermissione et continua opera.—*Sed, &c.*] Quasi dicat: Verum tu objicies, quod virtute majorum tuorum dives satis sis, nec honesta disciplina tibi opus sit.

25 *Far, &c.*] Synecdoche speciei pro genere.—*Modicum*] Emphatice. Tu habes mediocres divitias, ob id opus non habes, ut aliquid discas.—*Purum*] A majoribus non fraude quæsitum: vel, ex argento puro, id est, non cælato. *Farnab.*—*Purum, &c.*] A sordibus, et avaritiæ labe alienum; vel pauper non es. Supellex etiam tibi domi est satis sufficiens, munda, et nitida. *Lubin.* Vel *Purum*, quia sali vis inest contra putredinem, inde purum vocant Poëtæ. *Casaubonus.*

26 *Quid, &c.*] Nimirum tu extra omnem fortunæ aleam positus, fortuna, et invidia major es, adeoque 'major, quam cui posset fortuna nocere.' Nimirum habes quod ventri sufficiat et corpori, ut animi bonis nihil tibi sit opus. *Lubin.* Possunt hæc Philosopho adscribi, διὰ μέσου orationem juvenis interfanti. *Casaub.* —*Cultrixque foci*] Quia delibandæ dapes in ea positæ ad focum feruntur. *Vet. Sch.*—*Cultrixque foci*] Est tibi præterea patella foci et Laris cultrix, *secura*, et ab omni sollicitudine immunis, ut nulla re indigeas, nihilque metuas, nec sapientia tibi

opus sit.—*Patella*] Erat patella vas, in qua delibandæ dapes Diis domesticis offerebantur. Hoc loco pro mediocribus divitiis ponitur, per meton. effectus pro causa, quod homines securos reddat.—*Patella*] Videtur poni pro cibis in patella appositis, qui ad victum sufficiant. *Lubin.*

27 *Hoc satis*] Quasi dicat: Nonne ad bene beateque vivendum plura requiruntur? Ut, dummodo venter habeat unde victitet, animi nullam omnino rationem habendam putes.—*An deceat*] An te superbire, animos attollere, et intumescere, et sapientiam negligere oporteret, si vel esses nobilissimus? Quasi dicat: Minime. Multo minus cum modicas tantum divitias habeas.—*Pulmonem, &c.*] Superbire. Fastuosi enim ita turgescunt, ut pene rumpantur. Turnebus XXIII. 23. *Ventos* appellat spiritus.—*Rumpere, &c.*] Hic est, implere supra modum, φυσᾷν. *Casaub.*

28 *Stemmate, &c.*] An oportet te arrogantia inflatum dissilire, quod in aliquo nobili Tusco stemmate, millesimus e magno auctore numereris, et ramum aliquem ac lineam successionis a genealogo in stemmate numeratus obtineas? vel, in equitum Romanorum recognitione trabeatum censorem donis militaribus insignis salutas? Cognitio enim equitum Romanorum Censoribus erat subjecta, quæ nunc Consulum est officii. *Vet. Sch.*—*Stemmate*] Hoc loco pro genealogia, vel consanguinitate, unde Germanicum *Stam.*—*Tusco*] *Tusco* dicit, quia nobilissimi Romanorum ferme ab Hetruscis orti.—*Ramum*] Respexit ad adfinitatis arborem, et *ramum* pro successionis linea ponit.—*Millesime*] Vocandi casu. Notat antiquissimam genealogiam, in qua a principe generis millesimus sis.—*Ducas*] Obtineas millesimum gradum, ab origine stirpis. Vide Juvenal. VIII. 1. *Lubin.*

29 *Censoremve*] Scribendum, *Censoremne tuum.* Quo enim duplex disjunctiva? Eone tibi places, quod ortus es genere equestri? equites in transvectione trabeati, censorem præteribant ac salutabant. *Casaub.*—*Censorem tuum*] Ex tua familia et origine exortum. Quasi dicat: Non ob id superbire, et honestas litteras debes contemnere, quod in familia tua nobiles habeas, ipse tu nobilis?—*Trabeate*] In atrio inter imagines majorum. Vel, in recognitione equitum, tu eques trabeatus. Vide Juvenal. VIII. 259. *Farnab.* Erat *trabea*, purpuræ species, et nobilium tantum, et qua reges olim usi.—*Trabeate*] Vocandi pro nominandi casu. *Lubin.*

30 *Phaleras*] Externa illa corporis et fortunæ ornamenta, quæ vulgus forte magni æstimat, ad populum usurpa et populo tua illa bona jactato. Ego illa non moror, cum interna animi bona intuear, quæ in te non deprehendo. Sunt enim *Phaleræ* equorum ornamenta. *Lubinus.* Fuere et inter ornamenta virorum fortium *Phaleræ*: et hæc qui erant consecuti, cum insolentius se jactarent, proverbiali locutioni locum fecerunt: qua res inanes et fastuosæ appellantur *Phaleræ*. *Casaubon.*—*Ergo, &c.*] Animi tui mores omni vitio et scelere inquinatos, perspectos habeo. Vide proverb. apud Erasm. *Lubin.*

31 *Non, &c.*] Te scilicet, qui nobilissimus videri vis.—*Ad morem*] Id est, mores ignobilissimi Nattæ imitari, ἀκολάστου sive intemperantis.—*Discincti*] Metaph. a veste dimissa et laxa. Est enim discinctus, luxu dissolutus.—*Nattæ*] Alii *Nacæ*, alii *Naccæ*, alii *Nattæ*. Fuit quidam Romæ prodigus et dissolutus; proprie sic vocabant, qui sordidas artes exercebant, ut fullones, &c. Turnebus XXXIII. 33.

32 *Sed, &c.*] Sordidus, inquit, et nequam fullo Natta, qui non est nauci, ignorantia et inscitia peccat: tu prudens sciensque virtutem deseris.—*Stupere*] Ἀναισθητεῖν significat, sen-

sum non habere. Sensum flagitiorum non habet, et ignorans peccat. Id est, Ita a vitiis possidetur, ut de virtute ne cogitet quidem.—*Et, &c.*] Id est, Opimum illud vitiorum pingue, altissimas in corpore ejus radices, et intimis jecoris fibris increvit, seque inseruit.—*Fibris*] Id est, Animi sensibus et adfectibus.—*Intravit*] Radices egit, callum obduxit.—*Opimum, &c.*] Ex naturali causa dicit. Pinguedo enim sensum adimit: Adeps enim non sentit, et frigidæ est naturæ, quod stupere dicit, notans sensum flagitii abesse. *Lubin.*

33 *Pingue*] Substantive positum, pro vitio et stupore.—*Caret, &c.*] Quia ex ignorantia peccat.—*Nescit quod, &c.*] Ob vitii stupiditatem, ignorat qualium et quantarum rerum jacturam faciat, ut vitæ, famæ, virtutis, &c. *Lubin.*—*Et, &c.*] Immenso vitiorum pelago et barathro obrutus, et flagitiorum mole gravatus et sepultus, æternum in profunda vitiorum voragine sepultus manet, nullaque pœnitentia tangitur, propterea etiam sanari non potest.—*Alto*] Pro mari profundissimo.

34 *Immersus*] Vitiis obrutus, sepultus.—*Bullit*] Emergit, ut aër e fundo aquæ ebullit. Hic igitur emendari nequit, et eo nomine est accusandus. *Idem.*

35 *Magne, &c.*] In virtutis laudem brevis digressio, quod illa sit summum bonum. Quasi dicat, Tu vero, deplorate adolescens, non, ut Natta, ignorans peccas, sed prudens et sciens virtutem deseris, olim miserrimus futurus, quippe qui virtutem habentibus, ipse non habens, invisurus sis, et omnium miserrimus futurus.—*Magne*] Apostrophe ad Jovem per imprecationem et exclamationem.—*Sævos, &c.*] Quales Busiris, Phalaris, &c. Perstringit forte ipsum Neronem. Nulla alia ratione vel truculentissimos tyrannos puniri, quam petulantem hunc juvenem, nulli rectius monenti obtemperantem punitarus es, ut nempe virtute carentes, invidia contabescant. *Idem.*

36 *Alia, &c.*] Non dissimili pœnarum genere, quam flagello conscientiæ et metu, qui eam necessario sequitur. *Casaubon.* Nihil enim miserius invido, quippe qui sibi ipsi infestus. Et recte Horatius: 'Invidia Siculi non invenere tyranni Majus tormentum.'—*Cum, &c.*] Descriptio crudelitatis tyrannicæ. Cum tetra, immanis, et effrenis animi crudelis cupiditas, ardenti crudelitatis veneno tincta, et imbuta, ingenium tyrannorum triste et crudele excitaverit, illosque in omnis generis scelera et fraudes præcipitarit, et impulerit. *Lubin.*

37 *Ferventi, &c.*] Metaphora a lana, quæ corrupta ad pristinum colorem reverti non potest. *Vet. Sch.*—*Ferventi*] Ardenti, excitato, et inflammato.—*Tincta, &c.*] Metaph. a lana, quæ colore tingitur.—*Veneno*] Animi enim venenum, inhumanitas et crudelitas. *Lubin.*

38 *Virtutem, &c.*] Quam ut videant virtutem. Alii legunt *Virtuti invidiant;* quam, scilicet, ab aliis cultam ipsi deseruerint. *Farnab.* Sequitur gravissima illa pœna, nimirum invidia, qua olim ignavus adolescens, adficiendus sit. Ovidius, 'Video meliora proboque, Deteriora sequor.'—*Intabescant*] Macrescant, doleant, ringantur, dum alios virtute et doctrina præditos, et se relictos vident. *Idem.*

39 *Anne, &c.*] Id est, An magis Perilaus, vel, ut alii, Perillus, æreo tauro inclusus a Phalaride gemuit, quam invidiæ et conscientiæ stimulis agitatus?—*Siculi, &c.*] Siculi tauri. Dixit Siculi ob Phalaridem, qui tyrannus fuit Agrigenti in Sicilia.—*Æra, &c.*] Homines æreo tauro inclusi; meton. subjecti pro adjuncto. *Idem.*

40 *Et, &c.*] De auratis laquearibus. Est autem *laquear* superius cubiculi vel cœnaculi convexum. Quod variis picturis, et sculpturis ornari consue-

vit, et a quibus lychni dependi solent. —*Pendens*] De seta equina dependens, singulis momentis periculum foret, ne seta illa rupta, ensis ille fulgens in caput subjecti Damoclis decideret. *Lubin.*

41 *Purpureas, &c.*] Damoclis, scilicet regiis vestimentis induti.—*Subter*] Exacte illi fulgenti gladio suppositas et subjectas.—*Terruit*] Exanimavit, et consternavit. *Idem.*—*Imus, &c.*] Ordo est: *quam si sibi dicat, Imus, imus præcipites* in vitia et exitium, nulla virtute sufflaminandi, omni salutis spe destituti. *Farnab.*

42 *Imus, &c.*] Id est, anne ullum Phalaridis, vel Dionysii supplicium gravius unquam fuit, quam si quis invidiæ et conscientiæ stimulis de mente deturbatus dicat, Perimus, urimur, absumimur; *Imus, imus*, inquam, in exitium, et perniciem præcipites, et omni salutis spe miserrime destituimur?—*Quam si, &c.*] *Sibi*, Emphatice. Intra se, in animo suo, vel, quod homo sceleratus sibi ipsi soli conscius sit, cum sua flagitia aliis non dicat, sed illa ob turpitudinem revelare erubescat. 'Conscientia' enim 'mille testes.'—*Intus*] In animo, et conscientia interna, ob vitiorum turpitudinem cum pavore extimescat, et palleat. *Idem.*

43 *Quod, &c.*] Quem metum ob scelerum pœnam contractum, etiam conjunctissimis, et amicissimis detegere, et aperire erubescat, atque adeo quod proxima, et fidissima uxor nesciat. *Lubin.*

44 *Sæpe, &c.*] Id est, memini ego adhuc, quod parvus puer cum essem, oculos oleo intingerem et illinerem, et ita fluentes oculos, aut lippitudinem, et alios morbos simularem, ut ita tædiosum discendi laborem subterfugerem. Est enim lippitudo oculorum fluentium, vel lacrumantium vitium, quod ille oleo imitatus est.—*Tingebam*] Metaph. ab infectoribus. *Casaubonus* contendit legendum esse *tangebam*, et de interioris oculi tactu accipiendum.—*Parvus*] Emphatice. Puer hoc feci, in quo alienior a studiis animus excusari ob ætatem puerilem, quæ laborum scholasticorum impatientior, potest. *Lubin.*

45 *Grandia, &c.*] Si discendi tædio grandia illa, sublimia, et animosa Catonis Uticensis de morte verba, quæ in scholis loco exercitii proponebantur, audire, et ediscere nollem. *Lubin.* —*Morituro, &c.*] Merito, inquit, mihi lippitudinem arcessebam, ne Catonis deliberativam orationem recitarem, utrum moriatur an non: aut quibus verbis uti potuit, cum se destinaret interficere. *Vet. Sch.*—*Dicere verba*] Est Chriam componere hoc titulo. *Casaub.*—*Morituro*] Alii, *Morituri Catonis Discere.* Deliberabat enim Cato, satiusne foret sibi violentas manus Uticæ inferre, quam se sibi, patriæ, et Reip. conservare. *Lubin.*

46 *Dicere*] Alii, *Discere ab insano. Insano*] Id est, nimis severo et concitato, et ob nimiam diligentiam et vehementiam, qua nos ad studia exstimulabat, pene insano. *Lubin.* Stoicis enim præter sapientem unum, omnes insani. *Causaub.*

47 *Quæ, &c.*] Quæ parens meus convocatis amicis, ob hanc meam recitationem ingenti lætitia sudans et incalescens, et præclaram de filio suo spem concipiens, summa cum admiratione audiret.—*Pater*] Solebant enim illi interesse. *Lubin.*

48 *Jure, &c.*] *Jure*, non significat recte hoc factum a Persio; sed valet convenienter vitæ quam agebat, puerilibus scilicet annis, et fini quem ob oculos propositum habebat. *Casaubonus.* Id est, puerili ætate non injuria summum bonum et maximum bonum mihi videbatur talorum ludum nosse, et quid cujusque tali casus valeret, scire.—*Quid, &c.*] Id est, puer summo voto scire expetebam, quid in talorum jactu senio ille dexter, utilis et fortunatus, lucri adferret.

Erant autem apud Romanos tesserarum et talorum ludi. Et tessera sex lateribus (ut apud nos talus quatuor) constabat.—*Quid, &c.*] Senio major missus: ut Scæva, Immerito, inquit, flebam istas, cum semper laudarem. *Vet. Sch.*—*Quid, &c.*] Nam ut quisque talis jactatis senionem miserat, vincebat: sin canem, vincebatur: Ideo *senionem ferre*, dicit, hoc est, lucrum conciliare: at *canem radere*, id est, damno illato rem minuere. *Casaub.*

49 *Damnosa, &c.*] Id est, unitas jacta, quantum de reliquis jactis numeris detraheret, vel quantum lucro adimeret, vel abraderet. *Lubin.*

50 *Raderet*] Respexit ad vicinitatem et ambiguitatem nominis caniculæ: canum enim est radere vel abradere. Solebant autem reliquo jactorum talorum numero quinque detrahere, vel quantum ludentes pepigerant.—*Angustæ, &c.*] Puerilem nucum lusum intelligit. *Orca* enim fictile vasculum erat procero corpore, in quod pueri in terra defixum mediocri distantes intervallo nuces immittebant. Id est, ne a collo, vel ore angusti illius vasculi inter conjiciendum aberrarem: quascunque enim in Orcam conjecerat, tanquam suas, tollebat. Ovid. de Nuce: 'Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur, In quod missa levi nux cadit una manu.' Alii de pyrgo intelligunt, non recte. *Idem.*

51 *Neu, &c.*] Ludum turbinis vel trochi intelligit. Dabam operam ne quis omnium puerorum in tota vicinia majore calliditate, et solertia buxum, turbinem vel trochum flagello torquere et agitare posset.—*Callidior torquere*] Usitatus Hellenismus.—*Buxum*] Pro turbine vel trocho e buxo facto.

52 *Haud, &c.*] Antapodosis dissimilitudinis: quod adolescens pueritiam prætexere nequeat, cum jam grandis ætatis sit. Id est, vel ætate, vel doctrina experientiam habes, qua pravos a rectis moribus possis discernere.—*Inexpertum*] Incognitum.—*Curvos*] Intortos, corruptos, pravos, et ad rectæ rationis obrussam non exactos.—*Deprendere*] Cognoscere, et a bonis et probatis discernere. Id est, nec tibi inexpertum vel inexploratum est, quæ et qualia doceat sapiens illa porticus Athenis, quæ illita vel depicta est braccatis Medis, cum Themistocle pugnantibus. Id est, Stoicas disciplinas nosti. *Idem.*

53 *Sapiens, &c.*] Meton. qua ex subjecto adjunctum notatur. Eo quod sapientes Stoici in illa disputarint.—*Braccatis, &c.*] In qua depicta est a Polygnoto et Mycone pugna Xerxis et Darii regum Persarum. Hæc porticus, ποικίλη, ob picturæ varietatem dicebatur.—*Braccatis Medis*] *Bracca*, vel *bracha* peculiaris Medorum vestis a lumbis usque ad talos protensa. *Lubin.*

54 *Insomnis*] Quibus juvenes vel discipuli Stoicorum, somni expertes, omni studio et cura, die ac nocte invigilant.—*Insomnis*] Emphatice. Nimirum qui ita somno non indulgeat, ut vos ignavi, et somnolenti.—*Et, &c.*] Sic enim legendum, non *indetonsâ* (ex Turnebo) XXIII. 28. Erant enim Stoici ad cutem usque tonsi. Porro delicatiores comam alebant, et calamistrati incedebant. *Idem.*

55 *Invigilat*] Emphatice. Tu contra dormis, et quidem ad mediam lucem.—*Siliquis*] Commendat victum facilem, et frugalitatem Stoicorum. Porro illi cibis naturalibus, leguminibus et farre utebantur, ut Pythagorici, non vero carne, quod nefas putabant. Est autem synecdoche speciei pro genere. *Siliqua* enim folliculus leguminis.—*Grandi*] Quæ crassa polenta, tenui, facili cibo, victu parco utitur, et alitur. *Lubin.* Vel *grandi*, quia multo pane vescuntur, quibus solus panis cibus est: signum etiam

valetudinis bonæ, grandem panis quadram posse comedere. *Casaubon.*

56 *Et, &c.*] Alia causa efficiens cognitionis honesti, et turpis, Pythagorica, nimirum, disciplina. Id est, nec via virtutis, modo eam velis insistere, tibi ignota. Nam littera illa Y Pythagoræ Samii, quæ duos ramos in utrumque latus diduxit, virtutis viam dextro limite surgentem tibi monstravit: Vitiorum viam, sinistro. —*Samios*] Ob Pythagoram ejus literæ inventorem, qui Samius fuit, dixit.—*Diduxit, &c.*] Metaph. ab arboribus, id est, ab utraque parte expandit.

57 *Surgentem*] Dixit, quia dexter ramus qui virtutis viam vel tramitem denotat, arduus, sublimis, et difficilis adsurgit, et se attollit. *Idem.*

58 *Stertis adhuc*] Interrogatio. Quem æquum erat vigilare, et insomnem esse, Stoicorum exemplo. *Lubin.* Vel, tu, qui Philosophiæ pridem operam das, cur Philosophice non vivis? *Casaub.*—*Laxumque caput*] Id est, tutamen adhuc somnias, et laxum tuum caput ad utrumque latus somnolentorum more dependens, et dissolutum se non sustinens, quasi compagibus ejus, et juncturis fractis et solutis.—*Compage*] Commissura, junctura labrorum et maxillarum soluta, et diducta; id est, os in rictum extensum, et diductum. Describit autem oscitationem. *Lubin.*

59 *Oscitat, &c.*] Id est, ob hesternam crapulam, ignavus, torpidus, et marcidus adhuc more somnolentorum oscitat; id est, hesternam crapulam oscitando exhalat, edormit, evaporat, oscitando concoquit.—*Dissutis, &c.*] Id est, maxillis vel genis ab utraque parte male conjunctis; vel, quod oscitantes faciunt, fœde labris distortis, et in rictum diductis, et distractis.

60 *Est aliquid*] Ita accipienda ejus interrogatio: Quid mirum si dissolute vivis? quod ante omnia faciendum tibi fuerat, ut de summo bono decerneres et finem certum tibi proponeres, de eo necdum cogitasti. *Casaubon.* —*Est aliquid, &c.*] Quasi dicat: Non tu, ut sagittarii certum scopum sibi præstituunt, certum vitæ genus tibi deligis, sed corvos, rem vagam et incertam sequeris.—*Et in quod, &c.*] Allegoria a sagittariis. Proposuistine tibi aliquam metam, vel scopum, ad quem collimes, vel in quem arcum dirigas? *Lubin.*

61 *An, &c.*] Eum ergo, qui ita vivit, similem illi esse dicit qui corvos et id genus aves sectetur, capereque intendat. non arcus, sed testæ lutive jaculatione: quod quia per rerum naturam, nec solet, nec potest fieri, qui id tentat Græco proverbio notatus est, τὰ πετόμενα διώκει· quod in stultos et frustra laborantes dictitabant. *Casaub.*—*Testave lutove*] His utimur quoties non certo consilio ad capiendas aves prodiimus, sed temere ac per lasciviam aves obvias, eo arrepto quod primum in manus venerit, petimus. *Casaub.* Vide proverb. 'Nullo scopo jaculari.' *Lubin.*

62 *Securus, &c.*] Parum sollicitus, quo te pedes ducant: cum corvum in aëre volantem secteris. More eorum, qui sine proposito vagantur.—*Atque, &c.*] Id est, in diem, sine omni futurorum sollicitudine vivis. Sine omni cura. Hujusmodi vitam Græci καθημέριον βίον vocant. *Lubin.* Vel, αὐτοσχεδιάζειν τὴν βίον, id est, vivere sine proposito et ultimo fine, et, ut loquitur Seneca, 'aliud agendo vivere.' *Casaubon.* Vide proverb. 'In diem vivere.' Quod dicitur de illis, qui ne de crastino quidem cogitant. *Lubin.*

63 *Helleborum, &c.*] Quemadmodum morbis corporis in tempore remedio subveniendum est, sic animi morbis et vitiis, in tempore præceptis sapientiæ occurrendum. Quasi dicat: Ut cum quis hydropis habitum sibi contraxit, jamque cutis ægra et languida, aqua inflatur, et intumescit, et jam incurabilis reddita est; frus-

tra postmodum Medici opem, et remedia Ellebori implorat: sic qui vitiorum habitum contraxit, frustra postea per sapientiam ad virtutem reverti nititur. *Elleborus* pro omni remedio; et *hydrops* hoc loco pro omni morbo ponitur.—*Cum jam, &c.*] Ubi jam ad ἀκμὴν pervenit, id est, Ubi invaluit, et incurabilis redditus est. *Idem.*

64 *Poscentes*] Cum amplius remedio locus non est.—*Venienti, &c.*] Egregium Epiphonema, id est, incipienti animi vel corporis morbo in tempore remediis occurrite.

65 *Et, &c.*] Quid prodest te Medicis quantumvis præstantissimis, ut sanitatem restituant, multa magnifica et auri montes polliceri, ubi jam sis deploratæ sanitatis et desperatæ valetudinis? Quod autem de corpore dixit, de animo accipe.—*Cratero*] Synecdoche speciei pro genere.—*Montes*] Metaph. Id est, Ingentia præmia: ut sanitatem deploratam restituat. *Idem.*

66 *Discite, &c.*] Quare, o miseri, somnolenti, et vagi juvenes, discite aliquid, et animum honestis studiis, contra tot ingruentia vitia et mala confirmate.—*Miseri*] Quia sine virtutis et sapientiæ studio vita hominum miserrima.—*Et, &c.*] Quæ a Physicis explicantur. Sic Virgil. 'Felix qui potuit rerum cognoscere causas.' Vel discite omnium rerum causas finales, ob quam rem unaquæque res condita: atque ideo, quare vos ipsi conditi sitis. *Idem.*

67 *Quid, &c.*] Commendatur sui cognitio, et illud γνῶθι σεαυτόν.—*Quidnam*] Id est, ad quem usum.—*Ordo, &c.*] Quo ordine, ratione, modo, vita cujusque instituenda. Casaubonus de fato hoc accipit: nam ita passim *ordo*, aut rerum ordo, est *fatum*.

68 *Qua, &c.*] Quæ sit optima, et expeditissima ratio cursum vitæ humanæ flectendi et dirigendi, ut commodissime ad metam vel finem vitæ humanæ perveniamus. *Lubin.* Per *flexum metæ* intelligit, artem moderandæ vitæ humanæ. *Mollis* hic *flexus* dicitur, qui cito et rapide peragitur. *Casaub.* Turneb. XXIII. 22.—*Et unde*] Ex quo loco et tempore flexus ille commodissime instituendus sit. Vel, unde mors? nempe a natura. *Casaub. Lubin.* Pro *unde*, quidam *undæ:* ut sit quasi meta, ad quam circumflectenda est remigatio in navali certamine. *Farnab.*

69 *Quis, &c.*] Ne more avarorum illis adcumulandis insomnes incumbamus: nec prodigorum more inutiliter consumamus.—*Argento*] Inquirendo. Modus autem ex Stoicorum doctrina is est optimus ac legitimus, qui naturæ conveniat.—*Quid, &c.*] Quid a Deo petendum sit. Id est, quænam vere bona sint.—*Quid, &c.*] Quid divitiæ et opes hominibus recte utentibus, et cum honestate dispensantibus, commodi adferant.—*Asper*] Recens, et bene percussus. Percussio enim et signi impressio aurum exasperant. Turneb. XVIII. 28.

70 *Patriæ, &c.*] Quid patriæ, parentibus, cognatis, vicinis, ex nummis vel divitiis comparatis, debeas. *Lubin.*

71 *Quem, &c.*] Ut in qua conditione, vel officio quisque a Deo collocatus sit, discat, et suam Spartam sedulo ornare, et suæ vocationis officia diligenter obire studeat. *Idem.*

72 *Qua, &c.*] Qua conditione. Ne plus minusve facias, quam conditio tua ferat. *Lubin.*—*Locatus*] Velut in statione positus, quam curare debemus, nec deserere, nisi jussu Imperatoris Dei. *Casaub.*

73 *Disce*] Ultimum dogma, ut quis sua sorte contentus vivat, quod per contrarium explicat, ne nimirum ditioribus invideat. *Lubin.*—*Neque, &c.*] Id est, Noli putare ea bona, quæ vulgo tanta contentione quæruntur, esse vera bona. Illa igitur ne optes, neque doleas si uberior copia horum bonorum alii sit potius, quam tibi.

Casaub.—*Multa, &c.*] Omnis generis vasa intelligit.—*Putet*] Ob copiam nimiam, eo quod vasa illa tota raro exhauriuntur, et cibus in illis corrumpatur, et putere incipiat. *Lubin.*

74 *In, &c.*] Divitis advocati. Metonym. adjuncti pro subjecto, pro cella pennaria, in qua conditur et adservatur penus.—*Defensis, &c.*] Eo nomine quod divites illos Umbros in judicio defenderit patronus, vel advocatus. Erant autem *Umbri* antiquissimi Italiæ populi. Turneb. XIV.

75 *Et, &c.*] Id est, Quod in illorum advocatorum penu et cibario conditum sit piper, pernæ, et mænæ, Marsi consultoris et clientis in judicio defensi monumenta et donaria. Est autem *Mæna* vilis marinus piscis. *Lubin.* Plin. IX. 26. Caussidicis enim solitæ donari lagenæ vini et salsamenta, atque ejusmodi tenuia munuscula, quorum hic meminit Persius. *Casaub.*

76 *Quod, &c.*] Orca bellua marina appellatur, balænis infesta, quam in frusta dissectam salsamentarii in vasis adservabant. *Prima Orca* pro priori vase ponitur, quod in illo pisces illi nondum defecerint, nec illud exhaustum sit: cum insuper adhuc alia offerantur, et jam alia donarentur. Vel pro parte prima ac superiore Orcæ. *Lubin.*

77 *Hic aliquis*] Impatiens meæ seriæ admonitionis et libertatis, vel Philosophiæ studium irridens.—*Hirtosa*] Hispida, hirsuta, inculta, illuviem illorum et δυσχέρειαν notans. Vel *hircosa*, turpia et fœda, quod fœdum odorem spirarent. Turneb. XXIII. 23.—*Centurionum*] Et recte militum heic meminit, propter contrarium studium. Nihil enim refragatur Philosophiæ magis, quam vita militaris; ubi et ipsa virtus exulat. *Idem.*

78 *Quod, &c.*] Prosopopœia militis vecordiam suam et mentem a Philosophia alienam excusantis: primo quidem ex adjunctis, quod satis sibi sapiat. *Idem.*

79 *Esse, &c.*] Id est, Nunquam Arcesilao, Soloni, et reliquis miseris et ærumnosis Philosophis similis esse volui. Fuit autem Arcesilas, vel Arcesilaus Scythi filius ex Pitane civitate Æolica, Crantoris discipulus.—*Ærumnosique, &c.*] Eo quod multis ærumnis et laboribus ad sapientiam perveniant.—*Solones*] Solon Atheniensis unus e septem sapientibus, et legislator: et *Solones* pro Philosophis dixit. *Idem.*

80 *Obstipo, &c.*] Descriptio Philosophorum, quos vanus et rudis Centurio ridet.—*Obstipo*] Id est, Rigido collo et cervice, et in humerum capite inclinato; quod attenti et cogitabundi signum est.—*Obstipare*] Contorquere, incurvare.—*Et, &c.*] Oculorum lumine intente terram intuentes; quod illi faciunt, qui attentius quid apud se meditantur. *Idem.*

81 *Murmura*] Tacitas meditationes, quas verbis submissis apud se murmurando exprimunt.—*Secum*] Soli. Qui tanquam insani soli secum disputant. Vel quod fere in rabiem agantur, cum non inveniunt quod quæsierunt.—*Rodunt*] Quod murmura et meditationes, et inventiones cum silentio secum rodant, attenuent, expendant atque expoliant. *Idem.*

82 *Exporrecto*] Per Metaph. Exprimens Philosophorum gestum, qui dum secum meditantur, ita labia extendunt, ut illis verba adpendere videantur.—*Trutinantur*] Tanquam in libræ lance pensitant. Metaph. a trutina vel libra. *Idem.*

83 *Ægroti, &c.*] Quod Philosophi talia animo agitent, et rimentur, qualia ægroti somniant, id est, ridicula et nugacia.—*Veteris*] Ad senum et ægrotorum insomnia respicit, quæ ab Horatio pro deliriis ponuntur.—*Gigni de nihilo, &c.*] Axioma Physicum vulgatissimum. *Idem.*

85 *Hoc, &c.*] Id est, hæc næniæ

sunt, quas tamen scire nec juvat, nec prodest.—*Cur palles*] Id est, Quas nugas tantopere demiraris, tanto studio adfectas, ut inde pallorem tibi contrahas?—*Cur, &c.*] Amara irrisio. Ob hasce nugacissimas nugas impransi et incœnati tanquam ob rem ingentis precii se macerant, minimoque cibo contenti vivunt. *Lubin.*

86 *His*] De talibus Philosophorum verbis, populus Romanus tanquam affaniis et ineptiis ridet. Alii legunt, *Hos.*—*Multumque*] Juventus militiæ dedita, corpulenta, et torosa.—*Torosa*] Valde corpulenti, et torosi, id est, fortes et robusti juvenes. *Torus* enim pulpam carnis musculosam significat. *Idem.*

87 *Ingeminat*] Egregia μυκτηρισμοῦ, vel soluti risus descriptio. *Lubin.* Id est, Ita vehementer irridet ac cachinnatur, ut totum corpus concutiat, et nasum in rugas contrahat. *Casaubon.* Vel ad habitum ipsius risus respexit, quo illud *ha ha ha* sæpe tremula voce repetitur.—*Naso crispante*] Ob effusum risum, naso in rugas contracto. *Lubin.*

88 *Inspice, &c.*] Respondet jam monitor seu doctor, objectioni vanissimi centurionis, demonstrans Philosophiæ consiliis parendum esse, nisi quis olim animi morbis miserrime velit perire: idque ex similibus. Ut enim ægri neglecta Medici curatione intereunt, sic isti dum Philosophiam, quæ animorum Medicina est, aspernantur, in vitia præcipites ruunt, quæ ipsos male tandem perdant. *Casaub.*—*Inspice*] Explora, perpende.—*Nescio quid*] Nescio ob quam causam pectus mihi horrore concutiatur.—*Trepidat*] Vel, horrore concutitur ob frigus vel ob vehementem cordis palpitationem. *Lubin.*—*Ægris, &c.*] Ægre spirantibus, vix spiritum ducentibus.

89 *Exsuperat*] Abundat, supcrest, gravis halitus, et graveolentia. Turneb. XXIII. 23.—*Gravis*] Vel, quod graviter et ægre ducatur: vel, quod halitus maleolens graviter spiret, ut in pulmonum putrefactionibus.—*Inspice, &c.*] Sodes, antiquæ affectationis est: adeo ut soluto eo quidam usi sint: ut Plautus, qui per solutionem sic ait: 'Dic mihi, si audes, quæ est, quam ducere vis uxorem?' *Vet. Sch.*—*Sodes*] Blanditur medico: *sodes* enim blandientis. *Lubin.*

90 *Qui, &c.*] Qui talibus et consimilibus verbis medicum compellavit.—*Jussus, &c.*] Ubi prius certum medicamentum a medico sumsit: in quartum diem eventum exspectare jussus est a medico.—*Requiescere*] A luxu, nimio cibo, et potu cessare. *Id.*

91 *Tertia, &c.*] Meton. subjecti pro adjuncto, æger tertia nocte vidit.—*Compositas, &c.*] Id est, mitigatas, validas; vel, rite, composite, æqualiter jam palpitare, et moveri.—*Venas*] Arteriarum pulsum; vel, venas simpliciter. *Lubin.*

92 *De, &c.*] Ibi tanquam jam omni morbo profligato, medici ejusque consiliorum oblitus, vinum Surrentinum tanquam mitius et lenius e domo majore alicujus amici divitis, lagena capaciori sibi exhiberi rogavit: jamque ad balneum properat.—*Modice, &c.*] Quæ quia mediocriter sitit, plus etiam aliquanto capit et pro capaciori ponitur, et describitur lagena mediocris capacitatis.

93 *Loturo, &c.*] Sibi ad balneum properanti. Nihil autem ægrotis periculosius, quam balneum. *Lubin.*—*Surrentina*] Vina intelligit ex Campaniæ oppido Surrento, quod a Græcis conditum. *Idem.*

94 *Heus bone, &c.*] Verba medici, qui ex improviso intervenire fingitur, cernentis ægrotum secus, ac jussus erat, agere, et balnea et vina adhibere.—*Tu palles*] Ægrotum adhuc esse denotat ex adjuncto pallore.—*Nihil est*] Respondet ægrotus, suum pallorem excusans.—*Videas, &c.*] Respondet medicus: Quamvis hic pallor nihili

tibi esse videatur, tibi tamen prospicere debes; id est, Quæso videas et consideres quod tacite, sensim, et paullatim *lutea* illa et flava *pellis tibi surgat*, et corpus tuum sensim intumescat, quæ signa hydropiseos. *Id.*

95 *Surgit*] Intumescit, et turgescit. —*Tacite*] Sensim et paulatim.—*Lutea*] Dixit *lutea*, quia hydropisis color luteus est, et subcroceus: tum luteus color, pallidus et albus passim confunduntur. *Casaub.*

96 *At, &c.*] Respondet stomachans et iratus ægrotus, ægre ferens sibi a medico veritatem esse dictam. Quasi dicat: Tu longe deterius palles, quam ego, quare te ipsum cura, mihi molestus ne sis, nec tutor vel patruus esse velis. Idem faciunt perditi, qui correpti maledicta ingerunt.—*Tutor*] Qui datur ei, qui propter ætatem se nondum tueri potest. Noli mihi esse curator, pædagogus, aut patruus censor, nec mihi tanquam pupillo præscribas quid facere, quid omittere debeam. *Lubin.*

97 *Jampridem, &c.*] Ergone duos tutores habui? nam ille unus tutor, qui mihi relictus erat, jamdudum mortuus est, et a me sepultus. Id est, Non amplius sub tutore me esse existimavi; quia quem habui, sepelii. —*Tu restas*] Est interrogatio Ironica. Ignoravi, quod tu mihi adhuc tutor restares? Vel sine interrogatione; quasi dicat: Quantum video, tu mihi adhuc tutor restas.—*Hunc*] Hunc, ait Philosophus, incontinentem ægrum, medicos contemnentem, jamdudum sepelii; efferetur mox mortuus tam scio, quam si jam extulissem.—*Tu restas*] Tu contemtor Philosophorum restas efferendus. *Farnab.*—*Perge*] Verbum medici, qui, quia ægroti pertinaciam videt, ad vina et balnea pergere jubet, ut nimirum brevi moriatur. Est ergo Ironica permissio.—*Tacebo*] Verbum medici. Quasi dicat: Ego vero tacebo et abibo. Nam quid hic agas, ubi, si quid bene præcipias, nemo est qui obtemperet? *Id.*

98 *Turgidus, &c.*] Jam Poëta demonstrat, quomodo adolescens ægrotus ob intemperantiam perierit.—*Turgidus, &c.*] Qui gulæ incontinentia tot epulis se distendit. Et Juvenal. 'Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas; Hinc subitæ mortes.' —*Albo ventre*] Id est, hydrope pallido.

99 *Gutture, &c.*] 2. Hydropis adjunctum, halitus graveolentia. Id est, Cum interea guttur ejus lente et ægre exhalet et exspiret sulphureas mephites, graves, et tetros odores, et anhelitus. Est autem *Mephitis* proprie terræ putor ex aquis maxime corruptis et sulphuratis proveniens. *Lubin.*

100 *Sed, &c.*] Id est, Inter potandum, dum genio indulget, pavor et tremor jam instantis et imminentis mortis illum juvenem intemperantem subit et invadit.—*Calidumque, &c.*] Id est, Manus trepidatio, calidum triental vel calicem manibus ægri excutit. —*Calidum*] Potione calida plenum.—*Triental*] Alii *trientem* legunt; intellige poculum, quod tertiam partem sextarii capit. *Idem.*

101 *Excutit, &c.*] Languidis et morte futura trepidantibus.—*Dentes, &c.*] Id est, Dentes nimio rigore retecti, stridorem excitarunt. *Lubin.* Vel *retecti*, exesis gingivis. *Crepuere* autem ob tremorem capitis et laxa labra, ut subjicit, hoc est, ob corporis totius compagem solutam. *Casaub.*

102 *Uncta, &c.*] Describitur vomitus ægroti; id est, Omnis generis lauta, *uncta* et delicata fercula, paullo ante devorata, necdum digesta, per vomitum ex gutture, ore, et laxis, pendulis, languidisque *labris excidunt.* Lubin.

103 *Hinc, &c.*] Morbum ex intemperantia natum sequitur mors: quam indicat descriptione funeris. Describit autem ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς. Nam tuba ad ἐκφορὰν spectat: prius autem quam efferuntur, humi depo-

nebantur, lecto, ubi animam egerant, extracti; deinde lavabantur, ungebantur, componebantur, lecto ferali aptabantur: tum autem collocati in vestibulo; per aliquot dies complorabantur, næniam dicentibus amicis et præficis cum iis ad quos funus pertinebat: postremo efferebantur. *Casaub.*—*Tuba*] Quæ in nobilium funeribus adhiberi solebat, ut in plebeiorum tibia.—*Candelæ*] Quæ in sepultura ante mortuos præcedebant.—*Tandemque, &c.*] Ambitionem irridet, non quia μάκαρες et μακάριοι dicuntur mortui; non est enim Romanæ consuetudinis; sed quia pretiosa in funeribus veste stragula, cæterique etiam pauperculi exponebantur. *Beatulus* autem, qui nunquam splendidiore habitu fuit; aut certe, quia Romanæ consuetudinis fuit simpliciter sepelire. *Vet. Sch.*—*Tandemque, &c.*] Scoptice et Satyrice; id est, Tandem tam præclaro habitu felix scilicet et beatulus, dum in alto superboque feretro, et lecto compositus, et crassis, multis et preciosis amomis aliisque odoratis herbis, et unguentis largiter lutatus, unctus, et imbutus, rigidos et gelidos pedum calces in januam versus urbis portam extendit. *Lubin.*

104 *Crassis*] Multis, copiosis, largiter et abunde adhibitis.—*Lutatus*] Unctus, delibutus, unguentatus.—*Amomis*] Erat amomum frutex labruscæ similis, in Syria et Armenia proveniens. *Lubin.*—*Amomis*] Amoma hic pro quibuslibet unguentis posuit, quibus ungebant corpora mortuorum. Inde *Amomiam* recentiores vocaverunt illud omne, quo medicabantur corpora defunctorum et condiebantur. *Momium* et Mumiam jam vocant. *Salmas.* Turnebus XXIII. 23.

105 *In, &c.*] Id est, Extra portam urbis prolatis pedibus ad rogum effertur. Vel, cadaver in feretro compositum, versus domus januam pedes protendebat, et facie januam respiciebat: quo habitu extremam et ultimam abitionem denotabant. Turneb. XXIII. 23.—*Rigidos*] Frigidos, gelidos, et præ frigore duros.—*Illum*] Qui paulo ante medicum suum objurgabat, et se ægrotum negabat. *Lubin.*

106 *Hesterni, &c.*] Hesterni, ait a defuncto pridie manumissi, id est, liberti, et cives Romani facti.—*Capite, &c.*] Quia manumissi ante manumissoris corpus pileati incedebant. *Vet. Sch.*—*Hesterni, &c.*] Admodum novi cives Romani. Heri vel pridie civitate donati servi, postea inter Quirites vel cives Romanos adscripti.—*Capite, &c.*] Hoc est, Pileati. Notat servos, qui aperto capite incedebant, jam pileum adsumpsisse, libertatis indicium.—*Subiere illum*] Hoc est, Patroni sui pheretro novi liberti subiere. *Casaub.* Extulerunt cadaver ad rogum. Moris enim erat, ut libertate donati servi domini sui funus curarent, et ad sepulturam efferrent. *Subire*, significat inter alia onus dorso suscipere. *Lubin.*

107 *Tange, &c.*] Objecit enim monitori adolescens se ægrum non esse, nec illi, cui comparetur, similem.—*Tange*] Quasi dicat: Quod si miser id credere recusas, quæso, tange venas, et in pectus dextram tuam conjice, et pulsum cordis explora. Et hæc verba sunt juvenis. Possunt etiam monitori attribui, quibus juvenes admoneat, ut diligenter apud se explorent, num aliquis morbus in se residcat. Et sequentia, *Nil calet*, et *non frigent*, Juvenis respondentis essent, et se ægrotum negantis.—*In, &c.*] Sinistro scilicet, et cordis palpitationem explora, an febrili calore detinear. *Idem.*

108 *Nil, &c.*] Si prior versus juveni petulanti attribuatur, Medici verba hæc essent: sin monitori attribuatur, verba juvenis sunt.—*Summos*] Extremas partes manuum et pedum, quos omnium primo frigus invadit.

109 *Non, &c.*] Verba vel juvenis

vel medici.—*Visa est*] Respondet jam monitor; Forte corpore non ægrotas, nec nimius tibi calor vel frigus ex febri adest. At nunquid etiam animo bene et recte vales? Nullo animi morbo detineris, avaritia, libidine, ira, &c. Id est, Si forte ingens pecunia, aut maxima auri et argenti copia a te conspicitur; ecquid tunc etiam cor tibi rite et recte salit? *Idem.*—*Sive, &c.*] Secundus morbus, libido voluptatis. Id est, Si vicini tui virgo, candida, formosa et amabilis, te præsente mollius et blandius tibi adriserit; ecquid tunc etiam cor et venæ tuæ recte micant? Docet ergo Poëta non sanum esse eum, qui animi perturbationibus sit obnoxius. *Lubin.*

111 *Rite, &c.*] Composite. Per interrogationem legendum censet Turneb. XXIII. 23.—*Positum*] Tertius morbus, mollities; id est, Si tibi in catino vel patina algenti, vili, et sordida, durum et tenue olus, et vilis brassica apposita est in cibum, et ater, plebeius, et secundarius panis, ex farina populi, et pauperum cribro decussa, multo adhuc furfure immixto: tunc tuas fauces tentemus an sanæ adhuc sint, et recte se habeant.—*Algente*] Olus ipsum in catina algens, id est, frigidum. Vel, Vili, misero, et egeno. Sic culina frigida, in qua nihil coquitur. Sic hic *Algente* pro minus culto.—*Catino*] *Catinus* vas immensum escarium, in quo pultem, aut jurulenti quid ponebant. *Idem.*

112 *Durum olus*] Tenues herbæ, aut viles brassicæ, urtica, et alia id genus olera.—*Populi, &c.*] Farinam, panem non delitiosius cribro decussum, sed plebeium; de populi annona, id est, fiscalem dicit. *Vet. Sch.*—*Populi, &c.*] Significat panem cibarium et pane furfureum. Nam cribrum populare transmittit multos furfures. Est materia pro materiato. *Lubin.*

113 *Tentemus, &c.*] Id est, Age videamus quomodo placebit tibi hic victus. Sumit per Allegoriam *ulcus* pro animi vitio et morbo luxuriæ, quod accurate notandum; eo enim hæc omnia spectant, ut demonstret, ipsum animo ægrotare.—*Tentemus*] Id est, Videamus an sanæ sint.—*Tenero*] Ibi in gula, et faucibus tuis adeo tenellis et delicatis, putre aliquod, et insanabile delitiarum et mollitiei hulcus. *Lubin.*

114 *Putre*] Non unquam sanabile, quod te totum corrupit et infecit, et quod populari cibo, radere et exasperare minime decet.—*Radere*] Offendere, fatigare vili cibo.—*Beta*] Synecdoche speciei pro genere, pro vilissimo cibo: Est enim *beta* herba nullius saporis et precii: unde beta, pro vilissimis, et nauci hominibus sumitur. *Idem.*

115 *Alges*] Quartus juvenilis animi morbus, Timiditas; id est, ob levissimum quodque et nullum periculum frigore concuteris, trepidas, inhorrescis et alges.—*Alges*] Hoc dicit, quia superius se ægrotum negarat, et de membris suis dixerat: *Non frigent.*—*Excussit*] Concussit, commovit, erexit. Timor enim pilos erigit et stantes inhorrescere facit. Virg. 'Obstupui, steteruntque comæ.'—*Timor albus*] Timor enim homines albos et pallidos facit, ob sanguinis abscessum.—*Aristas*] Metaph. a spicis: quod capilli aristarum more inhorrescant, quod appellant horripilationem. *Lubin.*

116 *Nunc, &c.*] Quintus animi morbus, iracundia, quæ ex adjunctis describitur: quo et ipso juvenem non recte valere convincit. Quia autem, *Nil calet hic*, et *non frigent*, dixit: hic eum falsi coarguit.—*Face*] Tanquam igni subjecto.—*Fervescit*] Iræ nulla alia causa est, quam ebullitio sanguinis circa cor.—*Et ira*] Id est, Præ furore, et rabie; ex universo corpore crudelitas emicat. *Lubin.*

117 *Dicisque, &c.*] Concludit Mo-

nitor jam adolescentem insanum et ægrum esse et sapientiæ medicina opus habere. Demonstrat illud ex factis: Quia ea dicat, et faciat, quæ insani hominis sint. Quod testimonio Orestis insani confirmat. Id est, Ea dicis et facis quæ ipsis etiam furiosis furiosa videantur. *Idem.*

118 *Non, &c.*] Animi ægroti, nec rationis compotis.—*Juret*] Maximum enim insaniæ argumentum, quod Orestes etiam et insani juramento adfirmant.—*Orestes*] Hic Agamemnonis et Clytemnestræ filius, matrem cum Ægystho adultero occidit, patrem suum ultus, qui dolo a matre et Ægystho occisus erat. De hoc vide Eurip. in Oreste. *Idem.*

SATIRA IV.

1 *Rem populi, &c.*] Principium abruptum, per Apostrophen ad Alcibiadem, cum interrogatione et increpatione, per admirationem legendum. Quæso, o magni illius Pericli pupille Alcibiades, dic mihi hoc: Tune Rempubl. administras? Tune imperium Atheniensium regendum capessis? Quæso, quonam fretus, qua fronte, talem et tantam rem in te suscipis?—*Barbatum*] Sensus est: O Alcibiades, quæ hoc loco dicuntur tibi, Socratem tuum magistrum dicere existima, quem dirus cicutæ haustus e medio sustulit et peremit.—*Barbatum*] Primum Socratis adjunctum. Dixit autem barbatum: vel quod vere barbam, ut reliqui Philosophi, aluerit. *Lubin.* Vel, quod Romani cum majores laudabant, soliti dicere, *casci barbati.* Casaub.—*Magistrum*] Secundum adjunctum. Fuit enim Alcibiadis pædagogus. *Lubin.*

2 *Sorbitio*] Tertium adjunctum mortis generis efficiente causa declaratum. Fuit autem *Socrates* Sophronisci et Phanaretæ obstetricis filius, Philosophorum, vel Apollinis oraculo, sapientissimus.—*Dira*] Deorum ira immissa, illos enim contemserat.—*Cicutæ*] Quæ herba noxio semine, et frigore extinguit. *Lubin.* Cicutam enim probe tusam ac dilutam propinabant in calice, more medicamentorum: idque πιεῖν φάρμακον dicebatur. *Casaub.* Cicuta enim publice servabatur Athenis ad puniendos sontes. *Lubin.*

3 *Quo, &c.*] Prosopopœia Socratis mortui. Id est, Qua virtute, prudentia, et auctoritate, tantam imperii molem in te suscipis?—*Dic hoc*] Περιφράσει describit hic Alcibiadem, qui Atheniensium imperator summus, forma corporis incomparabilis, summis ingenii dotibus egregie ornatus, insuper adeo disertus, ut nemo ei dicendo resistere posset. Rursus tanto vitiorum agmine deformatus, ut si vitia virtutibus penses, merito addubites, laudene an vituperio dignior fuerit.—*Magni, &c.*] Fuit Pericles, patruus, vel avunculus Alcibiadis. *Magni* dicit. Novies enim hostes superavit, et inter alia Samios Ionum potentissimos devicit, illorumque urbem dejecit. De quo vide Justinum. Potest autem legi *Pericli* et *Periclis.*—*Pupille*] Emphatice. Quia enim pupillus adhuc, administrandæ Rei-

pub. inhabilem notat. *Idem.*

4 *Scilicet*] Sequentes decem versus Ironice legendi. Aggreditur autem disputationem, demonstraturus, Alcibiadem (per quem Neronem intelligit) nulla sapientia præditum, et Reip. administrandæ inutilem esse. *Lubin.*—*Ingenium*] Hoc loco liberalium artium notitiam interpretor. *Casaub.*—*Rerum, &c.*] Multarum rerum usus et experientia.—*Velox*] Quasi solito citius, et celerius, quam aliis, illi contigerit, quia ante legitimum tempus imperium occuparit.—*Velox*] Præcox, ante ætatem, prætnatura. *Lubin.*

5 *Ante, &c.*] Ante barbam. Nam, ut Ovid. ait VI. 'seris venit usus ab annis.'—*Dicenda, &c.*] Secundum argumentum; quod Alcibiades imperio inutilis sit, ex repugnantibus; quia, quod maxime prudentem principem deceat, quæ dicenda et quæ tacenda sint, ignoret. *Lubin.*

6 *Ergo, &c.*] Tertium argumentum. Ex partibus civilis prudentiæ, quod illa ætate, nondum illa auctoritate sit, ut tumultuanti et seditioso populo silentium possit indicere, ac proinde imperio inutilis.—*Commota*] Incitata, intumescente.—*Fervet*] Seditione et ira æstuat, sævit, agitatur. *Ira* enim bilis commotio, et ebullitio sanguinis est. *Idem.*

7 *Fert animus*] Desiderat, vel fiduciam habes eam tui, ut hoc te posse præstare speres. *Casaubon.*—*Calidæ, &c.*] Fervido, et ira inflammato populo.—*Fecisse, &c.*] Rabiosum et tumultuantem populum authoritate tua sedare, et mitigare. *Lubin.*

8 *Majestate*] Gravitate, et vultus reverentia, qua tu nimirum imberbis eximie præditus. *Lubin.* Oratorum hic mos erat, et aliorum qui populum alloquebantur, ut manu porrecta audientiam facerent. *Casaubon.*—*Quid, &c.*] Quartum argumentum, Quod eloquentiam in illa ætate adhuc desideret, ac proinde imperio inutilis.—*Quirites*] Quod Neronem sub Alcibiadis persona notat, hæc vox indicio est. Quirites enim non Athenienses cives, sed soli Romani dicebantur. Est autem Prosopopœia Alcibiadis respondentis. *Lubin.*

9 *Hoc puto*] Priscianus lib. XV. legendum hic esse docet *puta.* Quasi dicat: O Romani Quirites, ego æquum censeo, ut ab ejusmodi tumultu desistatis, quia credo, quod hoc non rectum et honestum est: illud autem male fieri existimo, et istud rectius est. Videtur inepta et puerilis oratio, cum dicat *puto;* cum orator non debeat putare. *Lubin.*

10 *Scis, &c.*] Revera scis justitiam in lance pensare, et ipsius lancis dubiæ rectitudinem calles discernere, et curvam regulam momentare, ubi inter curva subit, donec in liquido stet sententia. Regulam dicit ipsum *momentaneæ* stylum: *vel potius, momentariæ.* Vet. Sch.—*Scis, &c.*] Quintum argumentum: Quod juris et æquitatis cognitio in tanta ætate desideretur.—*Gemina, &c.*] Allegoria a libripende vel ponderibus, quæ lancibus expenduntur et trutinantur. Quod ille justum in illa recti justique norma ac regula coæquet, et examinet, ut pondera in libra æquantur, et examinantur. Per *libram* ipsam justitiæ normam et regulam intellige. —*Suspendere*] Perpendere, et examinare.—*Lance*] Vascula illa in libra dicuntur, in quorum uno pondus, altero res ponderanda imponitur. *Lubin.*

11 *Ancipitis*] Ambiguæ, ut nescis in quam partem vergat. Dubiæ lancis rectitudinem et æquitatem nosti discernere.—*Verum*] Id est, Virtutes ipsis vitiis conjunctas et finitimas discernis.—*Rectum*] Nosti rectum ab intorto discernere.—*Discernis*] Distinguis, internoscis. *Lubin.* Hoc ideo, quia virtus in medio consistit duorum vitiorum. *Casaubon.*—*Inter, &c.*] Id est; Ubi rectum curvis se inserit, et abscondit, quæ speciem

ejus obscurent, et pari vitio pravitateque deforment. *Lubin.*

12 *Subit, &c.*] Latet, et se abscondit.—*Nec, &c.*] Ironia amara. Id est, Si regula curva tibi in manum detur, quæ aliorum judicia fallit, et quod rectum est, curvum mentitur: tu solus illam coarguere potes: ostendit magni eum ingenii et prudentiæ esse, qui vera et recta falsis et curvis admixta, possit discernere.—*Pede varo*] Intorto, curvo, pravo. *Vari* dicuntur, quorum pedes introrsum, vel crura obtorta sunt.—*Fallit, &c.*] Cum regula ob necessarias exceptiones sit vara. Exempli gratia: Depositum redde, juris regula est: sanus apud me ensem deposuit: insanus repetit. Hic fallit regula. *Regula pede varo*, est regula quæ obliquari patitur et incurvatur. *Regula* hic est norma seu γνώμων. *Casaub.* Turneb. lib. XXX. cap. 8.

13 *Et, &c.*] Sextum argumentum. Quod nesciat vere noxios condemnare, innocentes defendere.—*Vitio*] Id est, Vitiosis hominibus. Adjunctum pro subjecto.—*Nigrum, &c.*] Judices literam Theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito Θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quod quasi habeat telum suum, ideoque triste intelligitur, vel mortis signum: unde quidam ait: 'O multum ante alias infelix littera Theta.' *Vet. Sch.* *Nigrum, &c.*] Id est, damnationis literam, mortiferum illud et infelix signum θ præponere. Quo θανατοῦν, id est, mori præcipiebant. γ etiam infausta nota erat, et alicui præfixa laqueum mandabat; quia laqueum refert.—*Nigrum*] Ut alba et candida fausta, ita nigra infelicia et infortunata credebantur. —*Præfigere*] Apponere in tabulis tuis suffragatoriis, vel notam damnatoriam annotare. *Lubin.*

14 *Quin, &c.*] Hic Ironiæ finis, qua sex argumentis Socrates Alcibiadem, vel potius Persius Neronem imperio Romano administrando ineptum demonstrat. Sensus est: Quin tu igitur juvenum stolidissime, qui per ætatem nulla adhuc prudentia, auctoritate, eloquentia præditus es, nec quid dicendum, quid tacendum, nec quæ pœnæ, quæ præmia bonis vel malis debeantur, scis, adeoque extrinsecus tantum comtus et decorus: cur Imperium Romanum adfectare non desistis?—*Summa, &c.*] Hæc de forma corporis, et superficie corporis externa intelligenda sunt. Frustra autem imperator pulcher et formosus, nisi animo virtus adsit. *Lubin.*

15 *Ante diem*] Ante tempus et ætatem maturam.—*Blando, &c.*] Desine populi favorem captare, et Elleborum potius bibe, ut insanus ad sanitatem redeas. Insanus enim es, dum cupis, quæ non capis.—*Blando*] Qui tibi nunc blanditur.—*Caudam, &c.*] Metaph. a canibus, qui adblandientes dominis, caudam movent et agitant. —*Jactare, &c.*] Quod Græci dicunt ὡραΐζεσθαι, et καλλωπίζεσθαι: cum si quid laude dignum facimus in oculis hominum, id facimus gloriæ avidi, qua etiam cupide nimis fruimur. *Casaub.* Turneb. lib. IX. cap. 6.

16 *Anticyras, &c.*] Qui longe dignior es, ut mentis insaniam Elleboro purges, et insaniam illam regnandi libidinem ejicias.—*Anticyras*] Meton. subj. pro adj. Insulam enim Anticyram pro Elleboro ponit.—*Meracas*] Id est, Meras, puras, non aliis mixtas. *Meracas* dicit, ut insaniæ vehementiam notet. *Lubin.*

17 *Quæ, &c.*] Quærit Persius ex Nerone, quidnam summum hominis bonum putet.—*Summa*] Bonorum finis, quo omnia referuntur. Et de summo bono Varro 280 sententias fuisse, id est, tot philosophorum sectas, tradit.—*Summa*] Hic pro re principali et præcipua ponitur.—*Uncta, &c.*] Responsio Neronis. Nempe voluptas summum mihi bonum videtur et vivere uncta patella, id est, lautis et

delicatis cibis, quæ patella continentur. *Lubin.*

18 *Curata, &c.*] Curata, scilicet a Chromatiariis. Nam Chromatiarii, dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se, et in sole erant, ut oleum corpus imbiberet: ut Juvenalis: 'Nostra bibat vernum contracta cuticula Solem, Effugiatque togam.' *Vet. Sch.*—*Et, &c.*] Id est; Toto die in sole se apricari, et cuticulam probe curare. Ex antiquo more dixit: quo ἡλιοκαΐαις gaudebant, et sole cutem curabant, quod ἡλίωσιν vel insolationem vocabant, et inter remedia numerabant. *Lubin.*

19 *Exspecta, &c.*] Sensus est: Certe si volueris tam diu iram deponere et exspectare, et anum hanc prætereuntem audire, invenies eam interrogatam nihil aliud responsuram: et te non minus delirare, et insanum esse, quam anus decrepita.—*Haud aliud*] Quam summum bonum in voluptate corporis esse situm.—*Hæc anus*] Δεικτικῶς. Fingit enim eam transire.—*I nunc*] Postquam ostendit, non plus sapere illum, quam decrepitam vetulam: jam potestatem abeundi facit. *Idem.* Poteratne magis fastum retundere insolentis juvenis, quam cum illum assimilat aniculæ olitrici? *Casaub.*

20 *Dinomaches, &c.*] Poterat autem hæc in se dicta existimare Nero. Ideo statim reprehensionem ad Alcibiadem iratum jam convertit, ita respondentem: atqui scio tamen, me esse Dinomaches filium generosissimum. Sic Nero a Juliis, et Ænea, genus ducebat.—*Suffla*] Verbum Poëtæ. Tu vero hac tua nobilitate intumesce, buccas infla, et altos spiritus gere.—*Sum, &c.*] Subdit Alcibiades, Sum vultu elegans, formosus. Fuit enim formosissimus Alcibiades; ut superius dictum.—*Esto*] Verbum Poëtæ. Concessio est. Esto, hoc facile concedo, nobilitate generis, et pulcritudine neminem tibi parem esse, dum tu sis interea homo nihili. *Lubin.*

21 *Dum ne*] Dum ipse mihi concedas vicissim, bonis animi, quæ vera sunt et sola bona, non magis te esse instructum, quam qui vel omnium minime. *Casaubon.*—*Deterius, &c.*] Te sapientia æquet.—*Pannucia*] Pannosa, pannis et annis obsita. Vel, ut Casaubonus vult, quæ panem et olera in foro vendit.—*Baucis*] Pro quavis anu vilissima. Turnebus lib. XV. cap. 3.

22 *Cantaverit, &c.*] Poëtice dictum: pro Dicere atque ingerere servulo opprobria, et ea quæ solent cantari cum ocima seruntur, hoc est, maledicta. Plin. lib. XIX. cap. 7. 'Nihil ocimo fœcundius: cum maledictis et probris serendum præcipiunt, ut lætius proveniat.' *Casaub.* Lubinus referendum credit ad mulierem olerum venditricem, quæ olera, ocyma et alias herbas odoratas et hortenses alta et clara voce ementibus quasi occinit, et cum clamore ad olus emendum servos invitat.—*Bene, &c.*] Elata voce, tanquam canens suas merces commendarit, et vendiderit.—*Ocyma*] Herbam vel olus intelligit, quod recentioribus Græcis βασιλικὸν dicitur, quæ ita a celeritate nascendi dicta.—*Discincto*] Intemperanti, dissoluto, libidinoso, nequam.—*Vernæ*] Servo; per Synecdochen speciei pro genere. *Lubin.*

23 *Ut nemo*] Est hoc loco digressio quædam ab instituta insolentis juvenis increpatione; cujus digressionis scopus peti debet ab ultimis verbis illis, *sic novimus.* Casaub.—*Ut, &c.*] Est autem particula *ut* hoc loco admirantis, idem valens, quod *quomodo*, vel *quantopere*. Quasi dicat: Quonam hujus seculi fato fieri dicam, quod nemo seipsum potius, quam alium nosse desiderat?—*Tentat*] Cupit, vult, studet, desiderat.—*In se, &c.*] Seipsum cognoscere, se et suam vitam intueri, et introspicere: γνῶθι σεαυτόν.

—*In se*] In pectus, et cordis intima. *Lubin.*

24 *Sed, &c.*] Alludit autem Socrates ad Æsopi fabulam, qui unumquemque duos sacculos vitiis plenos secum gerere, in anteriori aliena, in posteriore nostra vitia reponi. Unde fit ut nostra ipsi non videamus, aliena vero semper ob oculos habeamus.—*Præcedenti*] Præcedentium, quia vitia cernuntur a sequentibus. *Lubin.*

25 *Quæsieris*] Instituitur Dialogismus; id est, Si tu aliquem Romanum verbis compelles, et ex ipso quæras: Heus tu: nostine prædia Vectidii?—*Vectidii*] Sic enim legendum, non *Ventidii.* Fuit autem Vectidius Sabinus agrorum ditissimus, sed extreme avarus. *Idem.*

26 *Dives*] Id est, Qui dives et locuples, et tantum agri possidet, quantum milvus non circumvolare possit.—*Arat*] Tantum agrorum scilicet possidet.—*Curibus*] In, vel circa Sabinorum oppidum, *Cures* dictum, non procul a Roma.—*Quantum, &c.*] Secundum proverbium: 'Quantum milvi volant.' *Vet. Sch.*—*Quantum, &c.*] Proverbialis hyperbole, de homine supra modum locuplete.—*Oberret*] Volando circumeat. Turneb. lib. xv. cap. 3.

27 *Hunc, &c.*] Id est, De hoccine Vectidio quæris? qui natus est Diis adversis, vel vivit infelicissime, quamvis ditissimus. Avari enim homines sunt omnibus exosi.—*Hunc*] *Hunc* dico scilicet, et de hujus prædiis quæro.—*Genioque, &c.*] Adverso et infelici. Quia avarus ne sibi quidem est amicus: sed genium suum misere defraudans, vitam pro pœna habet. *Casaub.*

28 *Quandoque*] Quandocunque, vel quotiescunque. Ad compitalia referendum, ut compitaliorum periphrasis sit: ubi rustici, finita agricultura, ad compita aratris suspensis, magna animi relaxatione, Laribus, quæ in compitis celebrantur, sacrificabant, et genialiter vivebant. Casaub. censet, Persium hic tangere ritum aliquem compitaliorum, cujus ignoratione, obscura nobis esse ipsius verba.—*Jugum*] Ligneum instrumentum quo junguntur et coarctantur boves. Solebant autem juga et aratra fracta, quasi elaborati et emeriti operis, Diis Laribus dedicare, et ad compita adfigere.—*Pertusa, &c.*] Compita sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant. Merito *pertusa;* quia per omnes quatuor partes pateant; vel vetusta; vel compita non solum sunt in urbe loca, sed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes. In his juga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti et elaborati operis indicium. *Vet. Sch.*—*Pertusa*] Protrita, conculcata, vel per omnes quatuor partes patentia, et in multas vias secta. Ut in Quinta, *ramosa compita,* πολύῤῥυμοι τρίοδοι.—*Compita*] Ita dicta, teste Varr., ubi multæ viæ vel plura itinera competunt.—*Figit*] Suspendit. *Lubin.*

29 *Seriolæ*] Vasis fictilis, vel dolii, diminutivum, a *seria,* quod est terreum vinarium. Terentius: 'Serias omnes relevi.' Diminutivo utitur ad vasis parvitatem, et Vectidii sordes exprimendas.—*Veteris*] Et hoc Emphatice; quod non solum parvum vini cadum, sed ne veterem quidem, et i multos annos ob avaritiam servatum relinere audeat. *Limum* vocat picem: hac enim linebant dolia et serias. Picationis modum describunt Columella lib. xii. et alii. Inde *serias relinere,* quod noster: *deradere limum.* Casaub.

30 *Ingemit*] Ob avaritiam, tanquam rem magni sumtus faciat, tristi voce illud solemne pronuntiat.—*Hoc, &c.* Prosopopœia Vectidii avari, sibi suisque servis, ob appositam pultem et cæpe gratulantis, ut intelligatur quotidiana ejusdem victus tenuitas, et

pub. inhabilem notat. *Idem.*

4 *Scilicet*] Sequentes decem versus Ironice legendi. Aggreditur autem disputationem, demonstraturus, Alcibiadem (per quem Neronem intelligit) nulla sapientia præditum, et Reip. administrandæ inutilem esse. *Lubin.*—*Ingenium*] Hoc loco liberalium artium notitiam interpretor. *Casaub.*—*Rerum, &c.*] Multarum rerum usus et experientia.—*Velox*] Quasi solito citius, et celerius, quam aliis, illi contigerit, quia ante legitimum tempus imperium occuparit.—*Velox*] Præcox, ante ætatem, præmatura. *Lubin.*

5 *Ante, &c.*] Ante barbam. Nam, ut Ovid. ait VI. 'seris venit usus ab annis.'—*Dicenda, &c.*] Secundum argumentum; quod Alcibiades imperio inutilis sit, ex repugnantibus; quia, quod maxime prudentem principem deceat, quæ dicenda et quæ tacenda sint, ignoret. *Lubin.*

6 *Ergo, &c.*] Tertium argumentum. Ex partibus civilis prudentiæ, quod illa ætate, nondum illa auctoritate sit, ut tumultuanti et seditioso populo silentium possit indicere, ac proinde imperio inutilis.—*Commota*] Incitata, intumescente.—*Fervet*] Seditione et ira æstuat, sævit, agitatur. *Ira* enim bilis commotio, et ebullitio sanguinis est. *Idem.*

7 *Fert animus*] Desiderat, vel fiduciam habes eam tui, ut hoc te posse præstare speres. *Casaubon.*—*Calidæ, &c.*] Fervido, et ira inflammato populo.—*Fecisse, &c.*] Rabiosum et tumultuantem populum authoritate tua sedare, et mitigare. *Lubin.*

8 *Majestate*] Gravitate, et vultus reverentia, qua tu nimirum imberbis eximie præditus. *Lubin.* Oratorum hic mos erat, et aliorum qui populum alloquebantur, ut manu porrecta audientiam facerent. *Casaubon.*—*Quid, &c.*] Quartum argumentum, Quod eloquentiam in illa ætate adhuc desideret, ac proinde imperio inutilis.—*Quirites*] Quod Neronem sub Alcibiadis persona notat, hæc vox indicio est. Quirites enim non Athenienses cives, sed soli Romani dicebantur. Est autem Prosopopœia Alcibiadis respondentis. *Lubin.*

9 *Hoc puto*] Priscianus lib. XV. legendum hic esse docet *puta.* Quasi dicat: O Romani Quirites, ego æquum censeo, ut ab ejusmodi tumultu desistatis, quia credo, quod hoc non rectum et honestum est: illud autem male fieri existimo, et istud rectius est. Videtur inepta et puerilis oratio, cum dicat *puto;* cum orator non debeat putare. *Lubin.*

10 *Scis, &c.*] Revera scis justitiam in lance pensare, et ipsius lancis dubiæ rectitudinem calles discernere, et curvam regulam momentare, ubi inter curva subit, donec in liquido stet sententia. Regulam dicit ipsum *momentanea* stylum: *vel potius, momentaria.* Vet. Sch.—*Scis, &c.*] Quintum argumentum: Quod juris et æquitatis cognitio in tanta ætate desideretur.—*Gemina, &c.*] Allegoria a libripende vel ponderibus, quæ lancibus expenduntur et trutinantur. Quod ille justum in illa recti justique norma ac regula coæquet, et examinet, ut pondera in libra æquantur, et examinantur. Per *libram* ipsam justitiæ normam et regulam intellige.—*Suspendere*] Perpendere, et examinare.—*Lance*] Vascula illa in libra dicuntur, in quorum uno pondus, altero res ponderanda imponitur. *Lubin.*

11 *Ancipitis*] Ambiguæ, ut nescis in quam partem vergat. Dubiæ lancis rectitudinem et æquitatem nosti discernere.—*Verum*] Id est, Virtutes ipsis vitiis conjunctas et finitimas discernis.—*Rectum*] Nosti rectum ab intorto discernere.—*Discernis*] Distinguis, internoscis. *Lubin.* Hoc ideo, quia virtus in medio consistit duorum vitiorum. *Casaubon.*—*Inter, &c.*] Id est; Ubi rectum curvis se inserit, et abscondit, quæ speciem

ejus obscurent, et pari vitio pravitateque deforment. *Lubin.*

12 *Subit, &c.*] Latet, et se abscondit.—*Nec, &c.*] Ironia amara. Id est, Si regula curva tibi in manum detur, quæ aliorum judicia fallit, et quod rectum est, curvum mentitur: tu solus illam coarguere potes: ostendit magni eum ingenii et prudentiæ esse, qui vera et recta falsis et curvis admixta, possit discernere.—*Pede varo*] Intorto, curvo, pravo. *Vari* dicuntur, quorum pedes introrsum, vel crura obtorta sunt.—*Fallit, &c.*] Cum regula ob necessarias exceptiones sit vara. Exempli gratia: Depositum redde, juris regula est: sanus apud me ensem deposuit: insanus repetit. Hic fallit regula. *Regula pede varo*, est regula quæ obliquari patitur et incurvatur. *Regula* hic est norma seu γνώμων. *Casaub.* Turneb. lib. xxx. cap. 8.

13 *Et, &c.*] Sextum argumentum. Quod nesciat vere noxios condemnare, innocentes defendere.—*Vitio*] Id est, Vitiosis hominibus. Adjunctum pro subjecto.—*Nigrum, &c.*] Judices literam Theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito Θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quod quasi habeat telum suum, ideoque triste intelligitur, vel mortis signum: unde quidam ait: 'O multum ante alias infelix littera Theta.' *Vet. Sch. Nigrum, &c.*] Id est, damnationis literam, mortiferum illud et infelix signum θ præponere. Quo θανατοῦν, id est, mori præcipiebant. ϒ etiam infausta nota erat, et alicui præfixa laqueum mandabat; quia laqueum refert.—*Nigrum*] Ut alba et candida fausta, ita nigra infelicia et infortunata credebantur. — *Præfigere*] Apponere in tabulis tuis suffragatoriis, vel notam damnatoriam annotare. *Lubin.*

14 *Quin, &c.*] Hic Ironiæ finis, qua sex argumentis Socrates Alcibiadem, vel potius Persius Neronem imperio Romano administrando ineptum demonstrat. Sensus est: Quin tu igitur juvenum stolidissime, qui per ætatem nulla adhuc prudentia, auctoritate, eloquentia præditus es, nec quid dicendum, quid tacendum, nec quæ pœnæ, quæ præmia bonis vel malis debeantur, scis, adeoque extrinsecus tantum comtus et decorus: cur Imperium Romanum adfectare non desistis?—*Summa, &c.*] Hæc de forma corporis, et superficie corporis externa intelligenda sunt. Frustra autem imperator pulcher et formosus, nisi animo virtus adsit. *Lubin.*

15 *Ante diem*] Ante tempus et ætatem maturam.—*Blando, &c.*] Desine populi favorem captare, et Elleborum potius bibe, ut insanus ad sanitatem redeas. Insanus enim es, dum cupis, quæ non capis.—*Blando*] Qui tibi nunc blanditur.—*Caudam, &c.*] Metaph. a canibus, qui adblandientes dominis, caudam movent et agitant. —*Jactare, &c.*] Quod Græci dicunt ὡραΐζεσθαι, et καλλωπίζεσθαι: cum si quid laude dignum facimus in oculis hominum, id facimus gloriæ avidi, qua etiam cupide nimis fruimur. *Casaub.* Turneb. lib. ix. cap. 6.

16 *Anticyras, &c.*] Qui longe dignior es, ut mentis insaniam Elleboro purges, et insaniam illam regnandi libidinem ejicias.—*Anticyras*] Meton. subj. pro adj. Insulam enim Anticyram pro Elleboro ponit.—*Meracas*] Id est, Meras, puras, non aliis mixtas. *Meracas* dicit, ut insaniæ vehementiam notet. *Lubin.*

17 *Quæ, &c.*] Quærit Persius ex Nerone, quidnam summum hominis bonum putet.—*Summa*] Bonorum finis, quo omnia referuntur. Et de summo bono Varro 280 sententias fuisse, id est, tot philosophorum sectas, tradit.—*Summa*] Hic pro re principali et præcipua ponitur.—*Uncta, &c.*] Responsio Neronis. Nempe voluptas summum mihi bonum videtur et vivere uncta patella, id est, lautis et

delicatis cibis, quæ patella continentur. *Lubin.*

18 *Curata, &c.*] Curata, scilicet a Chromatiariis. Nam Chromatiarii, dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se, et in sole erant, ut oleum corpus imbiberet: ut Juvenalis: 'Nostra bibat vernum contracta cuticula Solem, Effugiatque togam.' *Vet. Sch.*—*Et, &c.*] Id est, Toto die in sole se apricari, et cuticulam probe curare. Ex antiquo more dixit: quo ἡλιοκαΐαις gaudebant, et sole cutem curabant, quod ἡλίησιν vel insolationem vocabant, et inter remedia numerabant. *Lubin.*

19 *Exspecta, &c.*] Sensus est: Certe si volueris tam diu iram deponere et exspectare, et anum hanc prætereuntem audire, invenies eam interrogatam nihil aliud responsuram: et te non minus delirare, et insanum esse, quam anus decrepita.—*Haud aliud*] Quam summum bonum in voluptate corporis esse situm.—*Hæc anus*] Δεικτικῶς. Fingit enim eam transire.—*I nunc*] Postquam ostendit, non plus sapere illum, quam decrepitam vetulam: jam potestatem abeundi facit. *Idem.* Poteratne magis fastum retundere insolentis juvenis, quam cum illum assimilat aniculæ olitrici? *Casaub.*

20 *Dinomaches, &c.*] Poterat autem hæc in se dicta existimare Nero. Ideo statim reprehensionem ad Alcibiadem iratum jam convertit, ita respondentem: atqui scio tamen, me esse Dinomaches filium generosissimum. Sic Nero a Juliis, et Ænea, genus deducebat.—*Suffla*] Verbum Poëtæ. Tu vero hac tua nobilitate intumesce, buccas infla, et altos spiritus gere.—*Sum, &c.*] Subdit Alcibiades, Sum vultu elegans, formosus. Fuit enim formosissimus Alcibiades; ut superius dictum.—*Esto*] Verbum Poëtæ. Concessio est. Esto, hoc facile concedo, nobilitate generis, et pulcritudine neminem tibi parem esse, dum tu sis interea homo nihili. *Lubin.*

21 *Dum ne*] Dum ipse mihi concedas vicissim, bonis animi, quæ vera sunt et sola bona, non magis te esse instructum, quam qui vel omnium minime. *Casaubon.*—*Deterius, &c.*] Te sapientia æquet.—*Pannucia*] Pannosa, pannis et annis obsita. Vel, ut Casaubonus vult, quæ panem et olera in foro vendit.—*Baucis*] Pro quavis anu vilissima. Turnebus lib. xv. cap. 8.

22 *Cantaverit, &c.*] Poëtice dictum: pro Dicere atque ingerere servulo opprobria, et ea quæ solent cantari cum ocima seruntur, hoc est, maledicta. Plin. lib. xix. cap. 7. 'Nihil ocimo fœcundius: cum maledictis et probris serendum præcipiunt, ut lætius proveniat.' *Casaub.* Lubinus referendum credit ad mulierem olerum venditricem, quæ olera, ocyma et alias herbas odoratas et hortenses alta et clara voce ementibus quasi occinit, et cum clamore ad olus emendum servos invitat.—*Bene, &c.*] Elata voce, tanquam canens suas merces commendarit, et vendiderit.—*Ocyma*] Herbam vel olus intelligit, quod recentioribus Græcis βασιλικὸν dicitur, quæ ita a celeritate nascendi dicta.—*Discincto*] Intemperanti, dissoluto, libidinoso, nequam.—*Vernæ*] Servo; per Synecdochen speciei pro genere. *Lubin.*

23 *Ut nemo*] Est hoc loco digressio quædam ab instituta insolentis juvenis increpatione; cujus digressionis scopus peti debet ab ultimis verbis illis, *sic novimus.* Casaub.—*Ut, &c.*] Est autem particula *ut* hoc loco admirantis, idem valens, quod *quomodo*, vel *quantopere.* Quasi dicat: Quonam hujus seculi fato fieri dicam, quod nemo scipsum potius, quam alium nosse desiderat?—*Tentat*] Cupit, vult, studet, desiderat.—*In se, &c.*] Seipsum cognoscere, se et suam vitam intueri, et introspicere: γνῶθι σεαυτόν.

—*In se*] In pectus, et cordis intima. *Lubin.*

24 *Sed, &c.*] Alludit autem Socrates ad Æsopi fabulam, qui unumquemque duos sacculos vitiis plenos secum gerere, in anteriori aliena, in posteriore nostra vitia reponi. Unde fit ut nostra ipsi non videamus, aliena vero semper ob oculos habeamus.—*Præcedenti*] Præcedentium, quia vitia cernuntur a sequentibus. *Lubin.*

25 *Quæsieris*] Instituitur Dialogismus; id est, Si tu aliquem Romanum verbis compelles, et ex ipso quæras: Heus tu: nostine prædia Vectidii?—*Vectidii*] Sic enim legendum, non *Ventidii.* Fuit autem Vectidius Sabinus agrorum ditissimus, sed extreme avarus. *Idem.*

26 *Dives*] Id est, Qui dives et locuples, et tantum agri possidet, quantum milvus non circumvolare possit.—*Arat*] Tantum agrorum scilicet possidet.—*Curibus*] In, vel circa Sabinorum oppidum, *Cures* dictum, non procul a Roma.—*Quantum, &c.*] Secundum proverbium: 'Quantum milvi volant.' *Vet. Sch.*—*Quantum, &c.*] Proverbialis hyperbole, de homine supra modum locuplete.—*Oberret*] Volando circumeat. Turneb. lib. xv. cap. 3.

27 *Hunc, &c.*] Id est, De hoccine Vectidio quæris? qui natus est Diis adversis, vel vivit infelicissime, quamvis ditissimus. Avari enim homines sunt omnibus exosi.—*Hunc*] *Hunc* dico scilicet, et de hujus prædiis quæro.—*Genioque, &c.*] Adverso et infelici. Quia avarus ne sibi quidem est amicus: sed genium suum misere defraudans, vitam pro pœna habet. *Casaub.*

28 *Quandoque*] Quandocunque, vel quotiescunque. Ad compitalia referendum, ut compitaliorum periphrasis sit: ubi rustici, finita agricultura, ad compita aratris suspensis, magna animi relaxatione, Laribus, quæ in compitis celebrantur, sacrificabant, et genialiter vivebant. Casaub. censet, Persium hic tangere ritum aliquem compitaliorum, cujus ignoratione, obscura nobis esse ipsius verba.—*Jugum*] Ligneum instrumentum quo junguntur et coarctantur boves. Solebant autem juga et aratra fracta, quasi elaborati et emeriti operis, Diis Laribus dedicare, et ad compita adfigere.—*Pertusa, &c.*] Compita sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant. Merito *pertusa;* quia per omnes quatuor partes pateant; vel vetusta; vel compita non solum sunt in urbe loca, sed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes. In his juga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti et elaborati operis indicium. *Vet. Sch.*—*Pertusa*] Protrita, conculcata, vel per omnes quatuor partes patentia, et in multas vias secta. Ut in Quinta, *ramosa compita, πολύῤῥυμοι τρίοδοι.*—*Compita*] Ita dicta, teste Varr., ubi multæ viæ vel plura itinera competunt.—*Figit*] Suspendit. *Lubin.*

29 *Seriolæ*] Vasis fictilis, vel dolii, diminutivum, a *seria,* quod est terreum vinarium. Terentius: 'Serias omnes relevi.' Diminutivo utitur ad vasis parvitatem, et Vectidii sordes exprimendas.—*Veteris*] Et hoc Emphatice; quod non solum parvum vini cadum, sed ne veterem quidem, et in multos annos ob avaritiam servatum relinere audeat. *Limum* vocat picem: hac enim linebant dolia et serias. Picationis modum describunt Columella lib. XII. et alii. Inde *serias relinere,* quod noster: *deradere limum.* Casaub.

30 *Ingemit*] Ob avaritiam, tanquam rem magni sumtus faciat, tristi voce illud solemne pronuntiat.—*Hoc, &c.* Prosopopœia Vectidii avari, sibi suisque servis, ob appositam pultem et cæpe gratulantis, ut intelligatur quotidiana ejusdem victus tenuitas, et

sordes. Vide Brisson. *Hoc bene sit.* —*Tunicatum*] Cæpe quod multa involucra, tanquam tunicas habeat.—*Mordens*] Avide comedens, tanquam lautitias. *Lubin.*

31 *Farrata, &c.*] Pro pulte e crasso farre in olla cocta. Metonym. subjecti pro adjuncto. Alii *farratam* legunt. *Pueris, &c.*] Hoc est, Lætantibus, et pro magnis lautitiis habentibus, quod pultis offa satiarentur, die saltem festo: atqui paupertatis extrema erat meta, pultis offa loco panis vesci. Quid igitur istis diebus profestis? *Casaub.*

32 *Pannosam, &c.*] Egregia extreme avari descriptio; id est, Mucidam et spissitudine quasi cohærentem fæcem. Vel, quod fæces ejusmodi albis floccis tanquam panno obducantur.—*Morientis, &c.*] Id est, Jam deficientis et ipsa vetustate corrupti.—*Sorbet*] Avide, quasi Deorum potum et nectar. Turnebus lib. XXIX. cap. 23.

33 *At si, &c.*] At quoniam Vectidii avaritiam tam graphice depinxisti, non ægre feras, si alius eadem acrimonia in vitia tua inquirat.—*Unctus*] Precioso unguento et oleo perfusus. —*Cesses*] Ignavus ocium agis, et feriaris.—*Et, &c.*] Antiqui enim, ut superius dictum, ungebant se, et postea in sole vel ad ignem stabant, ut oleum corpus imbiberet. *Figere* ergo *in cute*, pro exhibere cutim ad Solem, cum diuturniore mora.—*In cute*] Ut illam jucundam, et nitidam, muliercularum more reddas. Turneb. lib. XII. cap. 4. et lib. XV. cap. 21. *Casaub.*

34 *Est prope*] Id est, Alius tibi proxime adstat, quamvis tibi ignotus, et de quo minime cogitaveris. Hic rursus ostendit homines ad aliena vitia cognoscenda valde promptos esse. —*Te subito, &c.*] Qui te latenter acerbissime increpet. —*Acre*] Pro acriter. *Lubin.*

35 *Despuat*] Exspuendo morum tuorum turpitudinem exsecretur, et detestetur.—*Penemque*] Est descriptio hominis Cinædi. Id est, Qui mores tuos et te despuat: te, inquam, hominem Cinædum, et Pathicum exsecrabilem, qui (ut amatoribus tuis glaber, lævis et imberbis pusio videaris) penem, et virile tuum membrum depiles, et reliqua lumbi et natium arcana et pudendas partes runces, et pilos inde radicitus exstirpes: et te universo populo Romano horrendo et nefario concubitu, contra naturam prostituas. *Lubin.*

36 *Runcantem*] Pilos inde stirpitus evellentem. *Runcare* enim significat proprie herbas inutiles, et frutices noxios evellere ex agro.—*Marcentes*] Horrendo illo concubitu putridas et contabescentes. Anum intelligit illa nefaria Venere attritum.—*Pandere*] Abutendas exhibere multitudini.—*Vulvas*] Podicem et anum, tanquam vulvas, et membra muliebria. *Idem.*

37 *Tu cum*] Reprehendit ipsum ulterius, demonstrans eum hominem esse turpissimum, argumento a repugnantibus. Quasi dicat: Cum natura virum te fecit, quare te ipsum effœminasti?—*Maxillis*] In mento et genis tuis.—*Balanatum*] Id est, Barbam tanquam *gausape*. Casaubonus, capitis comam per *gausape* intelligit. *Gausape* enim vestis militaris, et straguli villosi genus est, quo in castris utebantur.—*Balanatum*] Oleo, ex balano facto, vel oleo balanino inunctum. *Idem.*

38 *Inguinibus*] Inguina proprie pro pudendis virorum et fœminarum ponuntur: hic autem significant concavas illas partes utriusque pubi vicinas, cum ipsa pube, in quarum medio membrum virile, vel muliebre eminet. —*Curculio*] Pro virili membro. Sic autem dicitur caruncula illa vel columella, quæ in fine palati inter tonsillas dependet. Persius respicit ad curculionem vermem frumentis inimicum, qui se contrahens et extendens, membri virilis formam repræ-

sentat.—*Detonsus*] Ut amatoribus tuis mollis appareas.—*Extat*] Proëminet. *Lubin.*

39 *Quinque, &c.*] Sed frustra operam impendis. Quamvis enim vel quinque robusti palæstritæ et athletæ, pubis tuæ plantaria purgent, et ibi pilos et setas, tanquam inutiles herbas, evellant et runcent, et nates tuas assiduis balneis pene elixas et coctas, adunca et incurva forcipe labefactent, et assiduo dolore afficiant, et pilis spolient: non tamen illa pilorum plantaria et pili, tanquam filix in agro, multo aratro mansuescent, nunquam penitus exstirpabuntur, et eradicabuntur. *Idem.*

41 *Filix*] Herba agris maxime inimica.—*Aratro*] Nulla forcipe tanquam aratro penitus evellitur.—*Mansuescit*] Suam feram naturam deponit, mitescit et domatur. *Idem.*

42 *Cædimus*] Quasi dicat: Omnes in aliorum vitam et mores inquirimus, et in nostram rursus aliis inquirendi ansam præbemus: et ita hostes cædimus, et invicem ab illis vulneramur, et sagittis crura præbemus.—*Inque vicem*] Et invicem rursus.—*Præbemus, &c.*] Id est, Nostra membra et crura, nostram vitam et mores aliorum sagittis, calumniis et maledictis ferienda et proscindenda præbemus et exponimus. *Idem.*

43 *Vivitur, &c.*] Hoc modo, vel ratione.—*Sic, &c.*] Sic didicimus vivere, ut alter alterius vitam et mores carpat, ille rursus idem ab altero experiatur.—*Ilia*] Partes sunt imi ventris inter coxam et pubem positæ. Hoc loco intimos illos et abditos cordis animi recessus et penetralia intelliguntur. *Lubin.*

44 *Cæcum, &c.*] De gladiatoribus tractum, qui, accepto vulnere, inaurato balteo tegunt. *Vet. Sch.*—*Cæcum, &c.*] Hac igitur ratione interiorem tuam vitam cognovimus, et flagitia tua, quæ jam in publicum erumpere incipiunt, quamvis diu a te dissimulata, habemus nota. *Vulnus cæcum subter ilia*, appellat libidinem et flagitia clam solita a Nerone committi. *Casaub.*—*Sed lata, &c.*] Id est, Militare cingulum ex corio bubulo, bullis aureis late inductum, et exornatum. Duarum rerum hic symbolum est, potentiæ et divitiarum; quæ duo sunt vitiorum magna tegumenta. *Casaubon.*

45 *Protegit*] Tegit, abscondit, celat.—*Ut, &c.*] Concessio. Ut tibi libitum et complacitum est.—*Da, &c.*] Non aliis solum, quod facillimum, cum te non norint, sed tibi ipsi etiam.—*Decipe, &c.*] Esto, si ita vis: tu qui animo periculosissime ægrotas, pro sano te jacta et vendita. Id est, Nunc et temperantiæ et modestiæ laudem affecta.—*Decipe, &c.*] Translatum ab iis qui nervorum infirmitate laborantes et morbis articularibus, &c. sanos tamen se fingunt, quo liberius et Baccho et Veneri serviant. *Casaub.*

46 *Si potes*] Quasi diceret, Atqui non poteris; et dum aliis te verba dare putabis, dabis tibi: tandemque hujus stultitiæ tuæ pœnas meritas dignas lues: quod etiam evenit. *Casaub.*—*Vicinia*] Pro, Omnibus vicinis, id est, universus populus et cives. Dum adhuc la‹te›bant flagitia Neronis, omnes illum laudabant. *Lubin.*

47 *Non, &c.*] Famæ scilicet hominum de me. Omnes enim famam, pauci conscientiam curant.—*Viso, &c.*] Respondet jam Persius, et refutat hanc objectionem, vel hanc hominum famam, et testimonium. Et docet conscientiæ suæ, quam alienæ famæ potius credendum esse.—*Si palles*] Nummi desiderio. Si homo sordidus sis et avarus. *Lubin.*

48 *Si facis*] Id est, Si Cinædus, et Draucus es turpissimus et libidinosissimus, et libidini tuæ morem geris. *Lubin.* Si nullum est tam fœdum, tam obscœnum genus libidinis, quo te quotidie non inquines. *Amarum* dixit

propter amantium amara, quia vere πικρὸς ἔρως ajunt Poëtæ: vel, propter tristes casus, qui luxuriosis sæpe contingunt. *Casaub.* Turneb. lib. xv. cap. 3.

49 *Puteal*] Fœneratores ad puteal Scribonis Licinii, quod est in porticu Julia ad Fabianum arcum, consistere solebant. *Vet. Sch.*—*Si, &c.*] Non audiendus vir magnus qui *Puteal*, pro Tribunali et δικαστηρίῳ accipit. Immo de fœneratore exponendus. Ad Puteal Libonis consistebant Toculliones Romani, et qui argentum bonis nominibus et idoneo sponsu locare quærebant. De more autem fit, ut qui frequentes ad locum aliquem conveniunt, ibique diu desident, per otium sæpe dum aliud agunt et loquuntur, vel stylo parietem conscribillent, vel unguibus deradant, vel aliquid nugarum faciant. Hinc lepide dictum et ἐμφατικῶς, de fœneratore, qui totum diem ad Puteal constiterat, exspectans qui pecuniam accipere vellet, multa vibice eum Puteal flagellare. *Salmasius.* Plin. Exerc. Turnebus lib. xiii. cap. 5.—*Cautus*] Acutus, et callidus, cui debitor non facile imponat.—*Puteal*] Pro debitoribus qui ad fœneratores ad Puteal conveniebant; quod locus erat Romæ, ut ait Varro, in porta Basilica, juncta curiæ Hostiliæ, non procul ab arcu Fabiano.—*Multa, &c.*] In debitorum obæratorum bonis et fortunis ejusmodi cicatrices et vulnerum vestigia relinquis, quæ non facile postea integritati queant restitui. Est enim proprie *vibex*, cicatrix et vestigium, quod relinquit scutica. *Lubin.*

50 *Nequicquam*] Si tibi ipse vitiorum et flagitiorum conscius es, frustra assentatorum vocibus aures accommodaveris, ut illis potius quam tibi de te credas.—*Populo*] Falsas tuas laudes prædicanti.—*Bibulas*] Hoc est, avidas laudationis, quia ἥδιστον ἀκρόαμα ἔπαινος. *Casaub.*—*Donaveris*] Exhibueris, porrexeris. *Lubin.*

51 *Respue*] Claudit jam Satyram Epiphonemate proverbiali. Id est, Quicquid fama hominum et populus de te loquitur et sentit, et quicquid tu non es, nec in te non habes, nec agnoscis, illud respue, et repudia, nec pro tuo agnosce. Alii legunt *respice*, sed minus bene.—*Tollat, &c.*] Laudes immeritas vocat *munera* assentatorum: ipsum nominat *Cerdonem*: quia parasitum agere, et per assentationem laudare, proprium est abjecti hominis et nullius rei. *Casaub.*—*Cerdo*] Proprie artifex sordidus, qui omnibus rationibus lucrum quærit, ἀπὸ τοῦ κέρδους. *Lubin.*

52 *Tecum, &c.*] Egregia et Persio digna sententia, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ. Sic Sat. i. 'Nec te quæsiveris extra.' Nosce quam sis præsidiis necessariis ad vitam bene agendam, et administrandam Rempub. destitutus. *Casaub.*—*Curta*] Metaphora ab angusta re familiari, ad inopiam virtutum, et quanta veræ laudis tibi sit penuria. *Lubin.*

SATIRA V.

1 *Vatibus*] Hujus Satyræ duæ sunt partes: Prior Encomiastica; qua Cornuti præceptoris Persii Encomia continentur; altera Satyrica, qua captata ex elogio Cornuti occasione, de vera servitute et libertate ex sententia Stoicorum egregie disputat, et demonstrat omnes stultos servos esse, omnes sapientes liberos.—*Hic mos est*] Ut Poëtæ res grandes scripturi, centum ora, linguas et voces sibi dari postulent, sic ergo mihi, ut præceptoris mei elogia digne describam, et amorem meum declarem. *Lubin.*—*Centum voces*] Scio solere Poëtas, etiam in rebus nihili, aut certe non adeo magnis, de infantia sua queri, quasi magnitudine subjecti obruantur, et centum linguas, centum voces sibi optare: ego vero de te scripturus, Cornute, opto quidem mihi centum linguas, &c. *Casaub.*

2 *In, &c.*] Grandia et sublimia condenda, quibus sublimis materia digne exprimatur. *Lubin.*

3 *Fabula*] Id est, Tragœdia. Sive carmen Tragicum sive Heroicum conditurі sint, centum ora, linguas et voces sibi expostulant.—*Ponatur*] Scribatur.—*Hianda*] Magno spiritu et grandi hiatu pronuncianda. Quia Tragœdia constat altiloquo stylo.—*Mœsto*] Ad naturam Tragœdiæ respicit, cujus cum luctuosus sit exitus, Tragœdus quoque mœstus ac tristis inducitur. *Lubin.*

4 *Vulnera*] Quæ aut ipse accepit, aut aliis intulit. Vel, cruenta bella cum Parthis, qui etiam letifera tela ab inguine educunt, et fugientes in hostem retorquent. Vel *Vulnera*, pro Bello, in quo vulnera figguntur.—*Parthi*] Ferocissimi in Oriente populi a Scythis oriundi, ab Augusto demum devicti. In quo bello describendo multi procul dubio intenti fuere.—*Ducentis*] Id est, Extrahentis ab inguine percusso.—*Ferrum*] Pro sagittis ferreis.

5 *Quorsum, &c.*] Miratur enim Cornutus, cum humilem tantum Satyram Persius conscribat, quod tanquam Epica et Tragica tractaturus, tot ora et linguas sibi exoptet.—*Quorsum hæc*] Subaudi: Dicis.—*Quantas, &c.*] Id est, Tumores, globos, ampullas. Dicitur in vituperationem operis, quod nimium turgescat, et tumeat. Quidquid enim intumescit, *offa* dicitur. *Lubin.*—*Offa, &c.*] Est carmen non deductum, et crasso filo compositum, ampullatum, turgidum atque inelaboratum. *Casaub.*

6 *Ingeris*] Infers, paras, aggregas.—*Ut, &c.*] Ut æquum, et necessarium sit te centum linguis, oribus, vocibus niti, et adjuvari. *Lubin.* Quidam *gurgite*. *Niti*, pro Habere, fultum esse. *Casaub.*

7 *Grande, &c.*] Quicunque grande, tumidum, et inflatum poëma Tragicum, ut Procnes et Thyestæ cœnam, aut Epicum locuturi aut scripturi sunt Poëtæ; illi demum in monte Helicone, Musis sacro, vanos spiritus, nebulas, fumos, nugas, et inania Poëtarum figmenta fumis et nebulis similia legunto, et captanto. Turneb. xx. 1. *Lubin.*

8 *Si, &c.*] Sensus est: Si cui Tragœdia Procnes aut Thyestæ describenda sit quam Glycon Tragœdus in theatro agat.—*Procnes.*] Nota fabula ex 6. Metam. Illa ut vim Philomelæ

sorori a Tereo marito turpiter illatam vindicaret, filium suum Itym coctum patri in cibum apposuit.—*Thyestæ*] Vide Senecæ Tragœdiam.—*Olla*] Cibus in olla coctus, et appositus. *Lub.*

9 *Fervebit*] Intumescet, et ebulliet. Vel maxima animi concitatione describenda est.—*Cœnanda, &c.*] Glycon Tragœdus populo mire placuit: et ideo a Nerone manumissus est, datis Virgilio Tragœdo domino ejus, pro parte dimidia, quam possidebat, sestertiorum terceutis millibus. Hic fuit staturæ longæ, fusci corporis, labio inferiori demisso: antequam subornaretur deformis: nescius jocari, propter quod eum insulsum Persius dixit. *Vet. Sch.*—*Sæpe, &c.*] Qualis fervens, et ebulliens olla insulso et fatuo illi Tragœdo Glyconi sæpe cœnanda, agenda et repræsentanda est. *Lubin.* *Cœnare* hic est agere fabulam cupiditate cœnæ sive mercedis, unde se ipse alat.

10 *Tu, &c.*] Id est, Tu materias mediocres conscribis, nec cum scribis, inflas te ut follem. *Lubin.* Id est, Tu non et ambitione tumidus, sicut folles concepto vento tument, ab illa impelleris ad scribendum. *Casaub.* Porro *anhelanti*, ad *folle* referendum, quod illa crebris singultibus ventum spiret.—*Coquitur*] Allegoria a ferrarii fabri officina, in qua ferri massa agitatione follium ignescit, et emollitur; id est, Non scribis Tragœdiam, cujus pronunciatio multum spiritus requirit. *Lubin.*

11 *Ventos, &c.*] Ventosum, inflatum et turgidum carmen, tumido ore pronuncias.—*Nec, &c.*] Graphice illos depingit, qui Poëmata grandia moliuntur: interim enim dum cogitant, non cogitantes et imprudentes raucum sonum et strepitum inepta voce edunt, quod hoc loco *inepte cornicari* vocat.—*Clauso, &c.*] Rauco, confuso et absono sono.—*Raucus*] Voce enim submissiore et depressa utuntur. *Lubin.*

12 *Grave*] Sublime, tumidum, ut Tragicorum meditata.—*Cornicaris*] Garris, et cornicum more obstrepis, et obmurmuras. Vel *cornicari* est solum ambulare more cornicis. Virgil. 'Et sola in sicca secum spatiatur arena.' *Casaub.*—*Inepte*] Adverbialiter, non vocandi casu. *Lubin.*

13 *Nec sclopo*] Nec inter recitandum inflatas, et tumidas buccas rumpere studes, et intendis. Est autem *scloppus* sonitus ex buccarum inflatione erumpens: Casaubonus legit *stloppo* vel *stlopo.*—*Intendis*] Proponis. Id est, Non talia scribis, quæ ventosis et inanibus verbis inflata sunt.

14 *Verba, &c.*] Toga est purum pallium, forma rotunda et fusiore, atque inundante sinu: desub dextro veniens; super humerum sinistrum ponitur; cujus similitudinem in operimentis simulacrorum, vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas vocamus. Toga vero Romani in pace utebantur, in bello paludamentis. Mensura togæ justæ senas ulnas habebat. *Vet. Sch.*—*Verba, &c.*] Sed tu, o Persi, vegrandia illa et tumida vanorum Poëtarum adspernaris et aversaris, et *verba togæ*, quibus in communi, populari, et quotidiano utimur, sequeris et imitaris. Vel, Quibus utuntur oratores in foro.—*Verba, &c.*] Paci convenientia, non bellorum formidabiles eventus.—*Callidus*] Acutus, ingeniosus.—*Junctura, &c.*] Allegoria a marmorariis, qualis fuit Sat. I. 'Et per læve severos Effundat junctura ungues.' *Lubin.*

15 *Ore, &c.*] Verba togæ scilicet, quæ acri junctura sequeris, et modico ore teris, id est, non plenis et nimis inflatis buccis, sed ore modesto, et non nimis turgido sermone.—*Teris*] Expolis.—*Ore teres, &c.*] *Teres* scribimus cum membranis Jac. Bongarsii. *Teres* enim *oratio*, Horatio est, 'ore rotundo loqui.' Sin vero *teris*, legas: erit *ore terere verba*, idem

ac loqui, verba usurpare sive scribendo, sive loquendo. *Casaub.*—*Pallentes*] Sensus est: Tu, Persi, didicisti Satyram scribere, et doctus es, virtutem et sapientiam, ejusque majestatem commendare, et mores hominum pravos et ob malam conscientiam pallentes et trepidantes radere, mordere, et insectari. Sic Horatius: 'Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.' —*Radere*] Perstringere, notare. *Lubin.*

16 *Doctus*] Ingeniosus: et potest esse Particip. pro διδαχθείς.—*Et ingenuo*] Aliorum culpam et crimina, non petulanter et rustice, sed ingenuo, liberali et urbano joco et salibus defigere et notare, quasi ridens ludensque vitia carpere.—*Defigere*] Notare, vel potius ferire, et transfodere. Salibus et acrioribus jocis, ceu colaphis petere. *Casaub.*

17 *Hinc, &c.*] *Hinc* ex corruptis et depravatis hominum moribus, tuæ Satyræ convenientia deprome; et illas tragicas materias, cœnam et mensas Thyesteas et Procnes, cum capite et pedibus, aliis grandibus et tumidis Poëtis relinque.—*Relinque, &c.*] Ne sume tibi Tragœdiam, quæ describit mensam, in qua caput et pedes, et reliqua membra filiorum, patri Thyestæ in cibum apposita fuere.—*Mycenis*] In civitate Laconiæ, ubi Atreus Thyestæ fratri, filium epulandum patri apposuit. Alii legunt *Mycenas*, quod esset pro *Mycenæas*. Lubin.

18 *Plebeiaque*] Quicquid ad vitam communem et populum emendandum spectat. Omitte ergo argumenta tragica et omnem orationis vanum tumorem. *Casaub.*

19 *Non, &c.*] Respondet Persius jam ad Cornuti sui præceptoris objectionem. Non hoc ago, ut centum ora et linguas nactus, grandia, et sublimia deliramenta Poëtarum describam.—*Bullatis*] In modum bullæ inflatis, et turgidis, sed inanibus. *Lubin.* In Mss. quibusdam legitur *pullatis*: pullatæ nugæ, quæ *pullatis* et vilis popelli judicio sint probandæ. Nec male vetus interpres, quisquis ille fuit, de tragicis argumentis interpretatur; semper enim in tragœdiis reges pullati, hoc est, mœsti, et aliquo ingenti casu tristes inducuntur. *Casaub.*

20 *Pagina, &c.*] Carmen. *Dare, &c.*] Quæ pagina fumum et res leves et vanas extollat. Turneb. xx. 1.

21 *Secreti, &c.*] Hæc non omnibus, sed tibi dico. Ne scilicet quis existimet me aliquid auribus tuis daturum, et te coram aliis laudaturum, quod adulationis speciem haberet.—*Tibi, &c.*] Sensus est: Intima pectoris mei penetralia tibi, o Cornute, idque Musa exhortante et instigante, nunc excutienda et exploranda exhibeo, meque tibi totum pando et aperio.—*Camœnæ*] Musæ, quasi castæ mentis præsides. *Lubin.*

22 *Excutienda*] Examinanda, inspicienda. *Præcordia* pro animo.—*Quantaque, &c.*] Sententia a Pythagora tracta, dimidiam animæ suæ partem dicit Cornutum, ut Horatius Virgilium: 'Et serves animæ dimidium meæ.' *Vet. Sch.* — *Quantaque, &c.*] Quantum ego tuus sim, ut demonstrem, huc mihi tot ora, tot voces et linguas exopto.

23 *Cornute*] Fuit Philosophus Stoicus, Persii præceptor, quarto post Persii mortem anno a Nerone in exilium pulsus. *Lubin.*

24 *Ostendisse, &c.*] Quam vere amice erga te adfectus sim. — *Pulsa, &c.*] Quasi dicat: Si minus hæc credis, tantum fac modo periculum, et explora, qui satis doctus es, fictum amicum a vero discernere.—*Pulsa*] Allegoria ab illis, qui tinnitu et pulsu, fictilium integritatem explorant. — *Dignoscere, &c.*] Satis doctus, et peritus dignoscere, et discernere. *Idem.*

25 *Solidum, &c.*] Quod integrum et sincerum sonet. Fictilium enim so-

nus si rimosa sint, surdus et raucus: sin sincera, acutus.—*Et, &c.*] Altera allegoria ab expolitionibus parietum, quibus opus tectorium ad ornamentum illinitur.—*Tectoria*] Tegumenta, et fucati colores. *Idem.*

26 *Hic, &c.*] Finis et consilium voti hic exprimitur. Ut nimirum, quanto amore intimo præceptorem suum prosequatur, pura et non fucata oratione, eloqui et proferre possit.—*Hic*] Ob hoc, vel ob hanc causam. *Lubin.* Alii legunt, *his;* Ad ista, ad declarandum meum in te animum et judicium de te. *Casaub.*

27 *Sinuoso, &c.*] Hoc est, In omnibus etiam intimis animi recessibus. *Casaub.*—*Fixi*] Firmiter, et nunquam inde exstirpandum inserui. *Lubin.*

28 *Voce, &c.*] Candida, sincera. Respicit ad illud superius, 'pictæ tectoria linguæ.' *Lubin.*—*Traham,* In publicum proferam et palam faciam. *Trahere* pro dicere. *Casaub.*—*Totumque, &c.*] Id est, Universum hoc quantum quantum est.—*Resignent*] Aperiant, ex operto in apertum proferant. *Lubin.*

29 *Quod*] In arcanis cordis mei penetralibus, et jecoris fibris, latet, et absconditum est: quamvis id nulla orationis vis possit exprimere. Quocirca *non enarrabile* dicit, magnitudinem amoris exprimens. *Idem.*

30 *Ut, &c.*] Hactenus quasi præfatio et prælusio, qua amorem suum erga Cornutum præceptorem declaravit. Jam hujus amoris causas explicat, et beneficia Cornuti in se collata enumerat. Describit autem primo tempus, quo se præceptori Cornuto instituendum tradidit.—*Pavido*] Ob ætatem, metum, et magistrum. Nam ad annum ætatis 14. usque sub disciplina præceptoris erant. *Lubin.*—*Custos, &c.*] Quando primum posui *purpuram,* id est, togam prætextam, quæ puero mihi, pro custode fuit. Ea enim vestis sacra habebatur, dicebaturque ἡ ἱερὰ ἐσθής. Quare qui purpura utebantur, eo ipso nomine venerabiles et sancti habebantur: ut si quis contumeliæ causa purpura insignitos attrectasset, non hominum tantum, sed et Deorum jura violasse intelligeretur. *Casaub.* *Prætexta* autem erat genus vestimenti oblongum, et talare, quod nobiliores pueri cum bulla gerebant, ad annum ætatis 16. —*Cessit*] Abiit, deposita est, locum dans virili togæ.' Vide Macrob. Sat. I. 6.

31 *Bullaque*] Erat bulla aurea insigne puerorum prætextatorum, cordis figuram referens, inque pectore dependens. Cum autem prætextam deponebant anno 16. ætatis, hanc bullam Diis domesticis consecratam solebant adfigere, ut virgines nupturæ pupas suas Veneri.—*Succinctis, &c.*] Quia Gabino habitu, cinctuque Dii Penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo. *Vet. Sch.*—*Succinctis*] Canina pelle velatis et succinctis, supra humerum sinistrum, dextro humero nudo. *Lubin.*

32 *Cum, &c.*] Cum assentatores et similes, juvenum latera cingere solent, nudata a pædagogis, qui erant comites ingrati.—*Totaque, &c.*] Cum toga libera et virilis assumpta, dat potestatem, amori, si ita lubeat, indulgendi: et toto illo infami Suburræ vico, quærendi Lesbiam aliquam vel Laidem. *Casaub.* Turn. xx. 1.—*Suburra*] Vicus Romæ in antiqua urbe nobilissimus, ubi meretricum diversorii erant, quæ hic *Suburranæ* dicuntur. *Lubin.*

33 *Candidus umbo*] Συνεκδοχικῶς pro toga. Alioquin et in prætexta candidus umbo est. *Vet. Sch.*—*Candidus umbo*] Toga virilis alba erat sine purpura. *Umbo togæ,* est centrum plicarum in toga: sic enim lautiorum toga componebatur, ut corrugata in multa πτύγματα, clypei speciem præberet: cujus centrum proprie appellatur *umbo.*—*Sparsisse, &c.*] Omnia

impune perlustrare et pervagari. *Casaub.* Turneb. xx. 1.

34 *Cumque, &c.*] Respicit ad fabulam Herculis Prodici. Vide Cicer. 1. offic. et Xenoph. 2.—*Ambiguum*] Ubi nimirum ambigitur, quæ via insistenda sit. — *Ambiguum*] Quod animos distrahit et ambiguos reddit. — *Et vita*] Quasi viæ nescius error. Descriptio juvenilis ætatis, in qua maxima consilii imbecillitas. *Lubin.* Error seu ignoratio eorum, quæ sunt necessaria ad vitam bene instituendam. *Casaub.*

35 *Deducit*] Illa enim ætate certum vitæ genus eligendum.—*Trepidas*] Alternantes, modo hoc, modo illud capessentes, dubias, incertas.—*Ramosa, &c.*] In bivium duorum ramorum, virtutis et vitii, in litera Y Pythagoræ expressorum. *Ramosa* respicit ad Y, quæ duos quasi ramos arbor habet.—*Compita*] Sunt bivia, de quibus dictum Sat. præcedenti. *Lubin.*

36 *Me, &c.*] Illa ætate me tibi supposui, meque tibi instituendum exhibui.—*Teneros annos*] Pro, Persio in teneris annis, et ætate tenera constituto. *Lubin.*

37 *Socratico sinu*] Suscipis me fovendum in sinu tuo, qui es Socraticus Philosophus: quare *Socraticus sinus* est institutio in morali philosophia.—*Tunc, &c.*] Tunc disciplina tua, qua me imbuisti, direxit pravos meos mores sensim; atque ita, ut asperitatem novæ disciplinæ vix ullam sentirem. *Casaub.* Salutaria virtutum præcepta, velut solers et accurata vitæ humanæ regula, demonstravit, intortos et pravos mores fallere, et in errorem et exitium inducere.—*Solers.*] Ingeniosa. *Lubin.*

38 *Apposita*] Metaph. a fabrorum norma vel regula; id est, Recta tua regula adposita, demonstravit curvos mores non esse rectos, et fallere, et a recto aberrare.

39 *Et, &c.*] Certissimum enim profectus documentum, ubi quis sibi ipsi imperare incipit, et appetitus vel animus subjicitur.—*Premitur*] A recta ratione subjugatur.—*Animus*] Hoc loco pro Ira et aliis affectibus ponitur. *Lubin.*—*Vincique, &c.*] Recte *laborat*: est enim labor ingens et certamen arduum, quando vitia domare nititur. *Casaub.*

40 *Artificemque tuo*] Animus meus rudis et informis, sub tua disciplina et institutione, tanquam sub pollice, et manu artificis, artificiosum vultum ducit, et suscipit. *Lubin.* Animus *ducere vultum* dicitur, quando bonis moribus informatur: quorum persæpe dat significationem vultus. *Casaub.*—*Artificem*] Arte factum, vel magna cura atque arte elaboratum. Mallem legi *artificis.*—*Sub pollice*] Sub institutione et informatione tua. *Idem.*

41 *Tecum, &c.*] Sensus est: Quin etiam, o Cornute, quotidiana consuetudine et familiaritate adeo conjunctissime tecum vixisse memini, ut etiam longos dies colloquiis familiaribus tecum contriverim. *Idem.*

42 *Et, &c.*] Nec diurno solum tempore tibi adesse memini, sed sæpe tecum cœnare, et inter epulandum primas noctis partes et horas decerpere. *Lubin.*—*Primas, &c.*] Convivia paulo ante noctem, hoc est, post horam decimam a sobriis adibantur, et in primam noctem protrahebantur. *Primas* itaque *noctes*, sive unam aut alteram horam noctis, cibo sumendo impendebant.

43 *Unum, &c.*] Id est, Iisdem studiis exercemur, eodem ocio fruimur. Eadem studia uterque appetimus, et aversamur. *Casaub.*

44 *Atque, &c.*] Id est, Honestis et modestis ad mensam sermonibus, jocis et salibus, seria illa et severa graviorum studiorum, laxamus et temperamus. *Lubin.*

45 *Non, &c.*] Sensus est: Non dubito quin arctissima, atque adeo fa-

talis hæc sit animorum conjunctio, et occulto aliquo stellarum fœdere amborum natales dies consentire, convenire, et ab uno eodemque sidere, et stellarum conjunctione et inclinatione provenire et deduci.—*Amborum*] Tui et mei. Effectis colligit, utrumque sub eodem sidere natum esse, cum utriusque sit eadem fortuna, idem studium, ac proinde idem quoque nascentis horoscopus. *Idem.*

46 *Uno, &c.*] Una stellarum dispositione, quæ utrique communis sit. Sive sub Libra, sive sub Geminis, vel quocunque alio sidere nati simus, hoc unum constat, nos cujusdam sideris beneficio certa morum qualitate conjungi. *Idem.*

47 *Nostra, &c.*] Hoc secundum Astrologos dicit. Et hic sensus tractus est ab Horatio: 'Seu libra, seu me scorpius aspicit.' *Vet. Sch.*—*Nostra, &c.*] Tempora nostra in diversas libræ lances imposita: ad æqualitatem animorum demonstrandam, eligit sidera æqualia, ut Libra et Gemini. Plures sunt constellationes quæ inter se homines jungunt; sed duæ illæ præcipuæ, quarum hic fit mentio. *Casaub.*—*Libra*] Æqua lance, et libratione suspendit, trutinavit, et æquavit.—*Tempora*] Nativitatis, vel conceptus potius. *Lubin.*

48 *Parca*] Pro fato ponitur.—*Tenax, &c.*] Id est, severa et immutabilis. Horatius: 'Parca non mendax.' —*Seu, &c.*] Ita dicit ex opinione Astrologorum, qui censent, horam illam qua Gemini oriuntur, fidelissimis amicis nascendis maxime accommodatam. *Lubin.*

49 *Dividit, &c.*] Vitas et studia nostra, quæ ex fatis dependent, inter se æqualia, in Geminos dividit, ut quamvis diversis temporibus, sub eodem tamen sidere nati.—*Distribuit*] Dividit, et ad Geminos consulto derivat, vel dividendo conjungit.—*In Geminos*] Ambigue et ingeniose. Potest enim non solum ad sidus cœleste transferri, sed etiam ad Persium, et Cornutum.—*Concordia*] Inter se convenientia. *Lubin.*

50 *Saturnum*] Sive denique Saturni gravitatem, et inclementiam, Jovis benignitate et clementia una frangimus, et pariter mitigamus.—*Graven*] Maleficum.—*Nostro*] Nobis propitio: est enim ἀγαθοποιὸν, ut Saturnus maleficus. Apud Firmicum sæpe legas, Saturnum radiationibus Jovis mitigari. *Frangere* et *temperare* Astrologorum voces, in eam rem usitatæ, cum sinister affectus unius sideris, impeditur contraria vi alterius. *Casaubon.*

51 *Nescio, &c.*] Vel, Certe hæc signa, hanc tantam inter nos amicitiam conciliarunt: vel, Certe aliquod aliud, nam omnium aliquod sidus est, unde nostræ amborum voluntates studiaque pendent, et inter se adeo amice mutuo conspirant.—*Temperat*] Miscet, conjungit, συγκολλᾷ. *Casaubon.*—*Astrum*] Sydus proprie ex pluribus stellis. Interdum tamen et pro una stella ponitur. *Lubin.*

52 *Mille, &c.*] Et Horatius: 'Quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia.' Et Terentius: 'Quot capita, tot sententiæ.' *Vet. Sch.*—*Mille, &c.*] Sensus est: Tu studium Philosophiæ tantum sequeris, cum alii aliis studiis detineantur. Tibi unum sapientiæ studium arridet.—*Species*] Sunt proposita vitæ, artes vel scientiæ, quas homines profitentur: 'Quot capita tot sententiæ, suus cuique mos est.' —*Et, &c.*] Varius et diversus. Cum varii variis rebus in vita exerceantur. Intelligit artes diversas ac scientias, quæ circa res versantur. *Lubin.*

53 *Velle suum, &c.*] Et Virgilius: 'Trahit sua quemque voluptas.' *Vet. Sch.*—*Velle suum*] Id est, Unusquisque sua voluntate ac studio ducitur. —*Nec, &c.*] Non omnes unum et idem voto optant, et desiderant. *Lubin.*

54 *Mercibus*] Hic mercaturam exercet, et in Oriente suas merces Italas

aliis mercibus permutat.—*Mutat*] Antiquorum morem respicit, ubi mercimonia permutatione mercium constabant.—*Sub, &c.*] Et hic sensus ab Horatio tractus: 'Hic mutat merces surgente a sole.' *Vet. Sch.*—*Sub, &c.*] Sub Sole surgente et oriente. Cum enim oritur Sol recens, adhuc, et quasi novus est. In India scilicet Orientali. *Lubin.*

55 *Rugosum, &c.*] Solis enim calore tostum, et arefactum, rugas contrahit.—*Et pallentes*] Vel quia, id pallidum est: vel quia, qui id bibunt pallescere faciat. Cuminum sativum Æthiopicum intellige et Ægyptium. *Casaub.* — *Cuminum*] Pro omnibus aromatibus, quæ in oriente oriuntur. *Idem.*

56 *Hic, &c.*] Alius delectatur luxu et voluptate, et genio indulgere, et plenus ac satur humectante et irriguo somno turgescere, et pinguis fieri, et cutem potius curare, quam opes congerere mavult.—*Irriguo*] 'Ενεργητικῶς, qui irrigat seu humectat.—*Turgescere*] Translatum a plantis, quæ irrigatæ crescunt; ita homines somno dediti solent turgescere ac præpingues fieri. *Casaub.*

57 *Hic, &c.*] Ludis et certaminibus campestribus, quibus in campo Martio trans Tyberim exercebantur. *Indulget campo:* hoc est, multus est in campo et eo oblectatur. *Casaub.* Turn. xx. 1.—*Hunc, &c.*] Alium infamis illa alea juvat, et sua bona lusu aleæ decoquit et consumit. *Lubin.*—*Ille, &c.*] Alius voluptati Venereæ indulget.

58 *Putret*] Quod libidine resolvatur, enervetur, et quasi putrescat et corrumpatur: nam putredo est φθορά. Turnebus XVIII. 27.—*Sed, &c.*] Quis sit voluptatum fructus ostendit: luere nempe senes eorum pœnas, quæ peccaverint juvenes. Quare mox juvenesque senesque hortatur, ut petant a Cornuto *miseris viatica canis*, hoc est, certam rationem ita vitam instituendi, ut senes facti, nulla propter prioris vitæ peccata perpetiantur incommoda. *Casaub.*—*Lapidosa*] Id est, Tartarea. *Tartarus* enim articulos, et ossa invadit, et est materia calculosa et gypsacea, qualem dentibus interdum abradimus.—*Chiragra*] Morbus ille in articulis manuum chiragra, pedum podagra dictus. *Lubin.*

59 *Fregerit*] Dissolverit.—*Articulos*] Juncturas, et membrorum nodos.—*Veteris, &c.*] Brevis similitudo, a vetustis arboribus, cujus rami jam arescere, frangi et decidere incipiunt. *Idem.*

60 *Tuo, &c.*] Antapodosis. Tunc sero ingemiscunt dies vitæ suæ crassos, obscuros, caliginosos et torpentes jam præteriisse, et præterita sua studia ac vota damnant.—*Crassos*] Intelligit autem obscuram et ingloriam vitam, quam nocti et morti similem egerunt. Vel tempus intelligit, in aëre crasso actum: qualis est aër vaporariorum, et omnium locorum, quos Sol suis radiis non illustrat. *Casaub.* —*Lucemque, &c.*] Vitam veluti nubilo involutam, qualis eorum est, qui vivi mortui sunt. Et *lux palustris*, opponitur Soli puro, quo fruuntur, qui in illis voluptuosis locis non morantur. *Casaub.*

61 *Et sibi*] Gravi pœnitentia afficiuntur, ob vitam anteactam.—*Seri*] Nomen pro adverbio; *Sero*, dicit: nam elapsa revocari nequit. *Lubin.*

62 *At te, &c.*] Sensus est: At tu, o Cornute, vitæ ac studiorum tuorum longe aliam subductam rationem tenes; quem juvat humanioribus disciplinis, dies et noctes immori et immorari.—*Te*] Emphatice: Qui longe alia quam vulgus tractes.—*Nocturnis, &c.*] Libris Stoicorum, quos nocturno etiam tempore evolvis. Sic Horatius: 'Vos exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna.'—*Impallescere*] Nocturnis vigiliis et studiis pallorem contrahere. *Lubin.*

63 *Cultor, &c.*] Tu enim juvenum

præceptor, cultor et informator, illorum aures ab omnibus sordibus et opinionibus purgatas, fruge Cleanthea, et Stoica disciplina inseris et implantas. *Lubin.*—*Purgatas, &c.*] Colis, inquit, juvenum animos: atque, ut peritus colonus, primum a vitiorum sentibus eos purgas; deinde fruge inseris moralis Philosophiæ Stoicorum. Pro animo *aures* nominat, quia auditu doctrinæ percipiuntur.—*Inseris, &c.*] Variata per hypallagen locutio: non enim arva serimus in fruge, sed frugem in arvis. Sic et auribus fruges, id est, disciplinæ inseruntur, non frugibus aures. *Cleantheam* dixit, pro Stoica. *Casaub.* Fuit Cleanthes Phanis filius, Zenonis, cui successit, auditor. Hujus diligentia abiit in proverbium. Nam ubi quid summa cura et industria elaboratum significamus, ad Cleanthis lucernam elaboratum dicimus. *Lubin.*

64 *Petite*] Sensus est: Vos omnes, quibus vita et salus curæ est, quicunque etiam estis, *hinc* ex sapientia, et quidem disciplina Stoica, certum finem, ad quem vestra dicta et facta spectent, diligite; et vobis senio confectis canisque, viatico hoc prospicite.—*Juvenesque, &c.*] Omnium enim et singulorum interest, ut sapiant. *Idem.*

65 *Finem*] Hoc enim cum primis Philosophia docet, ne jactemur, sed aliquid certi voto expetamus. Horatius: 'Certum voto pete finem.'—*Miserisque*] Senibus canescentibus. *Miseris*, quia senes nisi sapientiæ viatico muniti sint, miseri sunt futuri.—*Viatica*] Philosophiam et sapientiam. Alludit ad apophthegma Biantis: 'Certe optimum virtus viaticum.' *Lubin.*

66 *Cras, &c.*] Inseritur jam desidis cujusdam juvenis dialogismus, dicentis: Quod jubes, cras exsequar, et cras virtutis et sapientiæ studium serio, et sedulo capessam. *Idem.* Cum illud jam venit, ibi rursus idem quod se hodie facturum pollicebatur, cras fiet.—*Quid, &c.*] Quid? nimirum adeo me urges? Quasi magnum et immensum aliquod temporis spacium, a te petam? Nempe unicum tantum diem donas.—*Quasi, &c.*] Sic juvenes admoniti, ut vitia corrigant, studiaque virtutis et litterarum suscipiant, diem ex die ducunt; nam quia dies unus vitæ vel modicæ pars multesima est, ideo jacturam unius diei pro nihilo pendunt. *Casaub.*

67 *Sed cum lux*] Respondet Persius; Cum jam ex illo cras hodie factum, et lux illa altera, qua te incepturum promittebas, venit, tu nondum incipis, et aliud atque illud cras tibi postulas. *Lubin.*

68 *Cras, &c.*] Cras enim cum transit, jam heri esse incipit.—*Ecce, &c.*] Ut cras illud nunquam tibi hodie fiat. Sic crastina dies finem nullum habet.

69 *Egerit*] *Egerere* hic est de totius vitæ summa paulatim absumere: ut qui condita in penu per partes promunt. *Casaub.*—*Et semper*] Sensus est: Et sic per hoc cras, paullum tuæ vitæ, ac ætatis ultra, præterlapsum et præteritum erit, quod nunquam rursus adsequi possis. *Lubin.* Vel, Paulatim semper erit tibi ætas grandior, et propius ad metam acce des. *Casaub.*

70 *Nam, &c.*] Sensus est: Cras illud paullo ante prius vel ultra erit, et tibi nunquam apprehendi potest. Non magis quam rota in curribus posterior, priorem quamvis assidue sequitur, nunquam tamen assequitur. Quanto enim posterior magis progreditur, hoc prior magis præcedit.—*Temone sub uno*] Lignum est currus inter equos intermedium, jugum continens. *Lubin.*

71 *Canthum*] Ferrum, quo rotæ extremitates vinciuntur, et apsides muniuntur. *Idem.*

73 *Libertate, &c.*] Indicat, quidnam Philosophorum votum et illud adeo sit, quod Sapientiæ studio affectetur;

Nimirum, vera libertas.—*Libertate*] Animi scilicet, non corporis. Id est, ad libertatem homo, si verus homo es, adspires oportet.—*Non hac*] Non hac corporis libertate, quam per manumissionem etiam vilissima quæque mancipia consequuntur.—*Ut*] Id est, *ubi*, vel *cum*.—*Quisque, &c.*] Velina tribus numero aliarum tribuum accessit, et qui circa Velinum lacum habitabant, Romam translati sunt. Romæ autem erat consuetudo, ut qui ex manumissione cives Romani efficiebantur, in numero civium Romanorum frumentum publicum acciperent. *Vet. Sch.*—*Quisque, &c.*] Jam factus Publius, qui jam prænomen, utpote liber, adeptus est. Non soli liberi prænominibus utebantur. Servi autem cum liberabantur, solebant familiæ prænomen accipere, et consequebantur tria nomina, ut reliqui Romani liberi. Prænomen enim familiæ et patroni capiebant, et suum retinebant, et a fine *tribus* nomen solebat adjungi, ut P. Licinius Velina.—*Velina*] Solebant manumissi in tribus distribui, ut in Tarentinam, Stellatinam Fabiam, Velinam, et alias. Erat autem hæc tribus, vel circa Velinum lacum, aut Velinum collem. Est autem auferendi casus, id est, in tribu Velina. *Lubin.*

74 *Emeruit*] Meruit, nactus est, simul ac servitutem exuit, et servus esse desiit.—*Scabrosum*] Vile, asperum, vel etiam corruptum, qualia illa frumenta publica. Solebat autem civibus Rom. frumentum publice per tesseram dari, et quidem gratis in singulos modios, Publii Clodii beneficio. —*Tesserula*] Signo frumentario, quo exhibito frumentum a principe dabatur. *Lubin.*

75 *Heu, &c.*] Id est, Heu cives Romanos, veritatis steriles et inanes, ac a vero et recto alienissimos.—*Quibus, &c.*] Quos manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, et liberos confirmabant. Unde manumissio dicta, quod manu mitteretur. Quiritem autem singulariter abusive dixit, licentia Poëtica. Nam sicut pater conscriptus non dicitur, ita nec Quiritem dicere possumus. *Vet. Sch.*—*Quibus una*] Ratio, cum veritatis ignari sint. Id est, Quibus vel una vertigine pessimus quisque circumactus, et in gyrum ductus, Quiris et civis Romanus, redditur. *Lubin.*

76 *Vertigo*] Inter alios manumissorum ritus, fuit, quæ hic *vertigo* dicitur, Græcis περιδίνησις et περιστροφή; cum manumittendus dextra prehensus, a domino in orbem rotabatur: inde *circumagi*, pro liberari. *Casaub.* —*Hic, &c.*] Sensus est: Si hæc libertas vera est, quid obstat quo minus etiam vilissima quæque mancipia libera sint. Etenim hic Dama vilissimus est agaso, insulsus, stupidus, et mendax: simul dominus eum in gyrum circumverterit, et circumduxerit, a vestigio in ipso temporis articulo liber exit.—*Dama*] Pro quovis vilissimo servo.—*Non, &c.*] Ne trium quidem assium æstimandus, vilis, nihili.—*Agaso*] Est equorum vel asinorum agitator. *Lubin.*

77 *Vappa*] Proprie quod neque vinum, neque acetum est. Hoc loco pro insulso et insipido nebulone ponitur.—*Et, &c.*] Conjungit vitia corporis, vitiis animi, ut ipsum minoris, et denique nihili ostendat. Est autem *lippus* cui oculi fluunt. Turnebus xxvi. 14. pro improbo.—*In, &c.*] In re vilissima, ac nullius precii. Est proprie *farrago*, quadrupedum pabulum.—*Mendax*] Fraudulentus, perfidus, qui jumentorum cibariis se non temperet. *Lubin.*

78 *Verterit, &c.*] Subintellige *simul*, vel *ubi* in gyrum *verterit* et circumegerit.—*Hunc, &c.*] Damam, mancipium nequissimum.—*Momento, &c.*] Puncto illo temporis, quo turbo ille, vel gyrus, et circumactio fit, liber evadit. *Idem.*

79 *Marcus Dama*] Manumissis enim

prænomina dabantur, ut Marci, Publii, Quintii.—*Papæ!*] Est interjectio admirantis per Ironiam.—*Marco, &c.*] Quasi indignum hoc sit ejusmodi egregio viro credere non velle. Ironia vehemens, et sunt verba vilis parasiti, qui illorum uni turpiter adulabatur. *Casaubon.* Turnebus II. 19.—*Spondente*] Fidem suam pro alio interponente. *Lubin.*

80 *Marco, &c.*] Tune palles, et trepidas, et injustam sententiam exspectas judice tam sapiente et accurato? *Idem.*

81 *Marcus, &c.*] Est etiam testis Marcus noster, quem nemo unquam rejecerit.—*Assigna*] Potest etiam Marcus tabellas obsignare, et testamentum condere. *Idem.*

82 *Hæc, &c.*] Ironia. Hæc sine omni dubio est sola, genuina, et vera libertas, quæ nobis donatur, cum pilea accipimus. Illud porro pileum in Feroniæ templo raso capite induebant. *Pileus* autem libertatis indicium. *Idem.*

83 *An, &c.*] Sensus est: An quisquam alius liber est, vel liber etiam censeri potest, nisi ille qui sub nullius imperio et dominio, suo arbitratu vivit? *Idem.*

84 *Licet, &c.*] Assumptio syllogismi est, quam postea negat Stoicus.

85 *Bruto, &c.*] Qui et ipse liberrimus fuit, et populo Romano exactis Regibus libertatis auctor extitit.—*Mendose, &c.*] Respondet ad hunc syllogismum Persius. Propositionem admittit, adsumtionem negat. *Idem.*

86 *Stoicus hic*] *Hic, ὁ δεῖνα.* Vel ego Stoicus, et *hic* pro Ego: etiam de Cornuto ad quem scribit, potest accipi. *Acetum* pro acrimonia judicii. *Casaub.*—*Aurem, &c.*] Cujus aures mordaci aceto, accurata, et acuta disciplina, et ingenii sagacitate, lotæ, purgatæ ac eruditæ sunt. *Lubin.*

87 *Hoc, &c.*] Verba Stoici, vel Persii. Majorem propositionem accipio, et concedo: sed quod inde colligis, *quod tibi vivere liceat ut velis*, illud pernego, et cum tuum non sit, tu illud tolle. *Idem.*

88 *Vindicta*] Virga est, qua manumittendi a Prætore in capite pulsantur: ideo dicta, quod eum vindicat libertati. Masurius autem hic Sabinus legis consultus fuit: et Rubricas, vocat minium, quo tituli legum annotabantur. *Vet. Sch.*—*Vindicta, &c.*] Assumptionem liberti negarat Persius, quare ipsam probare Dama libertus adnititur ex adjunctis, quod vindicta prætoris liber pronunciatus, jam ut velit, et libeat, sibi liceat etiam vivere.—*Vindicta*] Pro genere illo manumittendi. Erat enim *virgula lignea*, qua caput manumittendi percutiebatur, cum his verbis: *Liber esto.* Dicitur autem *vindicta* a *vindicare*; id est, in libertatem asserere.—*Meus*] Liber, mei juris et arbitrii. *Lubin.*

89 *Cur mihi, &c.*] Hæc, ut dictum, de libertate civili intelligenda. *Lubin.*

90 *Excepto*] Omnia facere mihi licet, unico exempto, ne in leges peccem. Est autem hic *excepto*, non nomen auferendi casu, sed verbum.—*Masuri*] Masurium Sabinum JCtum intelligit, qui Tiberii tempore doctissimus et eques Romanus.—*Rubrica*] Pro Legibus, cujus initia minio, aut rubrica notabantur. Turneb. IV. 5.

91 *Disce, &c.*] Quando, quid vera libertas sit, ignoras; *disce:* sed ut discere possis, anilia deliramenta, adfectus, iram, et dolorem, qui veritati officiunt, tam diu depone, et exue.—*Naso*] Alludit ad canum naturam, qui corrugatis naribus iram indicant.—*Rugosaque, &c.*] Sanna, ut Sat. I. dictum, est nasi corrugatio. *Lubin.*

92 *Dum, &c.*] Tam diu illa depone, dum te meliora et veriora edoceo, et *veteres avias*, inveteratas, et diu conceptas animo opiniones, aniles ineptias, quas tanto tempore animo concepisti, et fovisti, tibi de pulmone, pectore et præcordiis, in quibus illæ altas radices egerunt, extraho et evel-

lo.—*Avias*] Quæ tanto tempore in animo ejus habitarint, ut jam aviæ censeri possint, et alias atque alias opiniones e se produxisse: vel, quas puer ex *avia* didicerit. Casaubonus per *veteres avias* intelligit opinionem nobilitatis et arrogantiam ventosam, cujus sedes in pulmone. *Lubin.*

93 *Non, &c.*] Refutat jam Damæ objectionem, quod non prætoris sit, hominibus stultis, sapientiam, et hominibus animo servis, libertatem animi concedere, sed sapientum et philosophorum. *Lubin.*—*Tenuia, &c.*] Scelera et majora flagitia vetant leges. *Officia rerum*, id est, servanda in rebus agendis, non docent leges nisi παχυμερῶς. Philosophi vero accurate explicant, quæ boni viri sint officia, in omni re etiam minima: puta victu, vestitu, aliisque etiam minutioribus. *Casaub.* Vel *tenuia*, quæ subtiliter et acute justum ab injusto, decorum ab inhonesto discernere possint. Turneb. xx. 1.

94 *Atque, &c.*] Id est, Artem et scientiam permittere, et concedere. Id est, Rationem qua aliquis sciat hac veloci vita recte uti. *Lubin.*

95 *Sambucam, &c.*] Longe citius et facilius sambucam, aut aliud quodvis Instrumentum Musicum, alto, prægrandi, et vasto alicui militum servo, et caloni (qui tamen Musicam nunquam didicit) aptaveris, et vel asinum lyræ et fidibus canendis aptum reddideris.—*Sambucam*] Nos nablium vel harpam vocamus: potest etiam intelligi de Machina bellica, quæ cytharæ in morem funibus intenditur, qua utebantur in expugnatione oppidorum.—*Caloni*] Calones militum servi, qui vallum, aquam et ligna ferebant: κᾶλον enim lignum significat. —*Alto*] Procero, longo, et bardo. Illi enim magni plerumque stupidiores. *Idem.*

96 *Stat, &c.*] Sensus est: Quia ipsa etiam humana ratio contra stat, et repugnat, et unicuique in secretam aurem tacite gannit, et insusurrat, ne illud facere cuiquam liceat, et ne quis illud tentet, quod ignorat, et nunquam didicit, et quod si quis tentet agere, illud agendo vitiabit. Est enim *gannio*, vulpium proprium. Hic pro secreto admonet, et in aurem immurmurat et insusurrat. *Lubin.*

97 *Quod, &c.*] Egregie dixit: Quod quis agendo contaminat, et fœdat, ut si Medicus fabrilia tractet. Ita etiam Prætor, si ipse forte stultus, stultis sapientiam conetur impartiri. *Idem.*

98 *Publica lex*] Publica hominum lex non scripta, sed nobiscum nata, et ipsa natura hoc fas, id est, hanc justitiam et æquitatem continet et unicuique dictitat; ut unusquisque artem quam didicit, exerceat.—*Continet*] In se complectitur. *Lubin.*

99 *Ut, &c.*] Naturæ gentium jure constitutum est, ut *debilis inscitia* cujuscunque artis imperitus, et propterea impotens ad illam exercendam: nam imperitia ἀδυναμία quædam est; *teneat vetitos*, id est, habeat pro vetitis ac sibi interdictis *actus* nempe, quos nescit. *Casaub.*—*Teneat*] Id est, contineat, inhibeat, et quasi remoretur; et malim, *Ut teneat*, substituere. —*Vetitos actus*] Sublimes, difficiles, tuis humeris et viribus majores, et ob ignorantiam tibi prohibitos et vetitos. *Idem.*

100 *Diluis, &c.*] Confirmat superiorem propositionem adhuc similibus ab arte medica, et navem agendi.—*Diluis*] Cum aliis pharmacis commisces et temperas.—*Elleborum*] Quo insanus vel ægrotus purgetur. Hic pro quovis medicamento ponitur.—*Certo, &c.*] Non ad trutinam, sed ad stateram retulit, quæ punctis et unciis signatur. *Vet. Sch.*—*Certo, &c.*] Metaph. a statera. Id est, debito pondere, mensura, et proportione, ad stateram examinata, ne plus minusve medicamenti, quam par est, ægroto propines.—*Compescere*] Temperare, corrigere, emendare. *Lubin.*

101 *Natura medendi*] Ars et ratio medicinæ. *Idem.*

102 *Peronatus*] Perone calceatus. Est autem pero genus calceamenti rustici. *Idem.*

103 *Luciferi rudis*] Astrorum, stellæ polaris, et Cynosuræ ignarus et imperitus: hic pro omnium stellarum cognitione ponitur.—*Exclamat*] Præ ira et indignatione.—*Melicerta.*] Fuit Inus et Athamantis regis Thebarum filius, qui, cum pater Athamas furiosus, matrem persequeretur, una cum matre se in mare præcipitem dedit, et miseratione Deum in marina Numina transmutati. Quasi ille ægre ferat suam ditionem, mare, ab rudibus adeo, et imperitis navigari.—*Periisse*] Remotum et ablatum esse. *Casaub.*

104 *Frontem, &c.*] Pudorem. Templum enim pudoris est frons. *Vet. Sch.*—*Frontem*] Id est, Pudorem. Hinc *perfricare frontem.* Id est, Pudorem et verecundiam removere.—*Tibi, &c.*] Sensus est: Si ars vitæ humanæ tibi recto talo vivere, id est, certo, excelso et erecto gradu in virtutis et honestatis via incedere, dedit, et concessit, liber es.—*Recto, &c.*] Metaph. ab illis qui non sunt Scauri, nec obtortis pedibus incedunt, ad animum. Græcis ὀρθοποδεῖν ἐν τῷ βίῳ. Est enim *talus* hic ima pars pedis, sive os quod juxta calcaneum extuberat. Turnebus XVIII. 12.

105 *Ars*] Ratio et Sapientia, ars vitæ humanæ.—*Et, &c.*] Id est, Ita verum a falso, bonum a malo discernis et dignoscis, ut falsa veritatis et vitia virtutis specie, nulla ratione te possint decipere tibique imponere. *Lubin.*

106 *Subærato*] Quod subtus vel interius æs loco auri habeat.—*Mendosum, &c.*] Id est, Non solidum crepat, sed maligne respondet percussum, ut Sat. III. dixit, et absurdum sonum edit. Ut et tu ita quid verum aut fictum, quid genuinum, et adulterinum, possis discernere et internoscere. *Idem.*

107 *Quæque, &c.*] Id est, Si in omnibus rebus quid bonum, quid malum, quid faciendum, quid demittendum exacte adeo discernere, et dignoscere novisti. Solebant enim bona tanquam candida, albo lapillo, mala tanquam atra et adversa, nigro signare.—*Vicissim*] Id est, et contra, vel rursum. *Idem.*

108 *Illa, &c.*] Quæ sequenda nimirum, colore albo, et benigno.—*Mox hæc*] Mala nimirum et fugienda, nigro. *Idem.*

109 *Et, &c.*] Id est, Si moderata a Diis exoptas, et tua sorte contentus vivis.—*Presso lare*] Re domestica non nimis magnifica, sed mediocri, et humili.—*Dulcis, &c.*] Facilis, benignus, et liberalis. *Idem.*

110 *Jam, &c.*] Definitio liberalis hominis, ex effectis: Ut jam granaria et horrea, quibus frumenta condis, astringas, nec nimis patefacias: jam nunc eadem laxes, et liberalius inde largiaris.—*Jam, &c.*] Id est, Modo. *Idem.*

111 *Inque, &c.*] Id est, Si nullum avaritiæ et sordium signum in te appareat, et adeo es excelsi animi, ita ut in trivio nummum fixum in luto a pueris, ut sordidos cognoscant, et irrideant, possis transcendere et præterire. *Lubin.* Vel, Si is es tu, qui possis contemnere lucrum turpe et quod lutulet. Hinc *luteum lucrum* apud Augustinum. *Casaub.*

112 *Nec, &c.*] Id est, Si non immensa et incredibili opum cupiditate et lucri desiderio teneris; nec *gluto* gulosus, et inexplebilis: non secus ac helluones, et famelici, ubi edulium aliquod lautius viderunt, salivam deglutiunt, quasi illud jam spe devorent. *Gluto sorbere*, qui avide gluttit. Gluttus est pars colli qua cibi transmittuntur: ficta vox per Onomatopœiam: nam *glut* est imitatio soni, quem edit liquor per angustam tramitem means.—*Mercurialem*] Ideo

dixit, quia ipsum Deum lucri dicunt. Unde et cum sacello pingitur, et a negotiatoribus plurimum colitur. *Vet. Sch.*—*Saliva Mercurialis*, cupiditas devorandi lucri. *Casaub.*—*Salivam, &c.*] Periphrasi lucrum notat, cui Mercurius præest. *Lubin.*

113 *Hæc, &c.*] Sensus est: Si has omnes virtutes enumeratas tibi vendicare potes, et dicere: Hæc mea bona sunt, hæc ego teneo, et possideo: Tum demum esto vere liber: vere sapiens, idque omnium prætorum vindicta, et ipso adeo Jove dextro favente, et propitio. *Idem.*

115 *Sin, &c.*] Sin vero tu harum virtutum, quæ liberum demum absolvunt, nullam habes: sed cum antea nostræ farinæ, ejusdem pravitatis, et malitiæ nobiscum fueris. Metaph. a panibus.—*Ejusdem farinæ*] Per omnia similis, ejusdem saporis, et conditionis. *Nostræ* dixit, modestiæ caussa. *Idem.*

116 *Pelliculam, &c.*] Sumta allegoria ab illis, qui corporis vitia egregiis vestimentis tegunt, vel qui alios colores induunt, veteri tamen pelle retenta. Transferendum ad mentem, —*Fronte*] Externo corporis habitu. Id est, Si quis faciem tuam videat, quantivis precii, politus, syncerus, honestissimus, et optimus. *Idem.*

117 *Astutam, &c.*] Id est, Vulpis calliditatem et astutiam.—*Vapido*] Nebuloso, turbido, minus bono, veterum vitiorum pleno. Metaph. ab aëre turbido. *Idem.*

118 *Quæ, &c.*] Quæ superius tibi attributam veram libertatem, et sapientiam, illud jam repeto, et reposco, tibique adimo, et *funem* vel habenas, servitutis, ante tibi laxatas, et remissas reduco, retraho, et inhibeo. —*Supra*] Dixit enim supra: 'Esto liberque et sapiens.' *Lubin.*—*Repeto*] Sic omnia fere exemplaria, non *relego*, quod et minus convenit huic loco. *Casaub.*

119 *Nil, &c.*] Assumtionis confirmatio, quod nihil secundum rationem agat, sed in omnibus peccet; id est, Ratio et sapientia, unde vera libertas, tibi nihil omnino sui haberi concessit; id est, Stultissimus es.—*Digitum, &c.*] Digito sublato ostende, victum te esse a vitiis. Tractum a gladiatoribus, qui victi, ostensione digiti veniam a populo postulabant. *Vet. Sch.*—*Digitum, &c.*] Loquitur ex sententia Stoicorum, qui ne digitum quidem recte a stultis exseri posse demonstrabant. A solo autem sapiente recte aliquid geri, idque ut probaret, rem sumsit perfacilem, et in qua tamen stultus Dama peccet. Id est, Ne minimum quidem corporis membrum movere potes, quin in culpam et reprehensionem incurras. Turneb. xx. 1.

120 *Et, &c.*] Subintellige, Vel in quo tu non pecces.—*Sed, &c.*] Sensus est: Sed tu etiam nullo thure litabis, nullis sacrificiis, nullis victimis a Deo impetrabis, ut vel minima semuncia rectæ rationis, exigua mica salis, et sapientiæ, in stultis, et animo servis hæreat. Casaubonus scribit, hæc ita non accipienda esse ut sonant verba; sed, *nulla argumentorum ratione obtinebis, οὐκ ἐκνικήσεις.* Translatum a rebus sacris.

121 *Hæreat in, &c.*] Ut sapiens ulla ex parte sit, qui non totus sapit: Ratio Stoicorum; quia virtutes se mutuo consequuntur. Et nil medium est inter virtutem et vitium. *Casaub.* —*Semuncia, &c.*] Dimidiata particula sapientiæ. Est autem *semuncia* dimidia uncia, ponitur que hoc loco pro re admodum exigua. *Lubin.*

122 *Hæc, &c.*] Id est, Non miscentur contraria.—*Nec, &c.*] Ut quicunque fossor tantum est, et rusticus, tantum abest, ut pantomimum, et artificiosum saltatorem imitetur, ut ne quidem ad tres tantum numeros, tonos, et rhythmos saltationis Bathylli Pantomimi Satyri unquam apte, et congruenter saltaverit; ita neque tu,

cum malus, et stultus sis, vel in minimis secundum rationem vixeris.—*Cætera*] Id est, In rebus cæteris omnibus. Locutio Græca. Nam Græci κατὰ subintelligunt. Id est, Quoad cætera.—*Fossor*] Homo agrestis, servus, imperitus, idiota. *Idem.*

123 *Tres, &c.*] Ita dicit, ut exiguitatem rei exprimat. Id est, Non obtinebis, ut qui reliqua tota vita pro insipiente ac stulto te geras: in quibusdam tamen actionibus sapiens dicaris.—*Numeros*] Ita dicit, quod in hujusmodi saltationibus sunt certæ pedum dimensiones.—*Moveare, &c.*] Bathyllus pantomimus fuit, Mæcenatis libertus. *Vet. Sch.*—*Satyri, &c.*] Fuit Bathyllus Chironomus Pantomimus, et saltator gesticulatione utens, et fuit Mæcenatis libertus, quem a Satyra saltatione, et pedum agilitate, cum eximius saltator esset, Satyrum vocat; non qui saltat Satyrum, sed qui non minus bene quam Satyrus aliquis saltat. *Casaub.*—*Tres, &c.*] Ubi Satyrum Bathyllum vocat pantomimum Bathyllum. Ita omnes antiqui libri in eo versu legunt: at doctissimi viri *saturum* ibi malunt. *Salmasius.*

124 *Liber ego*] Altera Damæ prolepsis, qui nullis Persii argumentis edomitus, liberum tamen se esse contendit.—*Unde, &c.*] Quæso unde hoc tibi sumis et usurpas, quod te liberum dicas, cum tot rebus, tot imperiosissimis dominis subditus et subjectus sis? *Lubin.*

125 *An, &c.*] An tu adeo bardus et stupidus es, ut existimes nullum alium esse dominum, nisi a quo vindicta prætoris te liberat?—*Dominum*] Alium scilicet, quam corporis. Corporis domini sunt homines: animi; vitium et affectus.—*Vindicta, &c.*] Cujus dominatum virga, servi caput tangens, dissolvit. *Idem.*

126 *I, puer*] Sensus est: Ubi ego vel alius quisquam dominus imperiosa voce pronuncio: I, puer, et strigiles defer ad balnea Crispini. Cessas adhuc nugator? Tale servitium, et mandata minantia, te non territant, urgent, et impellunt?—*Strigiles*] Illis in balneis utebantur. Erant autem velamenta, quibus sudor abstergebatur.—*Crispini*] Hic Crispinus ordinis Senatorii fuit, et Claudio imperante præfectus prætorii fuit, consularibus insignibus donatus. *Lubin.*

127 *Si, &c.*] Dominus nimirum aliquis, ubi hæc imperiosa voce dixerit.—*Servitium acre*] Corporis sc. et civile. *Idem.*

128 *Te, &c.*] Εἰρωνικῶς hæc dicuntur, et sine interrogatione omnino legenda. *Casaub.*—*Nec, &c.*] Id est, Nulla extrinseca, aut externa violentia, ut verbera aut flagra, te invadit, et nervos ac membra corporis tui externo dolore adficit. *Lubin.*

129 *Sed, &c.*] Antapodosis dissimilitudinis. Sensus est: Sed quamvis nullo corporis servitio externo detinearis, tamen si intus et in jecore, pectore et animo tuo, alii imperiosissimi domini tibi nascuntur, et contrarii adfectus te in quævis flagitia agitant, quæso, qua fronte liberum te appellas?—*In jecore*] In quo sedem adfectuum arbitrabantur. — *Ægro*] Multis vitiis et animi morbis adfecto. *Idem.*

130 *Nascantur, &c.*] Adfectus omnium gravissimi, et imperiosissimi, et sævissimi.—*Qui, &c.*] Id est, Quomodo tu non pari servitio premeris?—*Exis*] Abis vel evadis: sic dicimus *impune abire*. Idem.

131 *Atque hic*] Servus scilicet, qui corpore servitium servit.—*Ad strigiles*] Ad balnea deferendos, et alia herilia imperia exsequenda.—*Scutica*] Flagellum. *Idem.*

132 *Mane, &c.*] Inducit jam Damam tanquam pigrum, ab Avaritia excitari, et objurgari.—*Piger*] Ut notet eum etiam pigritiæ inservire.—*Surge*] Verba Avaritiæ per Prosopopœiam Damam ad quæstum faciendum ex-

citantis.—*Eia*] Hortantis. *Idem.*

132 *Negas*] Poëtæ verba; id est, Si tu te surrecturum negas, illa ulterius instat, et, surge, iterum inquit. —*Non queo*] Si tu dicas: Non queo surgere.—*Surge*] Verbum Avaritiæ, importune Damam lecto excutientis. *Idem.*

134 *Et, &c.*] Verba Damæ, quid agendum sit dubitantis. —*Rogitas*] Verbum Avaritiæ, cum indignatione pronunciandum. — *Et, &c.*] Verba Avaritiæ, rogasne adhuc quid agas? naviga, advehe Ponto peregrinas merces.—*Saperdas*] Erat Pontici piscis genus, qui in Mæotide optimus capiebatur.—*Ponto*] Mare Scythiæ, ad quod Ovidius relegatus. *Lubin.*

135 *Castoreum*] Castoris testes. Est enim pharmaci genus.—*Stuppas*] Linum vile.—*Ebenum*] Lignum Guaiacum, nascitur in India et Æthiopia, solidum valde et ponderosum.—*Lubrica Coa*] Vina ex Insula Co, quæ Cycladum in mari Ægæo. *Lubrica* dicit, nam alvum laxant, et emolliunt. *Idem.*

136 *Tollere, &c.*] Novum, et optimum piper.—*Primus*] Alios mercatores præoccupa et anteverte, ut eo carius distrahas.—*E sitiente, &c.*] Qui e navi domum, vel in forum piper deportet.—*Sitiens*] Non simpliciter πολυδίψιος, sed qui sitim diu tolerat. *Casaub.*

137 *Verte, &c.*] Negotiare, et speciem pro specie commuta. *Vet. Sch.* —*Verte, &c.*] Negotiare, et speciem pro specie commuta. Vel *verte* pro averte, id est, decipe, circumscribe. *Casaub.*—*Jura*] Pejera: talia enim suadet avaritia, omnium malorum radix.—*Sed, &c.*] Respicit autem eo, quod homines pœnarum metu, non honestatis amore plerumque peccatis abstineant.—*Heu, &c.*] Alii legunt *Ehen.* Respondet Avaritia: Heu tibi misero! heu homo barde et stolide! si cum Jove vivere, ejusque mandata exsequi contendas, nunquam rem facies, et vitam inopem ac miseram perages. *Lubin.*

138 *Baro, &c.*] Lingua Gallorum barones, vel varones, dicuntur servi militum, qui utique stultissimi sunt, servi videlicet stultorum. *Vet. Sch.* —*Baro*] Hujus vocabuli quater meminit Cic. ep. ult. lib. IX. Quidam legunt *Varo* et *Vare*: ut Metaph. sit a corpore ad animam.—*Baro*] Barde, stulte, et stolide. *Regustatum.* Quod aliquoties cum eodem sale appositum sit. Sic dicimus: Δὶς κράμβη θάνατος. *Lubin.*—*Digito, &c.*] Inopiam summam notat, cui ut micas pauculas reliquas salino tenaciter adhærentes revellat, salinum perterebrandum sit. Turneb. X. 22.

139 *Perages*] Vitam vives.—*Si, &c.*] Id est, Si sancte et pie velis vivere, et jusjurandum colere. *Idem.*

140 *Jam pueris, &c.*] Jam ab Avaritia persuasus, ad iter succinctus et paratus, pueris et servis tuis sarcinas, pellem et œnophorum accommodas et aptas. Alii legunt hic: *Jam puer is.*—*Pellem*] Manticam intelligit, vel involucrum, cui vestes et alia ad iter necessaria includebant. — *Et, &c.*] Œnophorum vas vinum ferens: οἶνος enim vinum est, de quo est illud: 'Vertitur œnophoris fundus, sententia nobis.' *Vet. Sch.* —*Œnophorum*] Vas vinarium, quasi vinum ferens. *Turneb.* XX. 1.

141 *Ocyus, &c.*] Duplici intellectu: vel, ut sint verba Damæ servos suos compellantis: Ocyus hæc ad navem mihi deferte. Vel, sunt Poëtæ: Ocyus tu ad navim festinas, et properas.—*Nihil, &c.*] Verba Poëtæ. Nihil te remoratur, quin e vestigio mare Ægæum *vasta trabe*, et magnis navibus rapias, et trajicias. *Lubin.*

142 *Ægæum*] Pro omni mari. Est enim *Ægæum* pars maris Mediterranei prope Græciam, Europam ab Asia dividens.—*Rapias*] Velociter petas et rapide seces. Hyperbole. —*Nisi, &c.*] Nihil te navigaturum

remoratur, nisi sola Luxuria.—*Solers*] Blanda, et ingeniosa contra Avaritiæ persuasiones. Illa enim prædulce malum.—*Ante*] Antequam naviges. *Idem.*

143 *Seductum*] Nisi illa te antequam navem conscendas, suis illecebris seductum, et a proposito et priori sententia deturbatum moveat, et moneat.—*Quo, &c.*] Quasi dicat: Quonam tu, insane et stolide, tanta animi concitatione ruis? et quid tibi vis, et quid quæris? *Idem.*

144 *Calido, &c.*] Ut sit: Tibi furioso et insano, sub calido et incenso pectore, mascula et atra bilis ita intumuit, qua percitus insanis et furis.—*Mascula, &c.*] Fortis, virilis, et valida. *Lubin.*

145 *Intumuit*] Ita dicit, ut vehementiam iræ aut furoris notet.—*Urna, &c.*] Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi extinguit. Unde sacerdotes Cereris Eleusiniæ liquore ejus ungebantur, ut a concubitu abstinerent. *Vet. Sch.*—*Quum*] Quam bilem vel insaniam integra cicutæ urna suo frigore non extinxerit, nec integra Ellebori libra hunc insaniæ furorem sanaverit. *Lubin.*—*Quam, &c.*] Cicutam vulgo appellarunt herbam catharcticam, ut Horatius: 'Quæ poterunt nunquam satis expurgare cicutæ.' Si quis cicutam hic intelligit, quæ κώνειον Græce dicitur, næ is magnopere errat. Per *cicutam* hic lathyridem intelligit, quæ caulem habet ferulaceum et concavum inanemque. Unde apud Poëtas *cicuta* pro calamis quibus fistulant pastores Salmas. Plin. Exer. Turn. XXI. 8. XX. 1.—*Urna*] Hyperbole. Cum vel ebulus cicutæ hominem extinguat. *Lubin.*

146 *Tun', &c.*] Verba Luxuriæ ad Damam: Tune vir talis, et tantus, in talibus dignitatibus constitutus navigabis?—*Tibi, &c.*] Recenset incommoda navigationis. Id est, Adeone insanis, ut tibi tanto viro, cannabinis rudentibus sedem fulciri velis, sedenti in transtris vice mensæ, et duras rudentes tibi sedilia esse; qui in elegantibus et mollibus lectulis discumbere antea solitus sis. Ergo *fulto* ad hominem, non ad transtrum referendum.—*Fulto, &c.*] Tibi imposito ut fulciaris. Turnebus XX. 1.

147 *Cœna, &c.*] Sordida et famelica.—*Transtro*] *Transtra* remigum sedilia sunt in navibus.—*Vejentanumque*] Erat autem *vinum Vejentanum*, saporis admodum ingrati, et nascebatur Veiis in opido Hetruriæ.—*Rubellum*] A colore rubro. *Lubin.*

148 *Exhalet*] *Exhalare* hic pro fundere vel emittere vinum, quod exhalat tetrum picis odorem. *Casaub.*—*Pice, &c.*] Fœtida et male olenti pice corruptum: pice enim vasa, et omnia pæne in navibus oblita.—*Obba, &c.*] Poculum latioris fundi, ita ut sedere videatur. Propire vero dolium vel utrem significat. *Lubin.*

149 *Quid petis*] Satius est Romæ sine labore et periculis parvum lucrum facere, quam in mari non sine vitæ discrimine magnum.—*Hic*] Romæ nimirum.—*Quincunce, &c.*] Usura mediocri et moderata. Est autem *quincunx* pars assis, quinque uncias habens, quem *modestum* appellat, quod olim legibus probaretur. Opponuntur autem inter se *quincunx* modestus, et avidi *deunces*. *Deunx* integer assis est, demta una uncia, vel undecim unciæ. *Turnebus* XX. 1.

150 *Nutrieras*] Paulatim auxeras. Pulcre dixit, pro fœnore.—*Peragant*] Præstent, exhibeant.—*Avidos*] Inexplebiles et avaros, quos avaritia augeri cupis. *Sudore*] Emphatice. Periculo ac labore, dum peregrinus navigas. Alii *sudare* legunt. *Lubin.*

151 *Indulge, &c.*] Adhortatur jam Luxuria Damam ad voluptatem ex adjunctis.—*Carpamus, &c.*] Delitiis fruamur. Est autem Metaph. a fructibus.—*Nostrum, &c.*] Ex Epicureorum sententia dicit, qui illud tantum

tempus se vixisse putabant, quod genio indulsissent. Vel, Ea demum pars vitæ tuæ, quam mihi, id est, voluptatibus, impendis, vera est vita. *Casaub.* Turneb. xx. 11.

152 *Cinis*] Mortuorum enim corpora cremabantur, et in cinerem resolvebantur.—*Et Manes*] Sic Horat. 'Jam te premet nox fabulæque Manes.' Ponit autem *Manes* pro exequiis, et corpore funerato.—*Fabula*] Id est, Sermo tantum de te supererit, præterea nihil. *Lubin.*

153 *Hoc quod, &c.*] Horat. 'Dum loquitur fugit invida ætas.' *Vet. Sch.* —*Vive memor, &c.*] Sic Horatius: 'Dum licet, in rebus jucundis vive beatus; Vive memor, quam sis ævi brevis.'—*Fugit, &c.*] Id est, Tempus vitæ celeriter elabitur.—*Hoc, &c.*] Hoc ipsum temporis momentum, quo hæc tibi dico, pars est decerpta inde, et quæ ubi perierit, nunquam sit reditura. *Casaub.* Turneb. xx. 1.

154 *En quid, &c.*] Jam Poëtæ verba sequuntur. En egregie et liberrime liberte M. Dama, quid jam agis? quid ad hæc respondes? Nimirum omnium vilissimum es mancipium, et ab his duobus imperiosissimis dominis in diversum, ceu hamo piscis, distraheris. — *Duplici, &c.*] Diversis blanditiis et illecebris Avaritiæ et Luxuriæ. — *In, &c.*] In contrarias partes traheris. *Lubin.*

155 *Hunccine, &c.*] Subintellige hamum vel dominum potius.—*Subeas, &c.*] Id est, Necesse est, ut alternatim vel alternis vicibus modo Avaritiæ, modo Luxuriæ dominium subeas, et ut alternis vicibus Avaritiæ, et Luxuriæ servias.—*Alternis*] Egregium vocabulum per vices. Nomen pro adverbio. *Idem.*

156 *Oberres*] Ita dicit, quia dubii et incerti errant. *Idem.*

157 *Nec, &c.*] Nec tu cum uni illorum dominorum sive Avaritiæ, sive Luxuriæ obstiteris, ejusque servitii jugum semel excusseris, et imperio instanti et impellenti parere negaris: statim vincula servitutis te omnino rupisse, et jam liberum esse dicas.—*Semel*] Non enim semel aliquid recte fecisse satis est, sed requiritur virtutis ἕξις.—*Instanti, &c.*] Urgente dominiò Avaritiæ, et Luxuriæ. *Idem.*

158 *Rupi, &c.*] Id est, Jam liber sum, et omne servitutis jugum excussi. *Idem.*

159 *Nam, &c.*] Ut canis ad funem vel vinculum alligata, ubi diu multumque cum fune et vinculo luctata est, tandem eluctatur, et nodum vinculi abripit, abrumpit, et aufugit. Et tamen illa canis cum fugit, longa vinculi et catenæ pars, qua rursus facile comprehendi, et ad antiquum dominum reduci potest, illi a collo trahitur: Ita dum tu fugis, te non effugis; sed semper præteritorum vitiorum semina tecum geris, quæ elapsum ad pristinos dominos, adfectus, et vitia reducant, atque rursus servitutis vincula collo injiciant.—*Arripit, &c.*] Lego *abripit*. Lubin.

161 *Dave, &c.*] Hunc locum ex Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chærestratus adolescens alloquitur, tanquam amorem Chrysidis meretricis derelicturus: idemque tamen ab ea recvocatus ad illam redit. Apud Terentium personæ immutatæ sunt. *Vet. Sch.*—*Dave, &c.*] Chærestratus, ut est apud Mænandrum, sollicite cogitans, caput scabens, et vivum crudumque unguem inter meditandum abrodens, hæc ait, servumque suum Davum compellat: o Dave, jubeo et impero, ut hæc quæ dicturus sum, cito credas, et certo futura statuas: Ego jam demum aliquando præteritos dolores, et molestias ex meretricio amore perceptas, finire, et Chrysidi valedicere meditor, et certo apud animum constitui. *Lubin.*

162 *Præteritos*] Quos antehac perpessus sum.—*Crudum, &c.*] Quod intente aliquid meditantes faciunt. *Lub.*

163 *An, &c.*] An ego cognatis meis

siccis, sobriis et honestis, tanquam probrum et dedecus obstem et obsim? Verba indignationis plena. *Lub.*

164 *An rem, &c.*] Id est, Universa patrimonii mei bona.—*Rumore, &c.*] Fama minus bona. *Idem.*

165 *Limen, &c.*] Ad obscœnam domum meretriciam, ad quam sæpe adolescentes patrimonii sui naufragium faciunt.—*Frangam*] Atteram, perdam, dilapidem.—*Udas, &c.*] Udas fores dixit, quas amatores solent unguento perfundere, et ante januam illarum noctem vigiliis, et cantu transigere. *Vet. Sch.*—*Dum, &c.*] Dum vino et unguento madidus et perfusus, ebrius ante fores Chrysidos meretricis, nocturno tempore cum extincta face, ne a transeuntibus agnoscar, canto. Notat multiplicem juvenum insaniam in suffundendis illis modo vino, modo aqua in cardinibus, modo lachrymis. Nec male referas ad lenarum annuum potationes. *Casaub.*

167 *Euge, &c.*] Verba Davi servi lætantis et gratulantis. Euge, præclare, puer Chærestrate, nunc vir es, laudo te: Sic tandem sapias, et quid te dignum sit, consideres, et Diis depellentibus et averruncis agnam macta, et sacrifica, quod te a meretrice, tanquam a mala bestia, liberarint.—*Diis depellentibus*] Dii depellentes et Averrunci dicuntur Castor et Pollux; Græcis ἀλεξίκακοι καὶ ἀποτροπαῖοι, qui prodigia et portenta averruncabant. Turneb. xx. 1.

168 *Percute*] Macta, sacrifica.—*Sed, &c.*] Sed tu, o Dave, censesne illam, ubi a me deserta fuerit, ploraturam misereque adflictandam? Quod saxeus ego et truncus sim, si perpeti queam. *Idem.*

169 *Nugaris*] Verba Davi. Ergo tu nugaris et vacillas, nec firmus in proposito tuo perseveras. *Lubin.*—*Nugaris*] Nugas agis cum dicis te velle priores dolores finire: nam ecce ad ingenium redis. Vel sic: Lepidus nugator es, cum vis videri misericordia duci propter Chrysidis lacrymas; quia tu potius te miserare. *Casaub.*—Alludit ad petulantem meretricum morem, quæ juvenes amatores solea et crepida castigabant, eorumque nates pulsabant. Turneb. xx. 1.

170 *Ne, &c.*] Sunt autem verba Davi dominum suum salse irridentis. Quasi dicat: Mi domine here, ne festines et trepides usque adeo, ut a servitute meretricia libereris, ne indigne usque adeo illud jugum meretricium tibi videatur, ut more feræ, retibus vel cassibus a meretrice irretitus, ut te liberes et exsolvas, casses mordendo rodas et incidas. Frustra enim illud facies; nam brevi te ultro rursus illi in servitutem dedes. Est Allegoria a feris. Est autem *Ne velis*, hoc loco, *Nè* non caussale, sed imperandi vim habet.—*Arctos, &c.*] Vincula firma et valida. Vide Proverbium: *Casses rodere.* Lubin.

171 *Nunc, &c.*] Id est, Tibi jam quidem fortis, et imperturbatus videris: at si illa te vocet, continuo aliter animatus eris, et victus labasces uno verbo quam citissime. *Lubin.*

172 *Quidnam, &c.*] Locus ex Terentii Eunucho. Sensus est: Nonne nunc eam accedam: cum ultro ab ipsa accersar, et illa ultro mihi supplex accedat? *Idem.*

173 *Si, &c.*] Vera libertas, non illa corporis est, quam prætor, et pilea donant; sed animi, qua quis totus et integer, adfectibus et cupiditatibus valedicit, et nunquam illorum retibus rursus implicatur. *Lubin.*—*Integer.*] Non fracto animo ex amoris affectu, sed ὑγιὴς ac vere integer. *Casaub.*

174 *Hic hic*] Qui nimirum adfectibus valedixit, nunquam rursus collum suum illorum jugo subditurus. Hic ille liber est, quem quærimus. *Lubin.*

175 *Festuca, &c.*] Vindictam vel virgam intelligit prætoris. *Lictor* autem dicit, non quod lictor eum manumiserit, sed quod eum liberum et

beatum jactitet; ubi a prætore manumissus est. Apparebant enim Prætori 6. lictores.—*In, &c.*] Id est, In eo beatum prædicat, quod festuca vel virga prætoris, ipsius caput tangit. *Idem.*

176 *Jus, &c.*] Probat ulterius Damam non esse liberum ex adjuncta ambitione: quod illa ducatur, ac proinde liber esse nequeat.—*Palpo*] Auferendi casus, non nominandi. Est autem *Palpus* a palpando. Hic pro blanditiis et illecebris ponitur; quibus homines ad honores alliciuntur. *Lubin.* Pro *tollit*, alii libri habent *ducit:* nec male ducere eum dicitur ambitio, qui ejus causa facit omnia; ac forte ad amicos deductores candidatorum respexit. *Casaub.*—*Hiantem*] Quasi honoris avidum. *Lubin.*

177 *Cretata*] Candidata. Nam qui honores aspirabant, candidati et albis candidisque vestibus incedebant. *Lubin.*—*Vigila, &c.*] Ludis Floralibus omnia semina spargebantur in populum, ut Tellus velut muneribus suis placaretur. *Vet. Sch.* Maxime propter officia salutationum, quas ante diluculum inchoabant. De labore et vigiliis candidatorum multa Cicero variis locis. *Casaub.* Vel ita dicit, quia ambitio hominem non facile sinit quiescere.—*Et, &c.*] Solebant ambitiosi ludis, visceratiouibus, congiariis, et largitionibus, populi gratiam captare. *Lubin.*

178 *Rixanti, &c.*] In legendis leguminibus inter se rixanti, contendenti, et litiganti.—*Floralia*] Festa in honorem Floræ meretricis instituta, obscœna, et infanda. Erat autem *Flora* Dea, quæ floribus præest, et leguminibus colitur. De cujus obscœnis sacris vide Lactant. I. 20. *Lubin.* Sed hic intelliguntur omnes ludorum species, quos edebant Magistratus, popularem gratiam captantes. *Casaub.*

179 *Aprici, &c.*] Solent senes in sole hiberno apricantes καὶ εἰληθεροῦντες circa meridiem calidiore, de nugis hoc genus garrire: unde Græcorum proverbium μεσημβρινὸς λῆρος. *Casaub. Turneb.* XX. 1.—*Quid, &c.*] Quam populo placere, et in admiratione et gratia esse. Ironice. *Lubin.*

180 *Herodis, &c.*] Herodes apud Judæos regnavit temporibus Augusti, in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis observant, ut etiam Sabbata: quo die lucernas accensas, et violis coronatas in fenestris ponunt. *Vet. Sch.*—*Herodis dies*] Persius de superstitione hic agens, exempla ponit eorum hominum, qui Judaicis aut Asiaticis et Ægyptiacis ritibus Romæ uterentur; Judaica religio Romæ peregrina censebatur, solis Judæis urbem incolentibus permissa. *Herodis dies*, sunt dies quos colit populus qui Herodi paruit: Judæi nempe. Sed præstat interpretari de propria illorum Judæorum secta, qui ab Herode magno, pridem vita defuncto, Herodiani sunt dicti, qui Herodem pro Christo colebant. *Dies* ergo *Herodis*, appellat natalem diem Herodis, non quidem veræ γενέσεως, sed suscepti regni apud Judæos: nam et illi dies vocabantur natales. *Casaub.*—*Unctaque, &c.*] Modum ostendit, quo ille dies ab Herodianis colebatur. Omnium pene gentium communis fuit ritus, ad gaudii significationem *ignem accendere:* nec solum in templis lumina accendebant, sed etiam domi quisque suæ, eaque januis ac fenestris appendebant. *Casaub. Turneb.* XXII. 12. *Uncta* ergo dicit ob oleum, quod ex lucernis exudabat. *Lubin.*

181 *Dispositæ*] In fenestra ordine positæ, et ordinatæ.—*Pinguem*] Lucem cum pingui nebula aut fumo emiserint.—*Vomuere*] Pro, Emisere.

182 *Portantes, &c.*] Græci scriptores celebrationes diei festi duabus vocibus designare solent, φωσὶ καὶ στεφανώμασι, luminibus et coronamen-

tis. *Casaub.*—*Violas*] Coronabant autem et aras, et simulacra Deorum, et fores et januas suas. *Lubin.*—*Rubrum*] *Catinum* rubro colore tinctum intelligit, quod forte argillæ genus rubrum fuerit; unde illa fictilia conficiebantur, quod cauda thynni complectebatur. Est autem Hypallage, pro Vas amplexum *caudam thynni*, et *cauda* pro toto pisce. *Lubin.*

183 *Natat*] Respicit forte ad præceptum Horatii, pisces in magna patina poni debere. *Lubin.* Vel cum ait, *natat*, ostendit ex jure solitum comedi. *Casaub.*—*Tumet*] Γέμει.

184 *Labra, &c.*] Id est, Tacito murmure preces tuas superstitiosas concipis et emittis. *Lubin.* Vel, Frequentas Judæorum proseuchas, et una cum ipsis, murmure vota tua ibi concipis. *Casaub.*—*Recutitaque, &c.*] Instituta Judæorum significat, propter circumcisionem: quam, auctores suos secuti, faciunt. *Vet. Sch.*—*Recutita, &c.*] Recutita dicit ob Judæos apellas, circumcisos, recutitos et præputiatos. *Lubin.*

185 *Tunc, &c.*] Id est, Postquam pervasit et occupavit anile hoc vitium; *nigri lemures*, supple timentur. *Casaub.* Mox una, mox alia superstitio servum te sollicitat: tunc enim *nigri lemures*, et spiritus nocturni mortalibus adversi et noxii, et pericula ovo in sacrificiis vel inter sacrificandum rupto: tunc grandes illi venerandi, et longævi Cybeles matris magnæ Deum sacerdotes et lusca Isidis sacerdos alia superstitione te anxium habent, &c.—*Ovoque, &c.*] Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite, an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari ejus. *Vet. Sch.*

186 *Hinc, &c.*] Galli sacerdotes Cybeles erant, a Gallo Phrygiæ flumine, cujus aquam qui bibissent, redebantur insani. Et in illo furore genitalia sibi amputabant.—*Grandes*] Pingues sacrificiis, vel grandævi. *Lubin.* Postquam animus superstitione depravatus est, tunc adeuntur Matris Deum sacerdotes, et Isiaci: utrumque genus hominum male audiebat. *Casaub.*—*Cum, &c.*] Sistrum sacerdotes Isidis portant. Lusca autem, ideo, quod nubiles deformes cum maritos non invenerint, ad ministeria Deorum se conferant. *Vet. Sch.*—*Sistro*] Crepitaculum erat Isidis sacerdotum, ἀπὸ τοῦ σείειν, a quatiendo.—*Lusca*] Nam nubiles deformes vel aliquo corporis defectu vitiatæ, cum maritos non invenirent, ad ministeria Isidis se conferebant. *Lubin.*

187 *Incussere Deos*] Inculcaverunt et denunciarunt unicuique iram et pœnam Deorum, vel pericula a Diis, qui hujusmodi superstitiosis remediis se non præmunivissent. *Lubin.*—*Deos, &c.*] Deos Syrios intelligit, Venerem et ejus filium, fortasse etiam Adonidem, qui Veneri πάρεδρος. *Salmas. Turneb.* xx. 1.—*Si non*] Vel ter a te, antequam gustes, nominatum. *Alii* enim caput a jejunis gustatum, contra artem magicam valere credebatur. *Lubin.*

189 *Dixeris, &c.*] Si hæc inter stultos milites, et varicosos et corruptos centuriones dixeris, continuo Pulfenius bardus ille Centurio, illa cachinno excipit, et crassum et immane ridet, et omnem Philosophiam vix uno obolo emerit: et centum Græcos Philosophos et sapientes vix curto centusse, centum curtatis et imminutis assibus licetur, et æstimat.—*Varicosos*] Proprie illi qui venas tumidiores habent. *Idem.*

190 *Crassum*] Pro *crasse*. Alii *Crassum*, nomen proprium esse censent.—*Pulfenius*] Nomen proprium bardi militis. Alii legunt *Vulpenius*.—*Centum, &c.*] Philosophos Stoicos intelligit.—*Curto, &c.*] Centum assibus curtatis et imminutis. Est enim

Centussis 100. asses, qui idem valent quod 40. Sestertii H. S.—*Licetur*] Liceri vel licitari est precium ponere, vel ultro in auctione deferre, dum in rebus emendis alius alio majus precium pollicetur. Hic idem est, quod æstimat, tanti facit, emit. *Lubin.*

SATIRA VI.

In hac ultima Satyra in incredibilem Romanorum avaritiam invehitur, ad quam notandam, occasionem captat a dissimilitudine studiorum Persii et Cæsii Bassi Poëtarum, et imperitæ multitudinis Romanæ. *Lubin.*

1 *Admovit*] Hanc Satyram scribit Persius ad Cæsium Bassum Poëtam Lyricum, quem fama est, in prædiis suis positum, ardente Vesuvio monte Campaniæ, et late ignibus abundante, cum villa sua ustum esse. Hic ergo, dum viveret, Roma ad Sabinos necessario transibat, ubi brumali tempore in calido loco carmina scribebat. *Vet. Sch.*—*Admovit*] Ubi jam demum, o Cæsi Basse, te hyemare credam? admovitne te hyems suo frigore, et aëris inclementia foco Sabino in agro tuo, in quem te secessisse mihi relatum est? Vel; Utrum agis in Sabinis?—*Bruma*] Seu frigoris inclementia te ad focum compulit?—*Basse*] Cæsium Poëtam Lyricum intelligit. *Idem.*

2 *Jamne lyra*] Ecquid jam lyra tibi vivit et viget? Ecquid jam severo, gravi, et tetrico pectine chordas lyræ percutis, et pulsas?—*Tetrico pectine*] Gravem et severum stylum, vel carmen denotat. Vani vero qui *tetricum* hic intelligunt de Sabino monte Tetrico. Alii pro *Tetrico* legunt, *tritæ.*—*Vivunt*] Metaph. personant vel pulsantur. *Idem.*

3 *Mire, &c.*] Admirandus es artifex et opifex, qui mira ingenii dexteritate veterum vocum primordia numeris et versibus excitare, et marem strepitum, masculum et virilem sonitum fidis et lyræ a Græcis ad Romanos translatæ, et Latinæ intendisse.—*Numeris*] Carmine.—*Veterum, &c.*] Vel, Quod antiquarius fuerit hic Cæsius, antiquitatis dictionibus usus sit, vel, Quod Poëmata scribat, quæ omnium prima apud mortales credita. Horat. 'Fuit hæc sapientia quondam.' *Turneb.* xxx. 7.

4 *Atque, &c.*] Denotat Lyricorum Poëtarum subjectum: fortem et animosum sonitum, ut Pindari et aliorum heroum, et fortium virorum facta præclara.—*Intendisse*] Intensione nervorum, eorumque pulsu expressisse, et accinuisse.—*Latinæ*] A Græcis; per te et Horat. ad Latinos translatæ. *Lubin.*

5 *Mox, &c.*] Id est, Qui mirus es artifex ad juveniles jocos, et amores versibus agitandos. Et honesto pollice decoro, et docto Poëmate egregios senes, eorumque sales, et joca describendo. *Idem.*

6 *Lusisse*] Jucunde versibus descripsisse.—*Mihi, &c.*] Seipsum Persius significat secessisse in Liguriæ fines, videlicet propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quæ post mortem prioris viri ibi nupta erat. *Vet. Sch.*—*Mihi, &c.*] Verba Persii de se; et est ὑπαλλαγή. Ego nunc fruor te-

pore maris Ligustici commoti vehementius, ut per hyemem solet. Erat autem apud matrem Fulviam Sisenniam, quæ Liguri cuidam aut Lunensi nupserat. *Casaub. Turneb.* — *Nunc*] Alias enim Romæ dego.—*Ligus ora*] Pro Ligustica. Est autem *Ligus* hoc loco fœmininum, et ad ora refertur. *Lubin.*

7 *Intepet*] Temperatiorem, et mitiorem aërem præbet. Indicat Liguriam magis tepidam hyemis tempore esse, quam in aliis regionibus.—*Meum, &c.*] Hetruscum vel Ligusticum intelligit.—*Hybernat*] Sævit, vel a navigiis vacat. Sicut enim naves hibernare dicimus, sic et mare, cum non navigatur. *Vet. Sch.*—*Hybernat*] Sævit, et a navigiis vacat.—*Qua, &c.*] Lunæ opidi amœnitas declaratur ex adjuncto portu; id est, Ubi summa loci amœnitas, qua nimirum altissimi scopuli ingens ab utraque parte latus dant et efficiunt.—*Qua*] Id est, Ubi. *Latus, &c.*] Id est, Ingentes sui partes, vel, ingentia brachia ab utraque parte protendunt, et porrigunt. *Idem.*

8 *Et littus*] Id est, Ubi littus in se recipit multam vallem, et planiciem et tutum a ventis et frigore quasi sinum, et gremium. *Multa, &c.*] Videtur *vallem* appellare curvaturam lunati littoris; unde et *Luna* dictus. *Casaub.*

9 *Lunai, &c.*] Inserit versum Ennii, qui et ipse hunc portum collaudavit, et commendavit: et cives ad mercaturam invitavit.—*Est, &c.*] Precium scilicet. *Lubin.*

10 *Cor jubet, &c.*] Hunc versum ad suum carmen de Ennii carminibus transtulit. *Vet. Sch.*—*Cor, &c.*] Pro Ennio cordato, et ingenioso.—*Destertuit*] Id est, Somniandi finem fecit. Obiter Ennii vanitatem perstringit. Id est, Postquam expergefactus non amplius delirat, sed jam cor habet; id est, Cordatus et sapiens est. Quamvis sint qui *cordis* mentione respiciant ad illud Ennii, quo dixit sibi tria corda esse, quia tres linguas calleat, Latinam, Græcam, et Oscam. *Idem.*

11 *Mæonides*] Homerus. Somniarat autem Ennius se Homerum esse factum.—*Quintus*] Non numeri, sed Ennii prænomen est. Id est, Jam rursus Quintus Ennius ex pavone Pythagoreo factus. Aniles Pythagoricæ nugæ. *Turneb.* XXX. 7.

12 *Heic, &c.*] In hoc loco, ego dego in tranquilla pace, et ocio: vulgi, et quid populus de me sentiat, securus.—*Et, &c.*] Nec curo, quid Auster ventus ille meridionalis suo calore pecudi infelix, noxius et pestilens præparet, et portendat: indicat autem se vita Stoicum esse, et nullis adfectibus perturbari. *Lubin.*

13 *Securus, &c.*] Non curo, non invideo, quod vicinus meus me ditior, et quod ejus agelli angulus, nostro vel meo longe pinguior et fertilior est.

14 *Et si, &c.*] Etsi omnes homines mali et ignobiles ditescunt, ego tamen miser esse, iisque invidere nolim.

15 *Usque, &c.*] Id est, Semper ego nolim. *Lubin.* Vel nunquam adducar, ut dolorem ex ea re ullum capiam. *Casaub.*

16 *Curvus*] In terram pronus more tristium et dolentium.—*Ob id*] Eo nomine, quod alii fortunati sunt, et ditescunt.—*Minui, &c.*] Id est, Tædio, et dolore, et aliorum rebus secundis consumi, et contabescere. *Senium* pro tædio ponit.—*Sine uncto*] Uncto et delicato cibo. *Lubin.*

17 *Et, &c.*] Solebant avari esculenta et poculenta annulo obsignare, ne furtim aliquid auferretur. *Lubin.*—*In, &c.*] Duplex nota minutissimarum sordium est, quam hic recenset: prior, obsignare lagenas in quibus non vinum sit, sed vappa, id enim est *vapida lagena.* Deinde cum resignandæ sunt, tanto studio observare an salva et integra sint signa, ut naso contingat lagenas. *Casaub. Turneb.* XXX. 7.

18 *Discrepet, &c.*] Sensus est: Ego quidem ita vivo, nec contra dico, quin alii aliter vivant, et illi quidem discrepent, et dissideant ab hisce meis moribus. Est autem concessio.—*Geminos, &c.*] O Horoscope, qui unus et idem es, tamen producis in lucem geminos eisdem parentibus, eodem tempore satos, et natos, vario ingenio, dissimilibus studiis, diversis moribus.—*Horoscope*] Illud temporis momentum est, intra quod quisque nascitur: quasi temporis inspectio.—*Varo*] Vario, dissimili, dissentienti ingenio. *Lubin.*

19 *Producis*] In lucem ex utero materno profers. Contra alogos illos astrologos, qui putant eodem tempore, et sub eadem constellatione natos similiter esse adfectos.—*Solis, &c.*] Inde fit, ut inter geminos etiam alter sit, et inveniatur, qui adeo vafre et callide suas opes adservet, ut alius extreme sordidus et avarus, misere et renuiter victitet, alius siccum sine ullo liquamine olus comedat; solis autem diebus natalibus lautius aliquanto vivere sustineat, olus alias siccum tingat, et ungat, idque muria genere liquaminis vilissimo, illaque in calice emta. *Lubin.*

20 *Tingat*] Leviter tangat, et imbuat.—*Siccum*] Alias, et nullo uncto vel liquamine imbutum.—*Muria*] Liquaminis genus vilissimum, quod ex thynnorum tabe conficiebatur, ut garum ex scombrorum. Est etiam aqua salsa in qua aliquid fuit maceratum aut servatum.—*In, &c.*] Id est, In exiguo vasculo parce, ne diebus profestis aliquid supersit. Muria autem et similia in calice emere, moris fuit. *Lubin.*

21 *Ipse, &c.*] Id est, Adeo avarus, et sordidus, ut piper tanquam rem sacram et religiosam minimeque tangendam, parce admodum, et minutatim patinæ instillet, et quasi irroret. —*Ipse*] Ἔμφασις. Aliis enim hæc non concredit.—*Hic, &c.*] Exemplum prodigi. At hic alius, vel alter puer ex geminis tanquam *magnanimus* bonorum suorum possessor, *grandia bona*, ingentes opes, *dente*, gula, *peragit*, dilapidat et absumit. *Idem.*

22 *Magnanimus*] Avari enim pusillanimes, ut qui habeantur, non habeant divitias. *Lubin.*—*Puer*] Hic pro stulto, non ætate, sed moribus. *Casaub.*—*Utar, &c.*] Id est, Ego autem contra utar meis facultatibus, utar, inquam, illis; sed tamen ita ne illis abutar, et in luxuriæ vitium incidam, nec nimis lautus et delicatus libertis meis et servis, rhombos, et preciosos pisces per extremam luxuriam apponam.

23 *Lautus*] Liberalis nimis, delicatus, prodigus. *Lubin.*—*Rhombos*] Piscis plani genus, Romæ olim in delitiis habitus. *Een Tarbot.*—*Ponere*] In cibum apponere.

24 *Turdarum, &c.*] Cognoscere turdorum sapores. Solent enim quidam gulæ dediti, tantæ subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellanus, an terrarius sit: an masculus, an fœmina. Turdarum dixit abusive, cum turdorum debuerat, ut Horatius ponit: ‘Pene macros, arsit, dum turdos versat in igni.’ *Vet. Sch.*—*Nec, &c.*] Id est, Nec more extreme delicatorum et luxuriosorum nimium solers sim, et subtilis meo palato, ut salivam tenuem, et saporem minimo discrimine distantem turdorum juniperis pastorum, et aliorum possim dignoscere, et discernere. Dixit autem *turdarum* abusive pro Turdorum. *Lubinus.*—*Salivam*] *Salivam* pro gustu ponunt. Hinc *salivam movere* Latini dicunt, quæ gustum excitant et proritant. *Salmas. Turneb.* XXX. 7.—*Solers, &c.*] Et maxima solertia internoscam et discernam. *Lubin.*

25 *Messe, &c.*] Id est, Faciendus est sumtus pro ratione facultatum, et sumtus messe propria vel annuis propriorum agrorum proventibus metiendi sunt. *Lubin.* *Vivere messe tenus;* nihil quicquam de reditu reliquum facere; id est, *tenus;* totum enim

semper includit illud, de quo dicitur. *Casaubonus.*—*Et, &c.*] Contra parsimoniam nimiam. Fas est quod terra nascitur, granaria, et frumenta tua emolere, et panes inde conficere, vel ad alios usus adhibere. *Granaria* pro frumento in granario recondito. *Lub.*—*Fas, &c.*] Quid cogitas, inquit, o stulte, dum assidue bona congeris in horrea et granaria? quin potius promis quæ servas condita, et amicis pauperibus illa elargiris? *Casaub.*

26 *Emole, &c.*] Pro Exhauri molendo, ac quotidie liberaliter insumendo. *Casaub.*—*Quid, &c.*] Occurrit objectioni avari. At metuo, ne consumto illo frumento, paupertate premar. Respondet Persius: Tu tantum officia tua ac munia fideliter exsequere, et nihil ibi defuturum est: tu tantum ara, sere, occa, et rustica opera diligenter obi, et altera messis, altera seges, aliud frumentum tibi in herba est, tibi in agro resurget et crescet. Recte *metuas* dixit: avari enim cupiunt et metuunt, unde pusillanimes; ut contra prodigus, magnanimus superius dicitur.—*Occa*] Grandes glebas cædere, et ligonibus frangere.—*In, &c.*] Vide Proverbium: 'Tua messis in herba est.' *Turneb.* XXX. 7.

27 *At, &c.*] Hæc sequentia interpretes Persii verba esse censent. Sed sunt avari, parsimoniam suam defendentis, eique honestissimam rationem prætexentis, qui simulat se accumulare opes, ut olim amicis egentibus possit benefacere. Sensus est: Ego quidem libenter liberalius mea bona insumerem. At hominis officium mihi contradicit, et vocat, exigit et requirit, ut egentibus et naufragis amicis opituler.—*Trabe, &c.*] Descriptio naufragi. *Amicus* meus *inops*, calamitosus, et naufragus, *trabe rupta*, et navi fracta, vix enatando evadens, *saxa Bruttia*, et scopulos Lucani, et Brutii maris, *prendit*, et ne submergatur, amplectitur. Et sic *rem* suam *omnem* et *spem* et *vota* sua *surda*, et Diis tanto naufragio non audita, Ionio mari *condidit*, et naufragio amisit, et perdidit. *Lub.*

29 *Ionio*] Pars maris Mediterranei, quæ supra fauces Adriatici inter Siciliam et Cretam expanditur.—*Jacet, &c.*] Naufragus amicus.—*Et, &c.*] Dii in quorum tutela navis fuit. Quorum statuas et simulacra de puppe ablata, secum e naufragio eripuit, et ad littus detulit. *Turneb.* XIX. 2.

30 *Ingentes, &c.*] Navium tutelam dicit, quam in puppibus habent, vel pingunt. *Vet. Sch.*—*De, &c.*] Ex consuetudine veterum, qui in puppi sacrarium, velut lararium quoddam habebant.—*Jamque, &c.*] Id est, Ratis laceræ, et fractæ pars, et costa ipsis mergis et avibus marinis, dum se aquis immergunt, obvia est. *Lubin.*

31 *Costa, &c.*] Pro parte navis.—*Nunc, &c.*] Verba avari. Hic jam opus est in tanta calamitate amici, ut liberalitatem exerceas: nunc opus est ut non tantum ex messe, reditibus et fructibus, sed et de vivo cespite, et virenti agello aliquid auferas et frangas, particulam aliquam fundi et prædiorum amico inopi largiaris, et distribuas, unde vitam, victum et amictum sibi sustentet. Est autem *Cespes vivus*, proprie herba, una cum terra avulsa. *Idem.*

32 *Ne, &c.*] Naufragi casum suum in tabula depictum, stipem mendicantes, circumferebant.—*Oberret*] Ut mendicantes, ab uno ad alium erret.

33 *Cærulea*] In qua aqua pelagi cærulea depicta.—*Sed, &c.*] Si liberalius victitaveris, heres tuus infensus et iratus, quod rem, hereditates, et opes tuas imminueris et curtaveris, ubi mortuus fueris, parum honorifice te sepeliet.—*Cœnam, &c.*] Silicernium intelligit, quæ cœna in mortuorum solatium Diis Manibus inferebatur, et una cum funere cremabatur. *Silicernium*, quasi silentes umbræ eam cernerent. *Idem.*

34 *Curtaveris*] Imminueris, consumseris.—*Urnæ ossa*] Vetus sepe-

liendi ratio innuitur, qua cremati cadaveris reliquiæ, ossa, vel cineres, multis odoribus, aromatibus, et unguentis perfundebantur, et condebantur. *Idem.*

35 *Ossa, &c.*] Sine unguentis: vel inhonora, sepulturæ honore carentia. *Vet. Sch.*—*Inodora*] Quæ nullum odorem emittunt, et surdum spirant.—*Dabit*] Ad sepulturam exhibebit.—*Cinnama*] Synedoche; pro omni aromate, cinnama et casia hic ponuntur: vel, pro unguentis ex illis.—*Surdum, &c.*] Quorum odor obtusus, surdus, et insensibilis.—*Spirent*] Redoleant, fragrent. *Lubin.*

36 *Casiæ*] Quibus nos pro cinnamomo utimur. Quod hic vocat: *Peccent ceraso*, id est, Ceraso admixto adulteratæ sint.—*Nescire, &c.*] Dissimulans, negligens, nihil curans. *Idem.*

37 *Tune, &c.*] Verba futuri hæredis, indignatione plena: Tune opes, et bona tua adhuc salvus et incolumis, imminues et atteres, cum ea servare deberes in apparatum funeris tui? *Casaubonus.*--*Bestius*] Nomen hæredipetæ, aut avari cujusdam, quem per prosopopœiam loquentem introducit.—*Urget*] Accusat, damnat, et reprehendit. *Turn.* XXX. 7.

38 *Doctores*] Periphrasis Philosophorum.—*Ita fit*] Verba Bestii cum indignatione proferenda.—*Postquam, &c.*] Id est, Postquam hæc nostra sapientia maris expers et Romana, nobis cum peregrinis mercibus venit, et admissa est in urbem. *Lubin.*

39 *Cum, &c.*] Emphasin habet. Illo enim delicatiores cibos condiebant.—*Palmis*] De arbore intelligit. Vide Plin. XIII. 4.—*Nostrum, &c.*] Id est, nostra hæc sapientia cismarina et Romana, non amplius Græca. *Lubinus.*—*Maris, &c.*] Id est mollis et effœminata. Vel sapientia quam vulgo docemur, transmarina, id est, Græca. *Casaubonus. Turneb.* XXX. 7.

40 *Fœnisecæ*] Rustici fœnum secantes.—*Crasso, &c.*] Solent rustici, cum oleum defuerit, adipe pecudum in pultem misso, pro oleo uti. *Vet. Sch.*—*Crasso, &c.*] Pingui condimento. Solebant enim rustici, cum oleum deesset, adipe pecudum olei loco uti.—*Vitiarunt*] Infecerunt, condierunt. *Lubinus. Crassum unguen*, pro exquisitis delitiis; ut supra *crassa* amoma, id est, eximia. Aliter autem locus hic accipiendus, quam ut verba sonant: nam Romani cum luxuriæ assueverunt, non unxere impensius pultes suas: verum iis neglectis, lautiores cibos expetiverunt. *Casaubonus.*

41 *Hæc*] Vel, Quid heres de te sentiat: vel, Ut mortuus honorifice sepeliaris. Malim hæc legi sine interrogatione: ut concessio sit ironica, ad irridendam eorum fatuitatem, qui vivunt misere, suum assidue genium defraudantes, eo impulsi metu, ne cœnam funeris iratus heres negligat. Hoc sane, ait Persius, jure metuas: sed tum cum eris *cinere ulterior*, id est, cum fueris fato functus.—*At tu, &c.*] Heus tu, quisquis meus hæres futurus es, illa quæ dicturus sum aliquanto a turba seductior, et remotior audi, et ausculta. *Lubin.*

42 *A turba*] Remotis arbitris. *Idem.*

43 *Missa, &c.*] Sensus est: Num tu ignoras, quod a Claudio Caligula Cæsare laurus, victoriæ index, cum litteris ad senatum missa est, ob egregiam Romanorum victoriam, et insignem cladem et stragem Germanæ pubis. Cui victori jam sacrificia et victimæ in triumphum parantur, et ab omnibus aris vetus et frigidus cinis et pulvis excutitur, et altaria ad sacrificia præparantur.—*Laurus*] Pro laureata Epistola qua suam victoriam, S. P. Q. imperatores annunciabant. *Lubinus.*

44 *Germanæ, &c.*] Pro Germanis puberibus. *Idem.*

45 *Frigidus, &c.*] Vetus, qui longo tempore igni sacrificiorum non incaluit.—*Excutitur*] Ad nova sacrificia reparanda removetur.—*Postibus*] Qui-

bus captivorum arma in judicium victoriæ adfigebantur. *Lubin.*

46 *Chlamydes*] *Chlamys* erat militaris vestis, pallio astrictior, et brevior.—*Lutea, &c.*] Vestes militares villosæ, quibus utebantur in hybernis. *Idem.*

47 *Esseda*] Erant vehicula Gallica vel Belgica, corio vel panno cooperta.—*Locat*] Accommodat ducibus Germanis captivis.—*Cæsonia*] Caligulæ uxor, effrenatæ libidinis mulier. Hæc Caligulæ poculum amatorium porrexit, quo ille in furorem versus.—*Rhenos, &c.*] Germanos, Rheni accolas. *Idem.* Dorleans legit, *rhedas.*

48 *Diis, &c.*] Quare Diis immortalibus hujus victoriæ et triumphi auctoribus, et Caligulæ ducis Genio, ob res præclare et egregie gestas, centum paria gladiatorum in theatrum et arenam inducere et producere constituo. Munera autem gladiatoria, et ludos adeo cruentos in religionis parte numerabant.—*Genio*] Naturæ Deo, cujus ductu et auspicio res tam feliciciter cessit. *Turneb.* XXX. 7.

49 *Quis, &c.*] Scilicet, Quo minus hæc faciam.—*Aude*] Tu autem hæres sume tantam animi confidentiam, et aude mihi contradicere. Eo magis et majoribus sumptibus hæreditatem, cui inhias, exhauriam. *Casaubon.*

50 *Væ, &c.*] Væ tibi, nisi mihi adsentiaris.—*Oleum, &c.*] Quin etiam oleum, et artocreas, cibum ex pane et carne, atque adeo epulum, et congiarium populo largior. *Idem.*

51 *An, &c.*] An tu, o heres, illud fieri vetas et prohibes?—*Dic, &c.*] Quasi hæres ringatur ad hæc et murmuret: ideo dicit, *dic clare*, quid mussas, ecquid hæc res tibi molesta est?—*Non, &c.*] Verba hæredis, et dicit, se non adeo impedire, vel prohibere, quo minus animo morem gerat. Et sequentia Persii sunt: Est mihi ager exossatus et satis fertilis soli, ut facile hæredem invenire possim. *Idem.*

52 *Exossatus, &c.*] Fœcundus et fertilis, et probe cultus, a lapidibus et saxis repurgatus. *Turnebus* XXX. 7.—*Age, &c.*] Sensus est: Age, si jam nullus mihi cognatus, nullus qui mihi consanguinitate conjunctus fiet, non interea tamen omni hærede destituor: sed viam Appiam peto, et ad pauperem vicum Bovillas, et in valle Aricina ad clivum Virbii accedo: ibi vero Manius hæres ultro mihi præsto est.

55 *Accedo, &c.*] Bovillæ sunt vicus ad undecimum lapidem Appiæ viæ: quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus jam consecratus, ibi comprehensus est. Inde Bovillæ dictæ. *Vet. Sch.*—*Bovillas*] Pauper vicus erat Romæ proximus, ubi Clodius a Milone interfectus est. Mss. *Bovillæ*, non *Bobillæ*. Lubin.

56 *Clivumque, &c.*] Quatuor millibus ab urbe est Virbii clivus, qua iter est ad Ariciam, et ad nemus Dianæ, ubi Virbius colitur, id est, Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud Virgilium fabula est.—*Mannius*] Mannium dicit deformem et ignotum hominem, eo quod Maniæ dicuntur indecori vultus personæ, quibus pueri terrentur. *Vet. Sch.*—*Clivumque, &c.*] Qui quatuor millibus ab urbe aberat, qua ad Ariciam et Nemus Dianæ, ubi Virbius vel Hippolytus colebatur, ibant.—*Manius*] Hic Manius, cujus posteri hic habitabant, Aricinum lucum Dianæ consecrarat. Vide Erasmum in Proverbio: 'Multi Manii Ariciæ.' Dicit autem hic Manium pro quovis ibi habitante. *Turneb.* XXX. 7.

57 *Progenies, &c.*] Objectio. Verum ille est terræ filius, homo obscuro loco natus, et a tua familia alienus: qualem hæredem scribere absurdum est.—*Quare, &c.*] Respondet Persius: Et si terræ filius est et ignotus, non tamen est alienus, quia atavus meus itidem ignotus est, et terræ filius: nam et ejus genus incertum est. His adde etiam unum, et adhuc etiam unum, et quære quis quintus vel sextus pater et atavus, aut tritavus meus fuerit;

ille vero jam mihi æque est ignotus et obscurus. *Quartus pater*, est atavus. *Lubin.*

59 *Ritu, &c.*] Ratione, vel ordine cognationis, si stemma spectemus. *Idem.*

60 *Manius*] Ista ratione Manius mihi cognatus probatur esse, non ille quidem proximus; sed tamen cognatus. *Casaubon.*

61 *Qui, &c.*] Apud Athenas cum juvenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat: deinde sequenti se tradebat, et secundus tertio: similiter omnes, donec currentium numerus impleretur. *Vet. Sch.*—*Qui, &c.*] Reprehendit jam hæredipetam, cujus impudentiam perstringit, qui major natu ac senior, junioris mortem avide ejusque bonis inhiare non erubescebat.—*Qui, &c.*] Omitto Manium, inquit; sed tu mi hæres, quem naturæ propiorem mihi fecit, quam sit Manius, et ad quem lege naturali mea hereditas prius perventura est quam ad illum, cur de hæreditate mea, viventis adhuc es sollicitus? Tum in agonibus, posterior cursor facem poscebat priorem, non contra: quare inepte exposueris, Qui prior es in cursu. Lampades autem tradebant non currentes, sed decurso spatio: sicut hæreditatem non tradit, qui vivit, sed qui vixit. *Casaubon.*—*Prior*] Natu major, annosior.—*In, &c.*] In hoc curriculo, vel stadiodromo vitæ humanæ.—*Lampada*] Allegorice, pro Ipsis bonis et facultatibus. *Lubin.*

62 *Sum, &c.*] Dialogismus Persii et hæredis ad finem usque. Sensus est: Ego sum tibi hæres, tanquam lucri Deus, qui mea bona gratuito tibi offeram. Ego huc ad te, ut ille Mercurius dextra tenens marsupium pingitur, cum bonis meis tanquam Deus venio, eaque tibi gratis, sine tuo merito, offero.—*Mercurius*] Lucri Deus. *Idem.*

63 *Pingitur*] Pingebatur Mercurius dextra marsupium tenens, quod supra caput hirci jacebat, sinistra caduceum tenebat. Ad pedes hircus et gallus erant.—*An, &c.*] An recusas accipere quicquid ego tibi gratis offero? —*Gaudere*] Hilari animo accipere, tanquam lucrum adventitium. *Idem.*

64 *Deest, &c.*] Verba hæredis Persii hæreditatem adire recusantis, ex adjunctis, quod summa bonorum Persii aliqua parte imminuta sit.—*Minui*] Respondet Persius: Si aliquid deest, mihi deest, non tibi; mihi minui, non tibi: tibi autem quicquid id est, quod reliqui, totum et integrum est, nihilque tuæ summæ deest, nam nihil tibi debebatur. *Idem.*

65 *Ubi, &c.*] Id est, Si sapis, o hæres, cave et fuge illud ex me quærere, ubi illud sit, vel ubi illud reliquerim, quod Tadius mihi olim in testamento reliquit. Non enim teneor tibi rationem reddere. *Idem.*

66 *Neu, &c.*] Nec patruus mihi esto, nec dicta imperiosa, censoria, et paterna, quibus uti solent patres in repetenda rerum filiis creditarum ratione, mihi pro meis facultatibus quas tibi relinquo, repone, et retribue. *Idem.*

67 *Fœnoris, &c.*] Tractum est hoc a patribus qui dicunt filiis suis: Hoc, quod vobis lucri de fœnore accessit, ad fructum, id est, ad usum vitæ vobis proficiat: reliquum vero pecuniæ reservate integrum. *Vet. Sch.*—*Fœnoris*] Olim cum relictam a me hereditatem administrabis, rem amplifica; et fœnoribus auge tuam sortem. *Fœnoris merces*, est Merces mutuo datæ pecuniæ.—*Hinc, &c.*] Hinc ex fœnore, non ex sorte. Sumptus, τὰ ἐπιτήδεια καθ' ἡμέραν. *Casaub. Turneb.* XXX. 7.

68 *Quid, &c.*] Verba hæredis hæreditatem imminutam esse molestissime ferentis.—*Reliquum*] Verbum Persii cum stomacho pronunciandum. Heus, puer, nunc delicatiora fercula mihi compara; jam cibos meos lautos pingues impensius unge. Quasi dicat: Nihil tibi relinquere, et omnia ante

mortem consumere, stat sententia. *Lubinus.*—*Nunc, &c.*] Quando video divitias meas pluris a te fieri, quam vel amorem meum, vel etiam virtutes. *Casaub.*

69 *Mihi, &c.*] Egone, ut olere duro et salsamentis misere victitem, quo filius tuus partas servatasque opes sudore meo, abdomini serviens, dilapidet? hoc placet, mi heres? *Casaub.*—*Festa*] Cum lautius vivendum. *Lubin.*

70 *Urtica*] Ex qua tenuioribus vilissimum olus. *Lubin.*

71 *Nepos*] Ambigue et ingeniose dixit. Aliquis ex posteris tuis nepos et luxuriosus hæres.—*Anseris*] Quæ olim in summis delitiis habebantur. Intelligit autem jecur. *Lubin.*

72 *Cum, &c.*] Ut cum cœperit fastidire plebeiam et vulgivagam Venerem, pecuniæ vi irrumpat in thalamos nobilium virginum ac matronarum. Non dicit hoc Persius ex doctrina Stoicorum, quibus peccata omnia paria; sed ex vulgi opinione, quæ latum discrimen inter ista ponebat. *Singultire*, hic est, fastidire copiam alicujus rei. *Casaubonus.* Vel palpitabit.—*Vago*] Varia, vel concessa et licita Venere.

73 *Patritiæ, &c.*] Rem habeat cum nobili fœmina.—*Mihi, &c.*] Egone ut me macerem ac fiam ossa ac pellis, iste nepos ventrem ingluvie promittat? *Trama* heic quæ Prudentio *nervorum textura*, Een Geraemte. *Casaubon. Turneb.* XXX. 7.

74 *At, &c.*] Hæredi, vel nepoti.—*Omento*] Pinguedine, qualis in omento. Sunt autem *popæ* victimarii, qui se hostiarum visceribus prope curabant. *Lubinus.*

75 *Vende, &c.*] Concludit Satyram Ironica concessione, ut aliquis per fas nefas hinc inde opes accumulet, nullumque finem accumulando inveniat. *Casaubon.* Vel, Redime omnes lucri faciendi occasiones, vel jactura animæ, id est, vitæ. *Idem.*—*Excute, &c.*] Pervagare, penetra.—*Solers*] Ad lucrum prudens, et circumspectus. *Lubin.*

76 *Omne, &c.*] Extremos Indos, ultimam Thylen.—*Ne sit*] Argumentum a fine, ne quis alter ditior et opulentior videatur, et ne quis mango præstantior et numerosior sit Cappadocas pueros pingues et bene habitos, et inamœna machina, in qua venales exponuntur pavisse, et majores quæstus fecisse.—*Præstantior, &c.*] Hellenismus.

77 *Cappadocas, &c.*] Gladiatores dicit. Nam apud antiquos venales gladiatores in catasta ponebantur, ut in eis possent omnia membra inspici. Vel, quia Cappadoces dicerentur habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda: qui nutriti in tormentis, a pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, et cum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia se bene venundarent.—*Pavisse*] Legitur et *plausisse*: quoniam venales antequam in catasta imponantur, cantant universi pariter more gentis suæ. *Vet. Sch.*—*Cappadocas*] Synecdoche, pro Omnibus mancipiis. Magna enim servorum multitudo inde ex Cappadocia Romam advehebatur. *Lubinus.*—*Plausisse*] *Plaudere*, palpo percutere, aut plana manu ferire: quod videntur fecisse mangones, ad ostentandam εὐεξίαν et bene curatam cutem suorum mancipiorum: et confirmat hanc interpretationem vox *pingues*. Casaub. Turneb. XXII. 8. et XXX. 7. Regio Armeniæ finitima. *Lubin.*—*Catasta*] Pegma ligneum, in quo suos venales collocabant, cum illos vendebant, aut ad venditionem parabant. *Casaubon.*—*Rigida*] Inamœna vel robusta. *Lubin.*

78 *Rem, &c.*] Verba Persii ad avarum, opes tuas conduplica.—*Feci*] Respondet avarus.—*Redit, &c.*] Quasi in plicam, ut decuplex sit. Metaph. a vestibus. *Lubinus.* Vel, Quæ nondum tendit neque explet marsupium: sed adhuc hians et laxum est os illius. *Casaub.*

79 *Depinge, &c.*] In editione Pithœi est *depunge*, quod perplacet. Translatum a libræ scapo: ubi punctis notatæ sunt ponderum mensuræ. Heic igitur Persius avarum heredem urget, doceat se ubi sistat: nimirum id voluit paucis ostendere, avaros finem consequi nunquam. *Casaubonus.*

80 *Inventus, &c.*] Specie proverbii hoc dicitur, quasi diceret: Doce me finem tuæ avaritiæ: atqui modum imponere tuæ avaritiæ non magis potes tu, quam olim potuit Chrysippus finem soritis invenire, et ubi resistendum esset definire. Ait vero Persius, tui *Chrysippe acervi:* quia multum in eo Chrysippus sudaverat, ut finitorem acervi inveniret: sed frustra. *Casaub. Turnebus* xxx. 7.—*Chrysippe*] Stoicus hic Philosophus Cleanthis discipulus. —*Acervi*] Syllogismi acervalis vel soritis, qui cum esset captiosus infinitis quæstionibus, excogitarat Chrysippus rationem, quomodo illi respondendum esset. Dixerat enim oportere ἡσυχιάζειν, quiescere: quod hic Persius vocat *sistere*, priusquam in immensum crescat. *Lubin.*—*Inventus, &c.*] Chrysippus philosophus Stoicus. Syllogismum σωρίτην vocavit, quem per adjectionem et detractionem ex acervi frumentarii similitudine ostendit. *Vet. Sch.*

NOTITIA LITERARIA

DE

PERSIO

EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Latina, a Jo. Aug. Ernesti auctius edita, II. 12.

[EX ED. BIPONT. 1785.]

PERSII ÆTAS.

A. PERSIUS [1] FLACCUS natus Volaterris, eques [2] Romanus, æqualis Lucani poëtæ, et una cum eo Annæi Cornuti, [3] philosophi Stoici, auditor, vix duodetriginta annos natus, obiit anno imperii Neronis nono. Reliquis Persii poëmatis juvenilibus jussu Cornuti

NOTÆ

1 *Persii*, dubito an nostri, effigies in marmore apud Fulv. Ursinum pag. 46. elog. in thesaur. Antiq. Græcarum Gronoviano T. 3. a a a a. Fuit et Caius Manius Persius homo doctissimus, de quo Cicero de Orat. II. 6. et de Fin. I. 3. refert Lucilium dicere solitum: 'Persium hæc legere nolo, Lælium Decimum volo.' Alius Julius Persius in Apuleii Floridis.

2 Ita plerisque persuasum est auctore Eusebio in Chron. et scriptore vitæ Persii, licet ipse se poëta Ligurem, e Tigulia prope portum Lunæ, innuere videtur, Sat. VI. 6. sq. Vide Caspari Massæ, et Ludovici Aprosii dissertationes Italico idiomate scriptas de patria Persii, quæ recusæ leguntur ad calcem libri Raphaëlis Soprani de Scriptoribus Liguriæ; Gregorium Leti in Italia regnante parte IV. pag. 373. Adde August. Oldoinum in Athenæo Ligust. p. 80. sq.

3 Cornutum suum multis laudat Persius Satira V. quæ ridicule inscribitur etiam in Schreveliana editione, 'ad Magistrum Equitum Cornutum,' pro eo, quod legi debebat, 'ad Magistrum Annæum Cornutum.' De Cornuto et ejus scriptis dixi lib. III. Bibl. Græcæ cap. 15. pag. 398. sq.

post auctoris mortem abolitis, utpote indignis luce, solus ad nos pervenit *liber sex Satirarum* [1] doctus et argutus, sed cum acerbis [2] salibus plenus, tum ita obscurus, ut propterea aliquibus abjiciendus esse videretur.

CODICES.

Codicem Persii scriptum antiquissimum in Bibliotheca prædicatorum Vindobonensium memorat, ex eoque versum affert Vadianus in Epistola ad Rud. Agricolam, qua Melæ suo præfatur. Juvenalis et Persii autem codex scr. in Bibl. Gersdorfia in Ephemerid. literar. Lips. 1710. memoratur, itemque *Ludov. Cendratæ* notæ Mss. in Sat. I. et II. in Bibliotheca Rhedigeriana: in Labbei autem Bibliotheca nova Mss. p. 68. comment. in Persium *Cantalycii* e Sec. XIII.[3]

NOTÆ

1 P. Pithœus testatur, in antiquo Ms. singulas paginas hanc inscriptionem præ se tulisse: 'Thebaidorum Persii Satira,' et in extremo: 'Explicuit Persii Thebaidorum Satira feliciter.'

2 Hinc *Severi* appellationem Persius tulit, ut Lucilius a Juvenale dictus est *ardens*, Catullus *doctus* ab Ovidio, Horatius a Persio *vafer* dicitur, Lucretius a Lucano *difficilis*. Confer Bælii Lexicon in Persio, qui propter singularem carminum obscuritatem non dubitat Latinorum Lycophronem appellare. Neque ignotum est, quod passim narratur de S. Hieronymo, qui non capiens ejus tenebras, 'intellecturis ignibus illa dedit,' abjectoque libro 'si non vis intelligi,' dixit, 'non debes legi.' Minus præclare de Persio sentit Vavassor libro de ludicra dictione p. 239. sq.

3 Communicavit et nobiscum pro benignitate sua egregia Vir illustriss. et patronus nobis summo colendus opere, *Heideggerus*, amplissimæ Reip. Turicensis a consiliis et Tribunus, Codicem Persii Ms. chartaceum fol. min. sed juniorem eumque sæculo xv. scriptum ab Adamo *Wernher* Temarensi, ab an. 1483. ad an. 1491. Pædagogus is fuit Ludovici principis hæredis Archipalatini, tum Prof. publicus juris Can. in Acad. Heidelbergensi, defunctus d. 7. Sept. 1537.; (quod docuit vir doctissimus, sed præmature vivis ereptus Car. *Wund*, Prof. eloq. et hist. Heidelb. in progr. de origine et progr. fac. jurid. in Acad. Heidelb. P. II. p. 14. et III. p. 2. sq. Adde ejus epitaphium in M. Adami Apogr. Monum. Heidelb. p. 15.) poëta id temporis haud incelebris, (quem et Reuchlini amicitia floruisse non testatur solum tetrastichum a Wundio ex Conr. Gesneri bibl. univ. p. 3. adductum, sed et Carmen in ejus laudem dictum in Scenicis progymnasm. Heidelb. 1498. 4.; inde a Jac. Burckardo in Comm. de linguæ lat. in Germania fatis vol. II. p. 262. sq.) Is autem in Persii sui fronte posuit *epitaphium* a se *fictum*:

Ille ego qui in Satyris non ultimus esse poëtis
Dicor et obscurum composuisse librum.
Ex Flacco gravida peperit me Fulvia mater;
Tu mihi, Cornute docte, magister eras:
Quatuor in studio nec adhuc ego lustra peregi:
Cumque opus haud facile fingere Musa dedit.
Ante expectatum Lachesis me pressit acerbo
Funere: Dic, *Persi* (Lector amice) *vale*.

In aversa pagina legitur Argumentum in opus Persii:

Corrigit in *prima* laudantes molle poëma:
Perversos mores ac impia vota *secunda*:
Molles et pigros satirarum *tertia* mordet:
Corrigit in *quarta* juvenem satis ambitiosum:
Libertate opus est ex *quinta* philosophanti:
Qui miseri vivunt per *sextum* rodit avaros.

Prologi Persiani litera initialis N quadrata coloribus, purpureo, viridique et auro distincta est, et uterque paginæ primæ margo floribus pulchre ad vivum pictis ornatus. Textus dein glossis verbalibus iisque levioribus interlinearibus, credo in usum principis alumni, perspersus nihil fere singulare habet, quod Casaubonus non viderit, et judicaverit, plerumque improbarit. Speciminis tamen causa prologum damus, cum tertius præsertim versus aliam lectionem, Casaubono certe haud memoratam, inferat:

Nec fonte labra prolui caballino
Nec in bicipiti somniasse parnaso
Memini *me ut sic repente* poëta prodirem
Heliconiadasque pallidamque pirenem
Illis *relinquo* quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces, ipse semipagonus
Ad sacra *f*atum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum *chære*
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit numi:
Corvos poëtas, et poëtr*idas* picas
Cantare credas *per*pegas*eum* meios.

Satirarum dein literæ initiales O, H, N, R, V, A desunt, quod artificis manus defecerit. In Sat. I. 2. sqq. sic interpuncti leguntur:

Quis leget hec? min tu istud ais?
Nemo? hercule nemo.
Vel duo vel? Nemo. turpe et miserabile. quare?

Sed mittamus cetera. Codicis apographi, forsan ex ed. aliqua vetustiore descripti, cum parum inde accedere queat ad emendandum textum, menda plura ipse admiserit.

Sub finem fol. 24. (a) (tot enim habet Ms.) legitur:

A. Persii Flacci Satirarum finis.

Tum subjicitur, quod Palatinis certe haud ingratum fuerit:

Illustrissimum principem Philippum comitem palatinum Rheni et ducem Bavarie sacri Romani Imperii archidapiferum principem electorem accedat ad Caliopen carmen heroicum

Illustrissimo Principi Philippo, &c.
Suo genitori Ludwico, &c.

S. P. D.

Si placet has reserans genitor clarissime chartas
Nostre primicias Muse hec lege carmina: nostra
Si sint dicenda, quæ ex prosa carmina feci.

Vale.

Si placet has chartas clementia vestra recludat
Illustris princeps pater et legat hec metra nostra
Si sint dicenda, quæ ex prosa carmina feci.

Fol. 24. (b.) quæ ultima est pag. aspersa leguntur varia Adæ Wernheri in quendam Augustinum-Brechtel, (credo Rohrbacensem) ludicra s. invectiva, quæ nihil huc pertinent.

RECENSUS EDITIONUM

PERSII,

LONGE AUCTIOR FABRICIO-ERNESTIANO ET IN QUATUOR ÆTATES DIGESTUS



PERSII ÆTAS I. natalis 1469.—1499.; quæ ad Persium tum separatim sine loco et anno, tum Romæ ap. Udalr. Gallum (an. 1470.) cum Juvenale editum origines refert. Has exceperunt Brixienses ab an. 1473. et Mediolanenses Zarotinæ ab an. 1474.; Venetæ dein, quarum I. cum Comm. Barth. Fontii prodiit 1480. Ab alterius commentatoris Jo. Britannici cura commendatur Brixiensis II. 1481. Uterque juncti comparent in Veneta VI. 1491. Persius vero vel solus, vel cum Juvenale edi consuevit.

Sine anno et loco: Persii Satyræ; quam scriptor Catal. Bibl. Hulsianæ omnium principem censet ex versu, qui in fine legitur:

Explicit *ignotus* per totum *Persius* orbem.

— Persii Flacci nobilissimi Satyrici unicus, sed elegantissimus Satyrarum liber fol. occurrit in Cat. Bibl. Uffenbach. T. II. App. Incunab. artis typogr. Additt. n. 346. p. 817.

— 4. Persius cum glossis Scipionis Ferrarii Georgii filii de Monferrato, memoratur Engelio in Bibl. select. p. 123. Idem Scipio etiam in Val. Flacci Argonaut. glossas edidit.

Sine anno, Persii Satyræ; cujus ed. vetustatem, certe in Gallia principatum, colligit scriptor Cat. Bibl. Huls. ex versibus in fine:

Excepit claros *Andegavense* poëtas
Ut studium, *Persi*, tu cito sculptus ades:
Gallorum egregias sic sculptus perge per Urbes,
Ut possit spatium cernere glossa suum.

1474 Ferrariensis, fol. Persius memoratur Fabricio.

1475 Lovaniensis, fol. Persius—'per Joannem de Westphalio, arte characterisandi novissima,' ut in fine dicitur. Ita Fabricius.

1480 Veneta I. Fontii, fol. Auli Persii Flacci poëtæ Satyrarum opus.—Constat 28. foliis iisque signatis, sed caret paginarum numero et custode. Præmissa Bartholomæi Fontii dedicatio ad Laur. de Medicis. Textum notæ ambiunt. In fine legitur: 'A. Persii Flacci Satyrarum finis MCCCCLXXX. Venetiis.'

1482 Daventriæ, fol. Persius. Vid. Corn. a Beughem incunab. Typogr. p. 105.

— Veneta II. fol. min. Persii Satyræ cum Comm. B. Fontii, per Bapt. de Tortis. Extat in Bibl. Archipal. Manhemii.

— Veneta III. fol. Persii Satyræ, cum Comm. Barth. Fontii.—A. Persii Flacci Satyrarum finis. Anno M.CCCC.LXXXII. Mensis Decembris die XXIV. per me Magistrum Renaldum de Novimagio Theutonicum Venetiis impressum.

De his duabus Venetis vide Beughem. l. c. pag. 105. Bauerum l. c. p. 185. Gœtzium in memorab. Bibl. Dresd. T. III. p. 120. n. 207. et Catal. Bibl. Trajectino-Batavæ (editum 1718. f.) in Libr. f. p. 87.

1484 Veneta IV. fol. Persius, cum Comm. Fontii—per Bapt. de Tortis, teste Fabricio.

1485 Veneta V. fol. Persius, cum Comm. Fontii per Anton. de Bactibobus. Cf. Lengnich Beitræge zur Kenntniss seltener Bücher &c. 2 Theil. p. 120. Extat quoque in Bibl. Archipal. Manhem. hujus anni editio.

1491 Veneta VI. fol. Persius cum Comm. Jo. Britannici Brixiani et Barthol. Fontii.—Impressum Venetiis per Bernardinum Benalium Bergomensem et Matheum Capcasam Parmensem anno nativ. Dom. MCCCCXCI. d. III. Aug. Sic in Engelii Bibl. select. p. 115. sub Terent. et in Cat. librorum in Bibl. Gœtting. in duplo extantium an. 1784. p. 16. n. 120. (b.)

1492 Veneta VII. fol. Persius c. Comm. Jo. Britannici per Barth. de Ragozzonibus. Vid. Lengnichii Beitræge &c. P. II. p. 120.

1494 Veneta IX. fol. Persius c. n. Jo. Brit. et B. Fontii.—Venetiis sumptibus Jo. de Tridino; castig. a Barth. Merula.
1495 Veneta X. fol. Persius, c. Comm. B. Fontii.
1497 Veneta XI. fol. Persius.

ÆTAS II.

PERSII 1499—1585 auctioris scholiis veteribus, quæ sub Cornuti nomine feruntur. Ea nimirum 1499. primus protulit Jo. Bonardus sacerdos Veronensis, dein curatius Rob. Stephanus 1544. locupletiora autem Elias Vinetus 1560. Textus vero inde et ab Aldina 1501. (cujus filia videtur Juntina 1513.) a Parisina Colinæi, Lugdunensibus Seb. Gryphii 1534. et 1538. Parisina R. Stephani 1544. Basiliensi Frobeniana Cælii Sec. Curionis 1551. Pictaviensi Vineti. 1560, Plantiniana Pulmanni 1565, et Basil. Th. Freigii profecit.—Novi Commentatores accessere Ph. Beroaldus, et Ang. Politianus 1507. Jo. Murmellius Ruremundanus, et Jo. Bapt. Plautius 1516. Jod. Badius Ascensius 1523. qui et Plautii, Murmellii, Britannici, Ælii Ant. Nebrissensis ac Jo. Scoppæ curis suas leviores conjunctiores edidit, et ab an. 1525 Herm. Buschius, cujus obss. in Sat. I. Murmellianæ edd. sibi vindicarunt, et Des. Erasmus Roterod. Ascensianæ filia melior est Frobeniana Curionis; quem excepit novus Commentator Ant. Foquelinus. Denique paraphrastæ munus sibi sumsit Nic. Frischlinus. Tacemus alios.

1499 Veneta XII. cum picturis, fol. Persius cum Comm. Cornuti philosophi, Jo. Britannici et Barth. Fontii—'Impressum Venetiis sumptu diligentissimi viri Joannis de Tridino.'—In hujus ed. capite est epist. Jo. Bonardi, sacerdotis Veronensis ad Angelum Marcellum, Patricium Venetum: in qua se dicit Cornuti Comm. diu lacerum et valde depravatum operosa industria sua restituisse et Tacuino exprimendum dedisse. Extabat bis in clar. Jo. Aug. Ernestii Bibl. teste Catal. p. 172. n. 2565. et 2595.
1500 Lugdun. 4. Persius c. Comm. Jo. Britannici. Extat in Bibl. Archipal. Manhem.
— Brixiensis IV. fol. Persius c. Comm. Jo. Britannici et ex ejus recognitione: per Jac. Britannicum.
1502 Lipsiæ, fol. Persius. Vid. Gœtze Merkwürdigkeiten der Dresdner Bibl. T. III. p. 179. n. 219.
1506 Lugd. 8. Persius c. interpr. Jo. Britannici. Extabat in Bibl.

Zechiana, teste Catal. Lips. 1782. edito, p. 61, n. 995. nisi mendum subest.

1507 Lipsiensis (Lipzk) fol. Persius, sine notis.

— Lugdun. fol. min. s. 4. A. Persii familiaris explanatio c. interpr. Jo. Britannici; præmissæ Beroaldi et Politiani in Persium prælectiones; vid. Cat. Bibl. Ill. L. B. de Zech. n. 658. p. 46.

1510 Lugdun. 4. Persius, Repet. ed. 1507, teste eodem Catal. n. 659.

1515 Persius. (forsan cum interpr. Jo. Britannici, Beroaldi et Politiani prælectt. et impressa per J. A. Scinzenzeler.) Extat in Bibl. Francof. ad M. teste Catal. Jo. Jac. Lucii.

— Lips. (Liptzk) 4. Persius. Vid. ill. Zechii Bibl. Cat. l. c. n. 660.

1516 Veneta, fol. Castigatissimum Persii poëma: cum Joan. Baptistæ Plautii frugifera interpretatione: nec non cum Cornuti philosophi ejus præceptoris: Joannis Britannici Brixiani: ac Bartholomei Fontii aureis commentariis. In fine: 'Impressum Venetiis per Joannem *rubeum* Vercellensem. Anno a nativitate Domini MDXVI. die vero XXV. Mensis Aprilis Regnante inclyto ac fœlicissimo principe Leonardo Lauredano.'—Sic titulum nobis descriptum communicavit vir humanissimus Aug. Christ. Borheck.

— Daventriæ, 4. Persius cum Ecphrasi et Scholiis Jo. Murmellii. Vid. Cat. Bibl. Zech. n. 661. (Jo. Murmellius obiit Daventriæ 1527.)

1517 Coloniæ, 4 min. Nova commentaria in Persium. A. Persii Flacci Satyræ complusculis quibus scatebant mendis repurgatæ: cum Ecphrasi et Scholiis Joannis Murmellii Ruremundensis:

MARTIALIS.

Sepius in libro memoratur Persius uno
Quam totus magna Marsus Amazonide.

In fine: 'Impressum Colonie in officina libraria Quentell. Anno Domini MDXVII. in Septembri.' Hujus ed. rarioris notitiam debemus viro literatissimo A. C. Borheck.

1520 Paris. 4. Persius c. interpr. Jo. Britannici. Bibl. Zech. n. 662.

1522 Colon. 4. A. Persii Flacci Satyræ, luculentissima Ecphrasi et Scholiis doctissimi viri Joh. Murmellii Ruremundensis enarratæ. —Herm. Buschii epistola, qua Persiani Prologi et primæ Satyræ argumentum explicatur.—Apud Sanctam Ubiorum Coloniam

Anno MDXXII.—In fine folii B legitur: 'Coloniæ in ædibus Eucharii Cervicorni.' Mense Augusto.—Servatur in Bibl. Acad. Heidelberg. significante nobis perhumane Viro pl. rev. et doct. Car. Buttinghausen, Theol. D. et Prof.

1523 Ascensiana, fol. Persii Satyræ cum quinque Commentariis et eorum indice amplissimo: ac Satyrarum argumentis Jodoci Badii Ascensii, Jo. Bapt. Plautii, Jo. Murmellii, Jo. Britannici, Ælii Antonii Nebrissensis. Additis ad calcem L. Joannis Scoppæ in eundem annotationibus. Venundantur in ædibus Jodoci Badii Ascensii 1523.—Ita Hambergerus, T. II. p. 72.

1525 Eadem ex prelo Ascensiano. Cf. Engelii Bibl. sel. p. 124.

— Colon. 8. Persius c. scholiis Jo. Murmellii et Herm. Buschii ad eum epistola. V. Bibl. Ernestianæ Cat. Lips. 1782. p. 192. n. 2898.

1527 Paris. 8. ap. Rob. Stephanum. Persius c. notis Æl. Ant. Nebrissensis.

1529 Lucronii (in Hispania) 8. Persius c. n. Ælii Ant. Nebrissensis.

1531 Paris. 4. Persius c. scholiis Jo. Murmellii et ep. Herm. Buschii, ap. Christ. Wechel.

— Basil. 8. Persius. Vid. Gœtze, l. c. T. I. p. 526. n. 616.

1533 Eadem, ibid. ap. eund.

1538 Paris. 4. Persius c. scholiis Jo. Murmellii et ep. Herm. Buschii ex off. Christiani Wechel. Cf. ad an. 1531. et Engelii Bibl. sel. p. 123. Bauerum, T. III. p. 186.

— Coloniæ, 8. Persii Satyræ obscurissimæ alioqui luculentissima ecphrasi et scholiis Jo. Murmellii illustratæ. Accesserunt Des. Erasmi, Roterod. Annotationes et Herm. Buschii epistola, ad intelligentiam Persii multum conducens. Coloniæ exc. Joannes Gymnicus, 1538. V. Cat. Bibl. Bunav. T. I. vol. I. p. 345. cf. supra an. 1522 et 1525.

1541 Antverp. 8. Persius. V. Cat. Bibl. Ultraject. in 8. p. 133.

1544 Aug. Vindel. fol. Persius c. Plautii, Cornuti, Britonis s. Britannici Brixiani, et Fontii Commentariis.

1551 Basil. Frobeniana. fol. Persii Satyræ cum Comm. Jo. Badii, Jo. Britannici, Jo. Bapt. Plautii, Ant. Nebrissensis, Jo. Murmellii, &c. Filia igitur est Ascensianæ; sed in ea notæ Nebrissensis non sunt integræ.

1553 Paris. 8. ap. Wechel. Persius c. n. Murmellii et Erasmi Fabricio memoratur.

1555 Paris. 4. Persius cum Ant. Foquelini Comm.

1558 Paris. 4. Persius. V. Bauerum Suppl. T. II. p. 264.

1560 Pictav. 4. Persius c. Comm. A. Cornuti et Eliæ Vineti, Santonis—Pictavis apud Enguilbertum Marnefium. Extitit in Bibl. Cordesiana (Paris. 1643. 4.) Zeohiana (Lips. 1780.) p. 46. Græviana, p. 210. n. 71. et servatur in Bibl. Lugdun. (1716. fol.) T. II. p. 117.

1564 Lugd. 12. Persii, repetita. Vid. Bauer. T. II. p. 217. et Bibl. sel. Jo. Henr. Harscheri, bibliopolæ Basil. n. 1975. teste Catal. 1769.

1565 Antverp. Plantin. 8. Persius e rec. et c. notis Th. Pulmanni.

1578 Basil. 4. Persius c. n. varr. ex edit. Th. Freigii. Basileæ apud Petrum Pernam. Cf. Engelii Bibl. sel. p. 124. ab initio, et Bauerum, T. III. p. 186.

1579 Paris. 4. Persius cum indice vocabulorum.

1580 Basil. 4. in Persium notas Phil. Engelberti commemorat Lipenius.

1582 Basil. 4. Persius c. paraphrasi Nic. Frischlini notisque Valentini Volsci, Eugentini, et Foquelini. Cf. Beemani Catal. Bibl. Francof. p. 223. Col. I. Catal. Bibl. Ultrajeet. in 4. p. 51, et Bauerum T. III. p. 186. Cat. Bibl. Zeobianæ p. 46. n. 664. et Bibl. select. Jo. Henr. Harscheri, Basil. p. 249. n. 732.

ÆTAS III.

PERSII 1585—1648 Pithœo-Casauboniana. Petrus nimirum Pithœus, Cod. antiquissimum Budensem nactus, ex eo Persii et Juvenalis textum longe melius constitutum simulque e veteri exemplari glossas veteres in Persium selectiores consilio Jos. Scaligeri, et vitam Persii a Probo vel alio vetusto auctore scriptam primus edidit 1585, quam ed. repetiit H. Commelinus 1590. Denuo illum glossasque veteres recensuit Is. Casaubonus, poëtam Commentario, quem Scaliger dixit 'divinum,' illustravit Paris. an. 1605, quæ ed. repetita ibid. 1615, et cura Merici Casaub. filii, Londini 1647. Ante eum jam præclare de Persio meritus erat commentando Th. Marcilius, a cujus et Jo. Tornupæi curis auctior prodiit Parisina Claudii Morelli, cum notis varr. 1601. et Orrii 1613. Sed Casaubonum nemo superavit. Post Nic. Frischlinum tamen novi supervenere paraphrastæ ab an. 1595. Eilh. Lubinus, qui et ipse Wechelianas Persii 1603. 1607. et 1619. curavit, et Franc. Sanctius an. 1599. In Persium commentati etiam Steph. Claverius et Bernh. Autum

nus, Galli, notasque breviores ad juvenum studia aptiores scripserunt Th. Farnabius, 1612, et Jo. Bond, 1614. quae dein saepissime recusae sunt.

1586 Paris. 8. Persius c. vers. Gallica G. Durandi.

1587 Francof. 8. Persius cum paraphr. Nic. Frischlini.

1595 Amstel. 8. Persius cum paraphrasi et notis Eilhardi Lubini. memorat Crenius P. III. Animadvers. p. 16. et Catal. Bibl. Zech. p. 61. n. 996. Bibl. Hasmana Brem. p. 592. n. 146.

1596 Francof. 8. Nicodemi Frischlini, cum in Q. Horatii Epp. libros duos: tum in A. Persii Fl. Volaterr. Satyras sex—paraphrases. Francof. ad Moenum typis Joh. Spiessii MDXCVI. Servatur in Bibl. Acad. Heidelb. significante nobis clar. Büttinghausen.

1599 Salmanticae, 8. Persius, cum ecphrasi s. paraphr. et scholiis Franc. Sanctii, Brocensis.

1600 Paris. 8. Persius cum Comm. Theod. Marcilii, commemoratur Lipenio.

1601 Paris. 4. Persii Satyrae cum Comm. Theod. Marcilii, Jo. Tornupaei; L. A. Cornuti in eundem Comm. ex Bibl. Jo. Roussati, El. Vineti Santonis in eundem notae. Acc. P. Pithoei variae lectt. et notae ad veteres glossas.—Lut. Paris. apud Cl. Morellum.

1605 Paris. Casauboni I. 8. Persii Satyrarum liber. Isaacus Casaubonus recensuit et commentario libro illustravit. Parisiis. H. Drouart.

1607 Hanov. 8. Persius c. n: et paraphr. Eilh. Lubini.

1612 Lond. 8. Persius c. n. Tho. Farnabii.

1613 Paris. 4. Persii Satyrae, cum antiquissimis commentariis, qui Cornuto tribuuntur, collatis cum veteribus membranis et auctis; Eliae Vineti praefatione et annotationibus, Johannis Britannici interpretatione, Phil. Beroaldi oratione habita in enarratione Persii, Angeli Politiani praelectione in eundem; Petri Pithoei variis lectionibus et notis; Theodori Marcilii emendationibus et commentario. Lutetiae, ap. Joh. Orris. V. Catal. Bibl. Bunav. T. I. vol. I. p. 345.

— Paris. 12. Persius ex off. Rob. Stephani.

— Colon. Agripp.

1614 Lond. 8. Persius cum notis posthumis Jo. Bond.

1615 Paris. Casauboni II. 8. Persii Satyrarum Liber. Isaacus Ca-

sauboni recensuit et commentario libro illustravit. Parisiis. H. Drouart.

1621 Parmæ, 4. Asterii Manlii in I. et II. Persii Satyram commentarius et notæ.

1625 Norimb. 12. Persius c. n. posthumis Jo. Bond. V. Fabricium l. c.

1631 Norimb. 12. Persius c. n. posthumis J. Bond.

1635 Jenæ, 12. A. Persii Satyræ c. n. J. M. Dilherri. Vid. Cat. Bibl. Zechianæ Lips. 1680. p. 69. n. 1168.

Ab eodem Dilherro anno seq. Satyrici minores de corruptis sæculi moribus, Val. Cato, Petronius, Sulpicia poëtria, &c. editi sunt.

1644 Friburgi, 8. Persius.

1645 Amstel. 12 maj. Persius c. posthumis commentariis Joannis Bond, quibus recens accessit index verborum: nunc primum excusus. Amstel. apud Jo. Janssonium.

1647 Lond. 8. Persius Casauboni, III. editio: A. Persii Fl. Satyrarum Liber, cum ejus vita, vetere scholiaste, et Isaaci Casauboni notis, qui eum recensuit et commentario libro illustravit, una cum ejusd. Persiana Horatii imitatione. Editio novissima, auctior et emendatior ex ipsius auctoris codice: cura et opera Merici Casauboni Is. F. Accessit et Græcorum, ubi opus erat, interpretatio, item Index auctorum, rerum, verborum locupletissimus.

ÆTAS IV.

PERSII CASAUBONIO-SCHREVELIANA.

Ab an. 1648. ad nostram usque ætatem procedens.

1658 Paris. 8. Persius lat. et gall. avec des remarques par le Sr. Gefrier.

1664 Amstel. 12. Elzevir. Persius c. commentario Dav. Wedderburni Scoti, Aberdonensis, edente post fratris mortem Alex. Wedderburno.

1668 Amstel. 12.

1690 Neapoli. Persius cum Comm. Henr. Scalesii, Ord. Fr. pecc. 3 voll. quæ singula constant 500 pagg. Quæ ed. nobis non cognita, nisi ex J. Rud. Sinneri præf. Persii sui ed. 1765.

1725 Rostochii, 8. Persii Satyr. c. vers. germ. prosaria M. Joh. Benj. Dragheim.

1737 Mediolani, 4. Persius c. vers. Italica Ant. Mariæ Salvini, in Corp. omnium vet. poët. lat. Mediol. T. XVI.

1758 Lips. 8. Persius c. vers. Germ. poëtica Jo. Dan. Heydii. Quæ quidem interpretatio satis est fusa.

1765 Norimbergæ, 4. A. Persii Satyras sex ad fidem optimarum editionum una cum variis lectionibus codicis Ebneriani edidit Georg. Frid. Sebaldus, tabulisque æneis incidit Jo. Mich. Schmidius, sumtibus b. Balth. Schmidii hæredum.

— Bernæ, 8. Les Satyres de Perse. A Berne chez B. L. Walthard, 1765.—Auli Persii Flacci Satyræ. Bernæ, ex officina hered. Wagneri, 1765. Sumpt. B. L. Walthardi. Duplicem hunc titulum excipit præfatio editoris (Jo. Rud. Sinneri, Bibliothecarii tum Bernensis, ab an. 1776. Advocati provinc. in Erlach) in qua se præcipue ex Theod. Marcilii et Is. Casauboni Comm. profecisse, Tarteroni vers. gall. utut sæpius a sensu poëtæ aberrare sibi visam, et Drydenii vers. Anglicam, quæ magis ingenium interpretis, quam Persii redoleat, consuluisse, tandem vitam Persii (vetusto auctore a Pithœo editam) ad regulas artis criticæ emendasse, profitetur. (Videmus autem, jam olim vitam istam in fine a Dan. Eremita melius ordinatam conspirare cum emendatione Sinneriana.) Cujusque dein Satyræ fronti scite appictum est emblema; textui latino e regione est versio Gall. prosaria. Dein vita Persii sequitur c. vers. tum a pag. 81, explicatio emblematum, VI. Satyris et titulo libri Latino appictorum ex antiquitate; tandem a pag. 91. ad 184. notæ in Satyras Gallice satis eleganter scriptæ.

1775 Paris. 8. Persius c. vers. poët. Gallica Selisii. Vide infra vers. Gall.

— Berolin. et Lips. 8 min. Persius c. vers. Germ. quæ quidem interpretatio fusa est.

VERSIONES.

GALLICÆ.

1514 h. a. Persium Gallica metaphrasi donavit Abel. Foulonius, Paris. Vid. Fabric.

1586 Persius ex vers. Gallic. G. Durandi, 8. c. textu Lat. Vid. ed. ad h. a.

1658 Les Satires de Perse, traduites par Mich. de Marolles. A Paris. 8.

1658 Les Satires de Perse, avec le Latin et des remarques, par le Sr. Gefrier. A Paris. 8.

1693 Persius, interprete eodem Sylvecano, additis notis. Paris.

1704 Les Satires de Perse, traduites en vers François, par M. le Noble, avec le Latin à côté. A Paris. 12.

1706 Eadem repetita Amst. 8.

1765 Les Satires de Perse, avec des Notes. A Berne, chez B. L. Walthard. 8. c. figg. et textu Latino, cujus titulum vide supra.

1771 Les Satires de Perse. Traduction nouvelle par M. Carron le Gibert.

— Les Satires de Perse, avec le texte Latin à côté, et des notes, par M. l'Abbé le Monnier. A Paris, chez Jombert. 8.

1772 Les Satires de Perse, traduites en vers et en prose, pour servir de suite à la traduction de Juvenal, par M. Dusaulx; avec un discours sur la Satire. A Paris. 8.

1775 Les Satires de Perse, traduites en vers François, avec des remarques par M. Selis, ancien Professeur de l'Eloquence. A Paris. 8. Idem quoque Persium defendit adversus contemtum interpretis alterius Dusaulx, scripta Dissertation sur Perse, par M. Selis, Prof. des Belles Lettres au College de Louis le Grand. A Paris, chez Fournier, 1783. 8.

1776 Les Satires de Perse, traduites en vers François, par M. Taillade d'Hervilliers. A Paris, chez Nyon. 8. Le texte Latin avec une traduction en prose, précèdent la traduction en vers. Versio hæc longe est inferior, quod ad curam fidemque attinet, illa Monnierii; neque æque elegans est, ut ista Selisii.

GERMANICÆ.

1674 Joh. Sam. Adami, Kays. gekr. Poetens, verdeutschter Persius in sechs Satyren. Dresden. 8.

1725 Des Rœmischen Poeten Persii sechs Satyræ, in die teutsche Sprache übersezet, mit nüzlichen Anmerkungen, auch mit den besten Phrasibus und einer accuraten lateinischen Edition versehen von M. Joh. Benj. Dragheim. Rostock. 8.

1738 A. Persii Satiren. Aus dem Lateinischen übersezt und mit Anmerkungen erläutert. Diesen sind vorgesezt: 1. Plutarchs Abhandlung, wie man die Poeten lesen soll; aus dem Griechis-

chen übersezt. 2. Eine Abhandlung von der Satirischen Poesie der Griechen und der Satire der Rœmer, von Joh. Dan. Heyden. Leipzig, bey B. Ch. Breitkopf. 8.

1775 Die Satiren des Aulus Persius Flaccus, sammt einer erklærenden Uebersezung. Berlin, bey Georg Jacob Derker. 8.

ANGLICA.

1697 Persius ex metaphrasi præstantissimorum poëtarum Diepneyi, Drydenii, Creechii et Congrevii, cum notis et diss. de natura, origine et progressu Satiræ. Vid. Fabric.

HISPANICÆ.

1609 Persius, interprete Didaco Lopez Valentino, Burgis. 8. Versionem quoque Barthol. Melgareji, sed ineditam, memorat Nic. Antonius.

ITALICÆ.

1576 Le oscurissime Satire di Persio con la chiarissima spositione di Giovani Antonio Vallone. Napoli. 8.

1630 Metaphrasin Persii c. Commentariis edidit Franciſc. Stellutus, Romæ. 4.

1706 Franciſc. Stellati metaphrasis Persii repetita Amst. 8.

1726 Le Satire di A. Persio, tradotte in verso Toscano da Ant. Mar. Salvini. In Firenza. 4.

1733 Idem in Corp. omnium vett. poëtt. Mediolanensi. T. XVI.

GRÆCA.

Prologum Persii Græca metaphrasi donavit præter Jos. Scaligerum Dionysius Petavius lib. II. ep. 29.

Hic terminus est Notitiæ Literariæ Bipontinorum. Dedimus Lectori in pagg. præcedentibus editiones Persii, ubi Juvenali conjunguntur, secundum Rupertium; daturi nunc Persii editt. ubi a Juvenale separantur, secundum Socios Bipontinos.

In primis vero ex iis, quæ de Juvenale et Persio Magdal. Coll. jam diximus, patebit, nobis non omnino persuasum

esse eosdem editores recte designasse *principem* Persii editionem; et etiam si recte, argumentum, quo utuntur ad discernendam, stabiliendamque eandem editionem, ut nobis videtur, deficit. Secundum alium quendam bibliographum quod obtulere exscripserunt; et sententiam ejus citando videntur probasse. Aiunt de Persii editione sine anno et loco, scriptorem Catal. Biblioth. Hulsianæ omnium Principem censere, ex versu qui in fine legitur:

'Explicit *ignotus* per totum Persius orbem.'

At quidem hic idem versus non editoris aut impressoris est, sed e codice, ni fallimur, quem jam indicavimus, exscriptus. Et sive auctor per *ignotum* intellexerit (usu nimirum figuræ orationis, ut Græci utuntur *α intensivo* æque ac *privativo*) *valde notum;* seu præ ignorantia (ut scribæ illi monastici sæpissime se gesserunt) scripserit; seu (quod probabilius videtur) per *ignotum* de Persio præ omnibus poëtis *obscuro* ἐμφατικῶς quasi luserit; utcunque sit, versus e codice quodam derivari videtur, ideoque quoad *impressi* libri antiquitatem nihil probat.

De omissionibus forsan jam satis, cum de Rupertio diximus, nam ille in quam plurimis secutus est Bipontinos. Paucas tamen, et perpaucas, editiones notabimus ubi invenitur Persius a Juvenale disjunctus. Has notare non fuit ex proposito et ratione Rupertii, quippe qui Juvenalem tantum ederet.

Persii Satyræ, cum Comment. Barthol. Fontii. Franc. 1621.

Satyra tertia Persii cum Nott. Vorstii, Lips. 1675.

Glossæ Veteres in Persium, cum collatis Mss. Casauboni, 8vo. Bodl. Catal. Titulo carent.

Vita et Sat. Persii, 4to. Aur. Allobr. 1640.

Versio Anglica ab Hen. Eelbeck, Ludimagistro, 12mo. Lond. 1719. cum paucis notis et vita Persii brevi. Versio literalis, prosaica, cum Indicibus Lat. et Angl.

Persius translated into English prose, with explanatory Notes, by Thomas Sheridan, 8vo. Dublin. 1728.—Editio 2da, cum Indice et text. Lat. vulgata fuit Lond. 1739. 12mo.

The Satires of Persius translated into English prose, by J. Senhouse. Annotationibus illustrantur. Lond. 1730.

A. Persii Sat. sex. Ab J. Stirling, A. M. In usum Scholarum. Continet *Ordinem*, Phrasium Explicationem (Anglice), Historicum, Geographicum, et Poëticum Indicem, &c. 8vo. Lond. 1736.

Satire di Aulo Persio. Tradotto in Verse Toscano da Anton. Marco Salvini, con a fronte il Testo Latino. Milan. 1737.

The Satires of Persius, translated into English verse, with some occasional Notes, and the original Text corrected. By Thos. Brewster, A.M. 4to. Lond. 1741.—Versio multum laudata, et laude digna. Editio 2da, vulgata Lond. 1751. habet vitam Persii præfixam, secundum Mons. Bayle; 12mo. sine Notis.

The Satires of Persius, translated into English, with Notes critical and explanatory. By Edm. Burton, Esq. 4to. Lond. 1752.—Versio prosaica est; notæ sunt valde æstimandæ.

Pauculas, editt. Bipontinorum Recensui succedentes, subjungimus:

Persius ex edit. Casauboni, cura Homeri. Lond. 1789. Eleganter excusus.

Persii Sat. 12mo. Nuremberg. 1800.

Persii Sat. ex uno libro comprehensæ, ad optimas editt. collatæ, cum selectis lectt. variis et annott. 8vo. maj. Norimberg. 1803.

Persii Sat. cum comment. G. L. König. 8vo. Gott. 1804. Textus optimus.

Persii Sat. Hafniæ, 1804. Editore Thulacio.

Persii Sat. una cum Lucilii Fragment. 8vo. Vienn. 1804.

Aulus Persius Flaccus. Textum recensuit Fr. Passow. In usum Prælectionum. 8vo. Lips. 1808.—Textum correctum sine notis, sed cum præfatione, exhibet hæc editio.

Persii Sat. 8vo. Munchen. 1807. Edit. Ortmann.

Persii Sat. 8vo. maj. Lips. 1809.

Persii Sat. cum comment. 8vo. Paris. 1812.

Persii Sat. ad codd. Parisinos recensitas, lectt. varietate et commentario perpetuo illustravit A. L. Achaintre, 8vo. Paris. 1812.

His adjicias, apud Anglos, the Satires of Persius translated by W. Drummond, Esq. 8vo. Lond. 1799. Versu Runico, et musico, et cum notis ac præfat. elegantibus. Nec prætermittenda est versio poëtica, novissima et concinna et venusta, Francisci Howes, A.M. Lond. 1809. cum notis doctissimis.

Et quidem addendum sit quod, ut singularium sat. interpretes et imitatores Juvenalis habuit, sic etiam Persius. Ex hoc numero fuit ille qui edidit sat. 3am cum notis jam mem.; et qui apud nostrates, the Baviad, a paraphrastic imitation of the first satire of Persius. A new edit. Cum notis, 1798.; et qui (Meister) Sat. I. 8vo. 1801. et comment. in Sat. IV. 8vo. ibid. 1801. cum multis aliis.

RECENSUS CODICUM MSS.

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS SERVANTUR.

A. Persii Fl. Codices a Juvenale separatim scripti, in Museo Britannico.

Biblioth. Reg. 15 B. XIX. Auli Persii Satyræ et Vita. Cum comment. Annæi Cornuti. In volumine IX. cent. cum multis aliis: num. 16. f. III. Sic præfig. Incipit Vita Persii Flacci, commentario Probi Valerii sublata.—Clare et lucide scribitur, nec quoad fol. deficit. Membran.

Biblioth. Harl. 3989. Hic etiam exhibet Persii vitam, et commentaria in ejus Sat.; sed a præced. diversa. Cent. XV. Chartac.—Idem auctor, quisquis fuit, scripsit etiam comment. in Juv. Sat. ut ex suis verbis in prima pag. hujusce codicis patet. Partim chartac. partim membran.

4741. Persii vita et comment in Satyras. Vita pæne eadem est ac ea quæ Probo jam fuit ascripta. Hodierni charact.; fortasse circa cent. XVI. vel XVII. Chartac.

3754. Cod. membran. forma magna, et illuminationibus ornatus, continens varios Lat. poëtas, et inter alios A. Persii Flacci Sat. cent. XV.

3894. Auli Persii Flacci Sat. Membran. et eleganter exscriptus; sed in Catal. Harl. non recte designatus num. 3896. et in transitu notemus n. 4969. ejusdem Catal. non recte apponi, quippe cod. continet *Meditationes* Anglice, XVII. cent. non Persium.

5198. Est cod. chartac. continens inter quædam Lat. et Gr. poëtis ascripta A. Persii Fl. Sat. Primus in collect. stat Persius, sine notis aut comment. Sæc. XV.

2550. Iterum fallit Catal. Harl.

2555. Cum multis aliis continet A. Pers. Sat. Chartaceus, cent. XV.

2588. A. Pers. Sat. Membran, sæc. XVI. Sine schol.

Inter codd. Burneienses unus est cod. Ms. chartac. continens pag. 32. Versus pauci collati sunt ad pag. edit. Isaaci Casauboni, quæ Lugd. Bat. edita est 1695.

Inter Burneienses codd. non nunc numeramus eos ubi Juv. et Persius conjuncti inveniantur; de his enim jam satis in alio loco dictum est.

His forsan adjiciatur exemplare edit. Lut. 8vo. 1590. typis quidem impressum, notas vero Mss. cl. Bentleii continens. Vid. *Brit. Mus. Cat.* sub *Persio.*

Alium etiam librum impress. hoc loci indicamus; Persium nempe, 8vo. Lut. 1585. cum notis Mss. Is. Casauboni. *Brit. Mus. Catal.* sub *Persio.*

Codices Oxon.

Quod ad codd. Pers. *Bodl.* spectat, quæ supra diximus sufficiant, ubi Juv. et Pers. codd. conjunctos tractavimus. Accipias tamen *Canonici* Lat. 46. Pers. Sat. cui Horatii Ars Poëtica subjungitur.

Quod ad d'Orvillianos, Persius Juvenali subjungitur.

Codices Cantabr.

Similiter dicendum est de *Cantabrigiensibus.* Persius accipiendus est conjunctim cum Juvenale (de quo videas supra), sed non separatim, nisi in uno Codice qui olim fuit Thomæ Gale, nunc Trin. Coll. Cod. antiquus, membran. continens, cum aliis, Persii Satiras, quas notæ plurimæ, et *in formis curiosis,* comitantur.

Codex Scotus.

In biblioth. Advocatorum apud Scot. est cod. Ms. sex Sat. Persii continens: alia etiam continet. 8vo. membran.

P. S. His finitis, dum paginæ sub prælo sunt, subjungimus duos codices Persii, in bibliotheca Trin. Coll. Cantab.; Notas Mss. T. Galei, in Persium, in eadem biblioth. latentes, et, ni fallimur, nunquam promulgatas; et apud biblioth. Scholæ Etonensis, unum cod. commentarii in Persium, unum item Persium et Juvenalem continentem, et alium Juvenalem sine Persio; et etiam librum impressum Juvenal. (edit. Milan. 1746.) cum notis Mss. Hos codices longo jam tempore abhinc in biblioth. Etonensi positos usque ad præsens sedes proprias occupasse edocti sumus ab erudito ejusdem Magistro scholæ, J. Keate, S.T.P. cui ob benevolentiam gratiæ debent referri.

INDEX

RERUM ET DICTIONUM MEMORABILIUM

QUÆ IN PERSII SATIRIS HABENTUR.

Prior numerus Satiram, posterior versum indicat. Litera p. Prologum notat.

C

D

E

F

G

T

U, V

INDEX

VERBORUM PERSII

QUÆCUMQUE IN SATIRIS EXTANT.

Prior numerus Satiram, posterior versum indicat. Litera p. Prologum notat.

E